26/90
C II
II L 270
18/8
23,943/A

4.2600

HYGIEINE
SIVE
TUTRIX
CORPORIS HVMANI,

MODVM OSTENDENS,
QVO HOMINES ABSQVE MEDICAMENTIS ÆTATEM SVAM IN STATV NATVRALI SANO AC VEGETO IN SERAM VSQVE SENECTVTEM PROTRAHERE VALEANT,

TAM
EX VETERVM AC NEOTERICORVM AVTHORITATE QVAM EX PROPRIA ANIMADVERSIONE DESVMTA
A

JO. FRANC. PAVLO GANSER,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, Inclytorum Ducatus Styriæ Statuum Phyſico Radkerſpurgenſi ordinario,

Verwijderd K. B.

In favorem & utilitatem vitæ humanæ prolongandæ,
accedente
TRACTATV ANIMASTICO.

Koninklijke Bibliotheek 's Hage

LIPSIÆ, 1731.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AD
BIBLIOTHECAM
PRINCIPALEM
ARAVSIO-NASSAVIENSEM
DILLENBVRGICAM.

AMPLISSIMI
TOTIVS SVPERIORIS ET INFERIORIS STYRIÆ DVCATVS

PROCERIBVS,

SERENISSIMIS ET REVERENDISSIMIS PRINCIPIBVS
ac
EXCELLENTISSIMIS, ADMODVM REVERENDIS, ILLVSTRISSIMIS, PERILLVSTRIBVS ET ILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS, NOBILISSIMIS
DOMINIS DOMINIS PATRIÆ CONSERVATORIBVS

DOMINIS

MAECENATIBVS

AC PATRONIS SUIS
Benigniſſimis & obſervandiſſimis,
Salutem & obſequia.

Sereniſſimi & Reverendiſſimi Principes,

Ac

Excellentisſimi, admodum Reverendi, Illuſtrisſimi, Perilluſtres & Illuſtres Domini Domini

Mæcenates gratioſisſimi.

CUm memoria res ex omnibus animi partibus maxime delicata ſit, & fragilis, teſte Seneca; Tum VESTRA erga me *beneficia* cerebro meo tam indelebilia impreſſerunt veſtigia, ut nullo modo benefactorum immemor vivere cupiam. Diu itaque hæſitavi, auderemne vadum tentare, hacque confectione hujus mei exigui opuſculi *Amplisſimum Veſtrum conſpectum* ſubire; quatenus tantæ digni-

dignitatis non eſt, ut *Veſtrum Nomen* ſatis honorificem: Siquidem libros parere non tanti momenti eſt, præcipue tales, qui hoc ſeculo in omnibus ferme inſtitutionibus Medicis comprehenduntur, particulares quoq; de diæta conſcripti conſtant Tractatus, & patet quaſi ſuperfluum hoc meum eſſe opus. Sed cum pauci tam amusſim de univerſali quam particulari conſervanda vita & bona ſanitate conſtituenda laborem ſuſceperint: hinc mihi minime vitio vertendum eſt, ſi pariter temporum modernorum ſcribendi pruritum me titillare ſatear, & quidem de re tali, & inveniendi modo, quo parari queat longævitas & ſanitas vitæ, qua nihil acceptabilius in rerum natura exiſtit, hancque conſequendam, ex hoc meo vili opuſculo gratum ſit, quonam pacto animi cohibendæ ſint perturbationes, nocuo-

rum ac innocuorum vis ac natura conſideranda, & qualiter conſtanter, jucunde ac tute vivendum ſit: uti nimirum apis non ex uno floſculo, ſed ex diverſis exſugit mel ad ſuſtentandum ſe; ita non minus media ad vitæ longævitatem conſequendam quærenda ſunt, quæ etſi non ex unico libro, ergo ex pluribus, imo ex hoc meo comparato opuſculo. Sinenſes olim ingenioſisſimi autumabant, remedium aliquod arripere, quo immortalitatem corporis aſſequi posſint, omnibus vero ſumptibus ad id impenſis non adepti ſunt, nec ullum Pharmacum repererunt, ut mortis falcem effugere poſſent: etſi itaque immortalitate corporis homo non posſit indui, attamen vitam ſuam eo protrahere tenetur, ut in annos plurimos extendatur, ne vitam, quam accipit longam, brevem ſibimet ipſe faciat. Nemo quidem Medico-

dicorum, nec ipſe Machaon Homerica laude tam celebris, cuivis malo & morbo medicinam fecit, interdum docta plus valet arte malum, licet præſentisſima adhibuerat antidota & mille catapotia, emplaſtra, fomenta, trohiſcos, aliaque talia, quæ pyxide ſua minima, maxima condit, promitque pharmacopæus, tanta tamen vis quandoque morbi malique eſt, ut remedio, conſilioque Medico dejectæ fractæque vires reparari nequeant, neque ultimus lethi ictus a capite decumbentis averti posſit. Certe ſi vitæ inſtat terminus a Deo præfixus, neque aurum potabile, neque panacæa Paracelſi, aut nobilis ille Philoſophorum lapis a multis cum damno quæſitus maximo, fugientem vitam retinebit: quemadmodum itaque in Medico, vel probatisſimo, non eſt, ſemper, ut æger relevetur. Idcirco tutius & magis

)(4 gis

gis proficuum erit, demonſtraturus ea, quæ nos a tam incurabili morbo & præmatura morte ad tempus longum præſervare docent; & hoc eſt inter obſequiorum meorum in hoc opuſculo conſecratorum maximum meum argumentum, quod *Sereniſſimis & Reverendisſimis Principibus, ac Excellentisſimis, admodum Reverendis, Illuſtrisſimis, Perilluſtribus, & Illuſtribus, Generoſisſimis ac Nobilisſimis Dominis Dominis Mæcenatibus Gratioſiſſimis dedico.* Meum vero tam liberum acceſſum ſi nihil aliud, tunc *Veſter* in communem Patriam amor ac ſtudium, ac etiam ſingularis erga me *beneficentia, qua* jam per aliquot annos fruor, ſtimulavit, ut niſi hoc publice confiterer, ingratisſimum ab orbe condito me putarem. DEUS TER MAXIMUS me ad tale officium conſtituit, ut meo hoc labore proximo inſerviam,

quod

quod autem ad opus & effectum redigere nequiviſſem, niſi huic meo labori ſuffragium a *Vobis* ſuppeditatum fuiſſet, & quorum *Nomini* præſcriberem. Si proinde multa naturæ, omnia *Deo*, *Vobis prætitulatis* certe poſt hunc me & mea debere confitear, neceſſe eſt. *Cui beneficentiæ & Veſtræ* in me liberalitati dum par reddere nequeo, dare impar vereor, ne moleſtus ſim, dum gratus eſſe percupio, & ominoſus *Vobis* videar, dum maxime officioſus eſſe contendo, nec uni dat cuncta *Deus*, ut loquitur Maro, cui debemus nos noſtraque, & ut inquit Pindarus, non omnia poſſumus omnes. Interim cum (dicente Socrate) nihil in rerum natura ex omni parte ita perfectum detur, nec vita noſtra, nec mores &c. ut non error ingruat; hinc etſi hoc meum opuſculum non ex omni parte perfectum; nihilo-

minus ſub *Veſtro Patrocinio* commendatum licet exiguum accipite munus, pro ſexcentis meritis valebit. Boni ergo meos hoſce labores conſulite ac offerentis animum, non dedignamini. *Vos* itaque *Sereniſſimi & Reverendiſſimi Principes, ac Excellentiſſimi, admodum Reverendi, Illuſtriſſimi, Perilluſtres & Illuſtres, Generoſisſimi ac Nobilisſimi Domini Domini Mæcenates, Conſervatoresque Benigniſſimi mei!* in quorum patrocinio nunc ſum totus, valete: & de meis annis *Vobis* prætitulatis *DEus* annos *Veſtros* augeat. *Quorum* ſum

Scripſi Radkerſpurgi
16. Kalendas Jun.
1731.

humillimus Cliens
JOANN. FRANC. PAULUS
GANSER,
Philoſ. & Medic. Doctor.

PRÆFATIO
Ad Lectorem Benevolum.

COmmunis naturæ & induſtriæ humanæ finis eſt, ut quod vel ab illa producitur, vel ab iſta conficitur ad bonum & utilitatem tendat univerſi. Et quemadmodum natura, ut finem hunc conſequatur, vires omnes intendit, & exerit, pariter ne nos eodem fruſtremur, labor noſter in opere quolibet improbus ſit, neceſſe eſt. Finis primitivi hujus opuſculi mei eſt integra & valens corporis humani conſtitutio, quem ut aſſequerer, laborem & diligentiam in propoſitione libelli præſentis, quam potui, adhibui, utrumque eo contuli, ut homini, quem per Analogiam quandam Microcoſmum dicimus, primævum creationis ſuæ donum, & beneficium, quod bona valetudo eſt, integrum conſervetur. Duo in finem hunc ordinantur media, unum ex parte hominis, & hoc eſt ordi-

nata

nata illa vivendi ratio, conſiſtens in moderato alimentorum uſu, attenta quantitatis, qualitatis, & temporis circumſtantia &c. & hanc diætam dicimus. Alterum ex parte Medici, & eſt methodus illa experimentalis, quam docet ars, probat experientia. Hæc poſterior in Medico ſupponitur, prior illa non ſupponitur in quolibet, & ideo per leges medicas eam doceri te Lector benevole oportebit. Ita enim paſſim vivitur, ut cum pauci de valetudine bona ſolliciti ſint, in generis omnis exceſſus proruant, qua vivendi libertate illecti, dum profidente quadam vitæ fiducia, quam verius audaciam dixerim, vitæ annos plurimos ſibi pollicentur, ipſi vitæ filum præſcindunt, ſibi tempus præripiunt, quod naturæ liberaliſſimæ conſtitutio ſpoſpondit. Quid igitur? doceri te oportet quandam vivendi normam, diſcendæ tibi leges, quibus vivas, & ita vivas, ut numerum, & ſeriem annorum tuorum, quam Deus conſtituit, non in miſeriis, non in infirmitatibus, aut ſqualore vitæ continuo, ſed in integra conſtantique valetudine, quantum Deo volente & auxiliante fieri poteſt, attingas, & expleas. Legibus his animum tuum addicere ſi cogitas, non te re-

tar-

tardet, minus retrahat vana hominum inſanorum perſvaſio, quorum parœmia eſt: tanto quemque vivere miſeriorem, quanto ſecundum præceptiones medicas accuratiorem. Vulgi hæc eſt opinio, & ideo rudisſima, atque a Doctis & recte ſentientibus merito rejicienda. Quibus ſanctum firmumque ſit illud: qui creavit te ſine te, non ſervabit te ſine te. S. Auguſt. *Opera proinde tua neceſſaria eſt, quam ut diligentisſimam adhibeas, præſentem libellum accipe, cujus in tres Tractatus eſt digeſtio. In primo de vita in communi & viventibus diſſeritur; In ſecundo de illis, quibus vita noſtra ſervatur; pluribus diſcurritur, unde præceptiones diæteticas haurire queas; In tertio de ente creato animato. His bene utere &*

vale.

Quæ nova ſunt, non ſemper erunt nova, nulla placebunt.
Ergo diu, ſola quæ novitate placent
Non ſola placuiſſe igitur novitate videntur,
Sed bonitate nova, quæ placuere diu.

Owenus.

Quæ noſti impertire libens, facilisq́; roganti
Eſto; quæ neſcis, diſcere non pudeat.

Cato.

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Hæc tria, mens hilaris, requies, moderata diæta.

Schol. Saler.

Itaque:
Mente caret ſana, qui ſanus negligit eſſe.

TRACTATUS PRIMUS.
De Vita in communi.

MUltis & ferme omnibus in hoc univerſo Microcoſmo contemplabilibus corporibus vitæ nomen tribuitur; adducente Eccleſ. Cap. 43. *omnia hæc vivunt, & in neceſſitate obediunt Deo*: ſed cum non idem ſit vivere, ac idem animari, atque plurimis rebus metaphorico more vitæ nomen tribuatur: ut dum fontem vivum dicimus, ubi continenter fluit. Relictis his, vitam ſolummodo animatam mihi in ſequentibus perluſtrare liceat. De qua ſit

CAPUT I.
De viventibus animatis.

1 VIventium genus duplex decernitur, unum plantæ, aliud animalis. Primum viventium genus plantæ eſt, quod quoad ſuam extrinſecam & intrinſecam

ſpeciem, continuam & una ſerie expanſam ſubſtantiam demonſtrat, in qua a profunda illius parte ad Cacumen usque idem prorſus naturæ progreſſus deprehenditur; ita, ut ſingulæ ejus partes, eodem modo nutriantur, augeſcant, generentur: quippe eorum corpora ad modum tuborum ſeu Canalium ſe habere videntur, per quos alimentum transmittitur, variasque ibi mutationes ſubit, & hæ plantæ vocan-
2 tur, in quibus ſuccus alimentitius, e terra proveniens, a poris radicum receptus, & conſequenter ab adventitio noviter alimento in terræ ſinu recondito per ſuos tubulos & canales, ſecundum fibrarum longitudinem exſtructarum, in omnes partes plantæ impellitur & evehitur. De quo Mantuanus

Qui viret in foliis, venit a Radicibus humor.

§. I.

De Plantarum ſcrutinio.

Plantæ genus in duo membra diſtribuitur, nempe in arborem & in Herbam.
3 Arbor illa nuncupatur, quæ a Radicum coaleſcentia caulem ligneum una cum ſuis ſtipitibus emittit, & in ſublime

eri-

4 erigit. Herba vero, quæ nullo ligneo trunco firmatur, nec ad altitudinem & craſſitiem arborum creſcit. Quidam inter arborem & Herbam fruticem conſtituunt, attamen omnia fruticum genera magis ad arborem reducenda ſunt, cum firmioris tenturæ Herba ſint.

5 Plantis quoque fungi adnumerantur, quorum diverſæ eorum ſpecies ſub certa delineatione deprehenduntur, ſemper ſuam ſpeciem procreantes, quæ certa& conſtans eorum delineatio ſecundum quorundam opinionem nequaquam a terræ particulis ejus viſcidis, ope materiæ ſubtiliſſimæ mundi, & globulorum æthereorum diverſimoda preſſione & figuratione
6 facta, elicitur: ſed a ſeminio proprio progigni ipſe ſacer textus aſſeverat Gen. 1. v.11. *germinet terra Herbam virentem & facientem ſemen* &c. quæ vis etiamnum manet incorrupta, nihilq; e terræ ſinu erumpit, quod non ea virtute expellitur. Hoc ultro probatur Experimento. Si nempe aqua, in qua excocti aut bene loti ſunt fungi veſpertino tempore ſuper terram leviter equino aut ſuillo fimo impinquatam effun-

datur, ſequenti die fungi ejusdem ſpeciei
provenient. Videntur etiam fungi tubis &
canaliculis ſecundum ſuas delineationes
inſtructi, per quos ſuccus alimentitius,
aqueis & terreſtribus particulis conſtans,
eo modo, ut in arboribus & Cæteris Her-
bis, evehitur, ad ipſorum augmentatio-
nem per intrinſecam appoſitionem. Si
etenim a materia quacunque terrea viſci-
da, ſecundum quorundam Authorum o-
pinionem, impulſu æthereo talia planta-
rum genera educerentur, tunc æther ex
illa materia viſcida terrea diverſas fungo-
rum ſpecies ſemper de novo, nunquam a-
lias viſas, hucusque tamen nunquam re-
pertas, procrearet, quæcunque vero ad-
huc excreverunt, omnes ſuam ſpeciem &
delineationem ſervant. Potius ergo exi-
ſtimandum eſt, iſtas plantarum ſpecies,
quarum ſeminis cognitio, quamvis a ſen-
ſibus noſtris in cognitionem & apprehen-
ſionem viſivam non introducatur, illud
tamen a Deo creatum eſſe ſemper in ſua
ſpecie aut formalitate, tam in- quam ex-
7 trinſeca, iterato ad ſemen ſuum pro-
prium producturum, & ſpeciem propa-

gaturam: ita legitur Gen. 1. v. 29. *Ecce, dedi vobis omnem Herbam, afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.* Deus omnia ſimul creavit, & die ſeptimo requievit ab omni opere, quod patrarat. Ergo nulla datur nova productio aut creatio. Excreſcunt quidem in quibusdam locis terræ quan-
8 doque plantæ alias nunquam repertæ, ſed id aeri, avibus & aquis fluentibus adſcribendum eſt, adferendo ſemen & ſpargendo illud.

Multivaria itaque ſeminia ut & alia corpora in mundo volitantia & exiſtentia in noſtros ſenſus raro aut nunquam incurrentia reperiuntur, quæ verificantur ratione & experientia; propterea illa revera dari non nullus dubitet: ita vix unquam filicis ſemen in conſpectum venit,
9 tamen revera datur. Et alia Corpora vel ob nimiam parvitatem, inſtar pulveris ſeu atomi ſubtiliſſimi, vel propter nondum cognitum ſemen. Quomodo autem plantæ ſpecialiter & intrinſece nutriantur, & creſcant, hoc a multis jam Autho-

ribus examinatum & demonſtratum legitur: nihilominus cum non ſingulis mortalibus nota ſit ſeminis intrinſeca conſtitutio, qualis nobis in oculos incidit, revolvam illam. Nam apparet, ſemen
10 unum ſubtilioribus, aliud craſſioribus tunicis ſive involucris, inſtar Chorion & Amnion ad ſui defenſionem conſtitui, hocque foraminulum in ſe habere ad emittendam Radiculam, quæ in Meditullio ſeminis complectitur, ne a frigore, calore, humiditate &c. lædatur: hoc non ex unico corpuſculo, ſed quandoque pluribus conflatum eſt, unde truncus unus aut plures producuntur, dein folia, flores, & fructus. Hinc miranda Dei creatio, quod ex uno ſeminio & exinde producta arbore, etſi uno abſciſſo Ramo, iterum alter excreſcat, quod ferme in omnibus arboribus contingit, quæ vis & extenſio verbi Divini in ſemine non deſinit, *Germinet terra Herbam virentem* &c. Semina quoque quibusdam corpuſculis mollioribus, quibusdam autem ſolidioribus formata ſunt.

Radicula & germen, ſeu truncus vel ſti-

pes,

pes, quæ a Radice ſuper terram aſſurgit,
communes habent fibras, quæ primo ma-
joribus & deinde minoribus Ramulis ad
Peripheriam ſeminis excurrunt. Ex Ra-
dicula tres oriuntur fibrarum faſciculi,
unus germini deſtinatus, reliqui in utram-
que partem ſeminis excurrunt. Fibrillæ
porro germinis verſus omnes Ramos &
folia mittuntur, ut & illæ, quas Radicula
obtinuit, ſingulis Radiculæ Ramulis tri-
buuntur, fibrillæ iſtæ per corpus ſeminis
exſpatiantes, Radiculæ ſunt, quæ ex ſe-
minis ſubſtantia tamdiu Radiculæ & ger-
mini alimentum adferunt, donec Radi-
cula jam firmior ex terra ipſa ſuccum ali-
mentitium habeat. Adeo enim plantis
neceſſaria eſt Radix, ut nulla citra eam
11 ſubſiſtere queat. Invenitur quidem
Chamæleonis ſpecies, quæ caule deſtitui-
tur, triticum Ramo, ficus flore, Gelſemi-
num & tilia fructu: ſed nulla eſt planta
Radicem non habens, imo reperitur, quæ
tota Radix eſt, ut tuber. Eſt enim Radix
velut os, per quod alimentum intromitti-
tur, unde poroſa eſt, multisque meati-
bus pertuſa. Nec Radix in omnibus plan-

tis ejusdem figuræ eſt, ſed diverſæ, in ficu enim ſingularis eſt, quamvis plurimas minores e lateribus emittat, in poris & cepis & allio multiplex, innumeros pene capillos continens. In Rapis in orbem intumeſcit, enodis in beta, geniculata in Iride; aliquando multis tuberibus diſtincta eſt, ut in Ariſtolochia. Omnes tamen Radices in Mucronem ſeu conum deſinunt, pars ſuperior majorem in mollem excreſcit, propter plurium fibrarum conſtitutionem, quæ omnes in conum coaleſcunt.

12 Semen jam in terræ ſinu reconditum, corticum pori interventu particularum aquoſarum & nutrientium gradatim a ſubtili materia ætherea & calore ſubterraneo impulſarum, majores pori cuduntur, hoc eſt, illi meatus & fibrillæ, ex quibus ſemina conſtant, relaxantur & majora interſtitia accipiunt, & ob illarum particularum niſum ſemen ipſum extenditur, & incraſeſcit. Iſta ſeminis expanſio tamdiu perſeverat, donec tandem iſtius umbilici germen cum ſua Radice extra vaginulam foras erumpat; & quod mirum,

rum, cortex licet in quodam ſemine duriſſimus, hac turgeſcentia tamen a ſe invicem divellitur.

Radix a terra recepta, in poros terræ protruditur & ampliatur, cui jam craſſiori & duriori factæ ipſa terra cedere debet: itaque nutritionem, augmentationemque proſequitur, Radix enim tota poroſa eſt, alimentum in terra reconditum, ob ſimilitudinem & proportionem ſuæ figuræ accommodatum, Radicum poris a preſſi-
13 one athmoſphæræ propellitur, non attrahendo, ut vulgus putat, quid quid enim movetur de facto, impellitur ab alio: Cujus alimenti traductionem adjuvat germinis plantulæ aut ſurculi mollities, ut pori extendi, & ampliari queant. Hinc ab advenientibus pluribus particulis ſucci alimentitii per fibrarum & medullæ longitudinem in ipſum truncum & caulem alimentum ultro & ultro promovetur & impellitur, & ſic plantæ creſcunt & au-
14 gentur. Emoriuntur autem, dum fibrillarum partes poros conſtringunt, aut a corruptione reſolvuntur, ut ſuccum nutritium in Radices recipere nequeant, vel

etiam ob defectum alimenti non proportionati exſiccantur, aut a ſuperfluo obſtruuntur & ſuffocantur.

15 Inanimata ſeu non vegetabilia autem ea ſunt, per quæ nullus ſuccus ſpiritu-aſcens qualiscunque fluendi modo evehitur, & nullo modo per intrinſecam appoſitionem nutriuntur, & augmentantur, ſed tantummodo per extrinſecam additionem augmentantur, ut ita dicam ſuperficialiter, ut metalla, lapides & foſſilia omnia.

16 De Corralliis quidam dubitant, utrum plantis aut lapidibus adnumeranda ſint; cum miro naturæ artificio in Maris Imo producantur ceu arbuſcula creſcentia, & vegetabili veluti vita viventia. Nam omnium ferme opinio eſt, Corrallia ſub undis molles eſſe herbas, extra vero aquas lapideam induere formam, quam fidem præbent frutices Corralliorum, qui partim ex ligni, partim ex Corralliorum ſubſtantia ſe demonſtrant. Beguinus lib. 2. Tyrocinii Chymici cap. 10. id negat, & fatetur, multos amicos ei revelaſſe, Corallia ſub undis dura eſſe, ſicuti extra illas, quatenus ad illa exploranda homines di-

mi-

miſerunt ſub undas, a quibus dura obſervavere. Hujus rei veritatem certam decernere, res quidem ambigua apparet, cum variabilis experientia dubium inferat. Sed, etſi dura Corrallia et jam perfecta ſub undis deprehendantur; nihilominus ex molli ſeminio primario in arboream, demum in lapideam excreſcere duritiem credendum eſt, cum Corrallia nondum duritiem perfectam adepta, ligni inſtar, & mollia in conſpectum prolata fuerint.

17 Aliud viventium genus Animal eſt, quod varias partes præ ſe fert, & peculiari motu gaudet, totumque inter ſe ita cooptatum, taliſque proportionis eſt, ut motus regulares eliciat, ac proinde ex illis diſparibus partibus quædam Machinæ exſurgant affabre exſtructæ, & miro artificio elaboratæ, & hæ Machinæ animalia vocantur, quorum membra ita inter ſe diſpoſita & proportionata ſunt, ut omnia in totius utilitatem conſpirent, & ad unum motum diverſa ratione concurrant.

18 Hoc Genus autem animalium diverſæ quoque ſpeciei eſt; ſunt enim aliqua volatilia, alia natatilia, alia greſſilia,

alia

alia reptilia, alia tractilia, quorum numerus ex diverſitate generationis, partium, actionum, aliorumque id genus deſumi poteſt.

19 Omnium vero animalium Nobiliſſimum homo eſt, ad quem cognoſcendum nulla deſcriptione opus eſt. Cum illud ſit, inquit Democritus, quod omnes ſcimus. Quanta autem ſit hominis excellentia, quanta perfectio, ut qui vellet omnes enarrare aut deſcribere, opus haberet maximum implere volumen. Nam hominis præſtantia omne animal irrationale ſuperat, vid. in Tractatu de Anima n. 24. quam nobile ædificium in corpore miris organis exſtructum. Quid capite pulchrius, in quo animus reſidet? n. 87. ad quem contemplandum quid Divinitus relucet, tr. 3. n. 24. unde mente dicebat Tullius 3 Officiorum, nihil homini dedit Deus ipſe divinius

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.

Deſuper enim accedit, immediate productus, & inſpiratus a Deo ad hominem informandum ſpiritus. n. 44. in tract. 3.

Hic clauſit membris animos,
Celſa ſede petitos. Cur

Cur vero ſingula viventia in generalibus quibusdam affectionibus conveniant? & quomodo a non viventibus diſcernantur? ac etiam in quo animalium a plantis reliquarumque exiſtentium vita diſcrepet? diſcernendum reſtat, quæ proprie
20 viva dicuntur. Cum vitæ nomen æquivocum ſit, & vox ſeu nomina ex hominum arbitrio ſunt rebus impoſita, & non a natura, ſecundum Epicurum, ideo diverſæ ſignificationes illius vocabulo attribuuntur. Et ſit

§. II.

Quid ſub nomine vitæ proprie loquendo dici mereatur.

Vita deſumitur a vi, hoc eſt, virtute eſſendi & operandi, non tamen omne, quod vim poſſidet, ſeu quod ad vitam concurrit, revera vivum eſt. Sic ſydera, elementa, metalla, lapides, foſſilia, concurrunt ad vitam, non tamen viva proprie dici queunt, niſi metaphorice ut Ezech. 1. v. 20. *ſpiritus vitæ erat in Rotis*, & alibi *Deo omnia vivunt*, quatenus omnia ſua vi omnipotenti implet.

21 Vita dupliciter ſumitur, una Phyſi-

ca,

ca, altera intentionalis. Vita Phyſico modo accepta conſiſtit in motu ab intrinſeco, non operante motore extrinſeco. Vita intentionalis conſiſtit in formali repræſentatione objecti ſive ſit ab intrinſeco vel ab extrinſeco. Unde iterum ſubdividitur vita, & dupliciter accipitur, ut ſic
22 & ut vivens: Quia vitæ conceptus non tantum animæ, ſed etiam puris & ſimplicibus ſpiritibus competit, ut Deo & Angelis.

Vita autem ut ſic dupliciter ſumitur, in actu primo, & in actu ſecundo. Vita in actu primo eſt ut vivens ſimpliciter, in actu ſecundo, ſunt operationes illæ, quæ ſolis viventibus competunt, ut ſunt intelligere, ſentire, movere ſe, progredi, nutriri, &c. in præſenti vero §. vitam tantum animatam amplectar, quæ animalibus & plantis adnumeratur, quorum corpus organis inſtructum, & ſpiritu vitali animatum eſt, per illa enim organa ſuccus alimentitius intrinſeco regulari motu ad omnes partes devehitur, & augmentat, & ſibi ſimile procreat, ſucceſſivaque individuorum propagatione ſpeciem con-

ſer-

ſervat. Non viventia e contra talem alimenti diſtributionem & materiæ deperdi-
23 tæ reſtitutionem intrinſece non admittunt, ſed per extrinſecam additionem ſuperficialiter nimirum augmentantur, illorum etiam corruptio ſeu mutatio ab extrinſeco inchoatur & perficitur, quare etjam nunquam emori dicuntur, bene tamen corrumpi vel immutari, ut in metallis & lapidibus videtur.

24 Vita denique ſub diverſa ſignificatione ſuſcipitur, alia enim vita conſiſtit in homine, alia in ſpiritibus & Deo, alia in brutis & plantis. Aliquando etiam vitæ nomine, ad judicandam ſimplicem exiſtentiam, utimur, quando vivere, pro exiſtere ſumitur: quemadmodum Boethius æternitatem definivit, interminabilem vitam totam ſimul & perfectam poſſeſſionem. Eadem ratione Ariſtoteles Æthnicus animalium vitam illorum eſſe dixit, eo quod vivere deſinant, cum moriantur & in nihilum denuo decidant. Interdum ad exiſtentiam actuoſam, dum ipſum vivere pro agere & operari accipitur, ſic ignis dum flammam emittit, vivere dicitur;

dum exſtinguitur vita privatur. Sic aqua dum ſcaturit, fluitque, viva nominatur, reſtagnans autem mortua. Similiter amor vivus nuncupatur, unde Virgilius Æneid. primo: *vivo tentat prævertere amore.* Et aliquando ad coexiſtentiam aut durationem rei cum altera ſive in duarum ſimul ſubſtantiarum unione conſiſtit; aut unius ſubſtantiæ cum aliquo accidente, ſic hominis vita in Animæ & corporis ne-
25 xu. Vita ergo, quæ in homine conſiſtit, eſt unio ſeu mutuus influxus ſpiritus in corpus, & corporis in ſpiritum, vita autem in anima ſeu ſpiritibus conſiſtit in pura exiſtentia immateriali & motu continuo incorruptibili.

26 Vita vero corporis, quæ eſt mutuus partium ſolidarum in fluidas, & fluidarum in ſolidas partes influxus; qui influxus a jugi ſanguinis circuitu & fermentatione reliquorumque humorum motu conſervatur, quemadmodum ſunt reſpiratio, pulſus cordis, ſanguificatio, ſecretiones humorum, Nutritio &c. quod ſi hæc omnia penitus ſupprimantur, cor-

pus etiam moritur, & ſpiritum abire neceſſitant, & ſic a corpore cedit.

27 Omnes autem iſtius vitæ diſpoſitiones & ſucceſſus in corpore humano & cæteris viventibus, ac ſingulis exiſtentibus rebus, non fortuito quodam moleculaurum vel atomorum concurſu, ut Atheiſtæ ſibi ſomniant, coaliti ſunt, ſed
28 omnia a ſupremo Numine creata ſunt, tam fides quam ratio dictat. Fide demonſtratur Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*, & cap. 2. v. 7. *Dominus Deus formavit hominem e limbo terræ, & inſpiravit ſpiraculum vitæ: & ita factus homo in animam viventem.* Leg. Job. 10. v. 9. & 10. *ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti.* Ratione probatur in Tr. de Anima n. 44. & 45. quatenus creatio ex nulla materia aut eſſentia ſit præſuppoſita.

29 Vita in brutis conſiſtit in motu ſanguinis & humorum, in corpore ſuis organis & ſenſibus tam internis quam externis inſtructo, & convenit cum corporis humani vita, quamvis non in tam perfecta. Vita in quibusdam brutis in quodam mi-

nori effectu caloris reperitur,& ad tactum
noſtrum frigida ſentiuntur, ut piſces,
30 ſerpentes, limaces &c. tamen horum
vita in motu humorum quamvis non
tali ac tanto, præſertim quæ corde deſti-
tuuntur, conſtituitur, & conſervatur.
31 Vita denique in plantis eſt motus in-
trinſecus ſuccorum per tubulos, ut
ſup. n. 1. ab ima ad ſuperiorem usque par-
tem, per quos alimentum per radices in-
tro ſuſceptum diſtribuitur,& conſervatur
vita: absque tamen omni ſenſu & motu
locali extrinſeco, atque ſemper ex ſimpli-
ci proprio ſemine ſine commixtione ſe-
xus, ut in animalibus, progenita, hinc
32 differt ab animalium vita,qui circuitus
ſeu motus ſuccorum, ſi ceſſaverit,
etiam mori dicuntur plantæ, ut in S.Scrip.
leg. *granum frumenti mori*, & *occidit in
grandine vineas eorum.*

33 Quæritur: utrum vita animalium vel
plantarum longior ſit. Reſp. quorundam
plantarum vita longior, quorundam vero
brevior vita animalium, aſt herbarum
breviſſima eſt; arborum autem aliqua-
rum longiſſima; aliquarum vero ut &

fru-

fruticum media. Herbæ fere omnes intra annum pereunt, pauciſſimæ biennium aut triennium attingunt, ut de braſſica, thymo, lavendula, ſalvia &c. fertur. Cedrus omnium longiſſimæ vitæ, adeo, ut vulgo feratur, illas, quas Salamon in monte Libano plantarat, adhuc ut proinde jam multos ultra bis mille annos vivere. Plinius lib. 16. cap. 44. de loto refert, multos ultra 450. annos vitam producere. Quercus attingere ſolet trecentos annos, quæ enim reſinoſioris aut compactioris atque ſiccioris conſtitutionis ſunt, diutius durant cæteris.

§. III.

An vita posſit prolongari? Cur etiam nunc vita brevior ſit prioribus temporibus?

Intelligendum eſt per prolongationem,
quod vita non poſſit prolongari ultra ter-
minum a Deo conſtitutum, affirmante
Job. 14. v. 5. *Breves dies hominis ſunt, nu-
merus menſium ejus apud te eſt: Conſtitui-
ſti terminos ejus, qui præteriri non pote-
34 runt.* Annuente etiam Pſalmiſta 38.
v. 6. *Ecce, menſurabiles poſuiſti dies meos.*
Quamvis itaque vita nullatenus ultra ter-

minum prolongetur, bene tamen a
35 multis mortalibus abbreviatur, & raro aut nunquam attingit terminum a Deo ordinatum. Hinc curſus vitæ talis inſtituendus erit, quo eorum vita (quæ alias indebito modo inſtituitur ac etiam deſtruitur) ultro producatur, & ad terminum usque prolongetur. Cui prolongationi multum quoque contribuit
36 Medicina, ſolertia & prudentia, teſtante S. Script. Eccleſ. 38. v. 1. *Honora Medicum propter neceſſitatem: etenim illum creavit altisſimus, a Deo enim eſt omnis Medella, & a Rege accipiet donationem*, & v. 3. *Altisſimus creavit de terra Medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa*, & v. 11. *Da locum Medico, etenim illum Dominus creavit, & non diſcedet a te, quia opera ejus ſunt neceſſaria. Eſt enim tempus quando in manu illorum incurras.*

Multoties itaque ut ſup. n. 35. homo ſibi abbreviat vitam, & ita impedit longævitatem vitæ, multoties autem protrahit ad terminum usque, uti ſcriptum eſt: *ante hominem vita & mors bonum & malum, quodcunque voluerit dabitur illi* Eccl.

15. v.

15. v. 18. & Gen. 20. v. 7. *nunc ergo redde viro ſuo uxorem, quia Propheta eſt: & orabit pro te, & vives: ſi autem nolueris reddere, ſcito, quod morte morieris tu, & omnia quæ tua ſunt.* Quod etiam infert, hominem eſſe liberum ab objectis & paſſionibus, & a Dei compulſu. Actus peccaminoſi, qui non poſſunt eſſe absque culpa contra Deum, non ſunt decreti a Deo, nec facti immediate.

Terminus denique ſeu numerus annorum ſingulis hominibus ſtatutus eſt in communi & in ſpecie. In communi, ut dum ætatem univerſalem conſtituit, duraturam per annos 120. infra n. 38.

37 Cur autem univerſaliter in hunc numerum breviorem retraxerit annos? & moderno tempore non tamdiu ætas extendatur? ut priſcis ſæculis Moyſaicis. Vitia humana in cauſa erant n. 40. a principio enim creationis hominis ad hæc ſæcula terminus vitæ multum mutatus, & de facto multo brevior prioribus temporibus eſt. Prioribus enim ſæculis, quemadmodum ex ſacris litteris abunde patet, terminum vitæ humanæ ad milleſimum

prope annum extenſum fuiſſe. Ita vixit primus noſter parens Adam annorum 930. Gen. 5. v. 6. Seth filius ejus loco Abelis 912. Enos filius Seth vixit 905. Cainan filius Enos 910. Malaleel 895. Jared 962. Henoch 365. & a Deo in cœlum ſublatus. Gen. 5. v. 24. Mathuſalach filius Henoch vixit 969. Lamech 777. Noe filius Lamech, ætatis ſuæ 500. genuit tres filios, Sem, Cham & Japhet. Tempore diluvii erat Noe annorum 600. & poſt diluvium vixit adhuc 350. Poſt diluvium longævitas vitæ humanæ ad 438. imminuta eſt. Arphaxad, Salach 433. Heber 464. imo terminus vitæ ad ducenteſimum annum reductus eſt, ut Peleg vixit 239. Regu 239. Sarruch 230. Nachor 205. nec diu ſic manſit, nam Gen. cap. 6. v. 3. *Dixit Deus, non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Vixit qui-
38 dem Abraham 175 Iſaac 180. Jacob 147. Joſeph, Ægyptiorum Princeps 110. Levi, frater Joſephi 137. Moyſes 120. Joſua 110. David vix 70. evaſit annum. Simeon Propheta 90. S. Joannes Apoſt.

93. Lucas Evang. 84. quas ætates adhuc hodie pluribus in locis & Regionibus homines attingunt. Attamen major pars hominum ante ſenectutis annos e vivis excedit, & magna intra temporum ætates differentia eſt, ut quos hoc ævo longævos vel ſenes conſpicimus, tales in primitiva hominum multiplicatione juvenes exiſtebant. Cauſa vero præcipua longæ-
39 vitatis vel brevitatis vitæ fuit homo: uti ſupra Gen. 6. v. 3. ideo Deus annos vitæ imminuit, & breviorem terminum conſtituit. Si vero Adam & Eva cum ſuis poſteris in ſua mentis rectitudine & innocentia perſeveraſſent, in æternum vixiſſent, ob tantam in ſui creatione vitæ, ſanitatisque perfectionem, partiumque corporis robur acceptum. Ante peccatum Adami matrimonii conjugio juncti erant Adam & Eva, ob finem, nempe prolium propagationem, ut refert D. Auguſtinus ex Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Quamprimum enim creavit Deus Ada-

mum & Evam, dixit ad illos, imo juſſit: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, & ante lapſum in ſtatu innocentiæ erant, quoniam quamvis actus generationis ab omni impuro libidinis ardore, & concupiſcentiæ fomite fuiſſet alienus, in illo enim ſtatu innocentiæ in Paradiſo, omnes etiam viri & fæminæ generationi dediſſent operam, & nemini cælibem vitam egiſſe ſomniaſſet, quoniam in commixtione non modo nullum adfuiſſet crimen, ſed meritum potius, & hoc non parvum ex propagatione divinarum imaginum; igitur virginitatem ſervare, fuiſſet opus inutile, potius & otioſum, imo qui illam conſervare contendiſſent, inobedientes potius extitiſſent verbo Domini, dicentis: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram* Gen. cap. 1. v. 28. Quam primum autem de prohibito fructu comederunt, ſicque Divinum præceptum nefando ſcelere transgreſſi ſunt, e Paradiſo expulſi fuerunt, tunc ſtatim mors introducta fuit, hominesque fragilitati ſubjecti, leg. Gen. cap. 3. v. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, de quo præceperam tibi*

bi, ne comederes, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es & in pulverem reverteris. & Eccleſ. cap. 25. v. 33. *a muliere initium factum eſt peccati: & per illam omnes morimur.* Terminus ita-
40 que vitæ, qui modo multo brevior prioribus temporibus, propter peccatum introductus & abbreviatus eſt. Deus enim propter peccata noſtra transgreſſa, aut transgreſſura prævidens, terminum vitæ imminuit, ut leg. Pſalm 88. v. 46. *Minoraſti dies temporis ejus.* Item Pſalm. 108. v. 8. *Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter, filii ejus fiant Orphani* &c. & licet ſit terminus 120. annorum, verum hic ipſe terminus hodie rariſſime attingitur, qui ſi attingitur, a duplici cauſa fieri exiſtimo. Prima cauſa ſola Dei bonitas & miſericordia eſt, ſecunda cauſa varia & multiplex oritur, nimirum naturæ bonitas, ſeu firma conſtitutio & ſoliditas in partibus corporis, dein ſimplex vivendi ratio, Diætaque ſalubris & exacta, quæ conſiſtit in 6 rerum non naturalium uſu, tandem vita pia & reli-

gioſa. Promiſit enim Deus fidelibus & piis hominis, pœnitentiamque agen-
41 tibus diuturnam vitam: & ita in ſpecie cuidam breviorem, cuidam longiorem numerum dierum ponit, ſecundum beneplacitum ſuum Divinum, uti nimirum homines promerentur, & ſecundum normam vivendi vivunt, ut leg. apud Pſalmiſt. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* & apud Moyſem, *bonora Patrem & Matrem, ut ſis longævus ſuper terram*, ita Eccleſ. cap. 3. v. 3. & Deut. cap. 4. v. 40. *Cuſtodi præcepta ejus, atque mandata, quia ego præcipio tibi; ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi*, & Pſalm. 91. v. 13. & 15. *Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient.* Si ad ſalutem & Dei gloriam protrahenda
42 vita eſt. E contra, ſi Deus providerit, utiliorem eſſe maturam mortem piis & fidelibus, eripit illos citius, ut Iſaiæ c. 57. v. 2. *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulavit in directione ſua.* Pariter lib. 1. Reg. cap. 22. v. 18. Item Sap. cap. 4. v. 7. *Ju-*

Juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, ita obſervavit S. Chryſoſtomus hom. 9. de occiſione puerorum in Bethlehem: *Forte hi pueri non erant futuri boni, ergo beneficium fuit illis mors accelerata.* Facit enim pietas & legum Di-
43 vinarum obſervatio; ut a Diætæ erroribus abſtineamus, ac etiam ut ſorte noſtra contenti vivamus, felix ille, qui ſua ſorte contentus, inducit nos ad concordiam cum proximo, nos mites & humiles efficit, ac a morbo immunes conſtituit, ut ſup. n. 36. ante hominem vita & mors, &c. & Numer. 21. v. 8. & 9. *Locutus eſt Dominus ad eum, fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum vivet* &c. attamen utcunque mortem maturam nemo ſanæ rationis expoſcit; ſed tantummodo vitam, de qua Owenus:

Vivere quisque diu, quamvis & egenus & æger.

Imo Divinus Plato ajebat, natura mortalis ſemper immortalis eſſe pro viribus nititur, & David ipſe precatus Deum Pſalm. 101. v. 25. *Ne revoces me in dimidio dierum meo-*

meorum &c. ideoque protrahitur vita ad terminum & demitur etiam ante ter-
44 minum. Protrahitur ſi ſecundum præcepta Divina quam etiam Diætetica vivimus, demitur autem,& abbreviatur,propter peccata noſtra, & inordinatum vivendi ſtatum, de quo magnam reddemus rationem, & ait Job. Cap. 15. v. 33. & 34. *Impius, antequam dies ejus impleantur, peribit, & manus ejus areſcent. Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus ejus*, &c. Quandoque etiam demitur ex proviſione Divina ut ſup. n.40. Curſus quo-
45 que annorum hominum brevis redditus eſt, quatenus homines præmature nubere inceperint, eatenus ſibimet & proli naſcituræ nocent.Sibimet enim corpus enervant, ſpiritus diſſipant & frigiditatem mortis alumnam comparant, unde ſemen fit debile, paucum, aquoſum, & cum affectus aſſimiletur cauſæ, ac ſecundum Hypoc. omne animal ſecundum parentes naſcitur. De quibus Horatius in Odis:

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum

Vir-

Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquillæ columbam.

Igitur præcipuum ætatis tempus aſſigna-
46 vit Solon, quo uxor ducenda, ſic

Quarto ſeptenario quisque præſtantisſi-
mus eſt.
Robure, ipſique viri ſigna virtutis edunt:
Quintus maturum jam virum nuptias
moliri ſuadet
Et liberorum ſuſcipere poſteritatem.

Hinc Ariſtoteles 7 Polit. vir generat ante ter ſeptimum annum, ſed debile; & imperfectum. Et alibi de Hiſtor. animalium, virorum etiam corpora magnum in creſcendo detrimentum capiunt, ſi tunc, cum ſemen augetur, venereis rebus utantur.

47 Fæmina quoque non nimis juvenis & non minor nata 18 annorum, tunc enim menſtrua ſatis fluunt, uterus eſt capacitate ampla dotatus, vires ſunt perfectiores, nam ex fæminis junioribus & debilioribus genituræ quoque debiles prodeunt, ex robuſtioribus e contra fortiores. Juniores etiam in portu citius vita periclitantur, & majoribus doloribus afficiuntur, ac etiam ad œconomiam raro habiles perficiuntur. Cur-

48 Curſus annorum etiam brevis redditur, & terminus vitæ raro aſſequitur, quoniam multi homines ea non callent, quæ ad vitæ protractionem neceſſaria aut impedimenta eſſe poſſunt. Apud multos quidem protrahitur vita ad aliquot tempus, illo vero tempore vix non toto valetudinarii & miſerabiles exiſtunt, ſibi bene appropriantes, text. Job. c. 14. v. 1. *Homo de muliere natus brevi vivens tempore, multis repletur miſeriis*, vel David Pſ. 99. v. 10. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis 70 anni, ſi autem in potentatibus, 80 anni, & amplius eorum labor & dolor.* Aſt inquiunt quidam, quid prodeſſe ea calere, aut ſe 6 rerum non naturalium Regulis Tr. 2. n. 2 adſtringere; propterea non citius illos mori, quam qui ſecundum illorum Regulas vivunt, & etiam opponunt, qui medice vivit, miſere vivit. Vel potius fidem attribuunt quibusdam aſtrologis, qui ex aſpectione aſtrorum & fato, futura quædam, quæ ſoli Deo nota ſunt, vaniſſime ſuſpicantur, ac temere vaticinantur, qui ſi ſemel verum dixerint, ac centies aut millies falſum evenerit (non qui-

quidem, quod ex aſtris illud viderint, ſed
quod ſapientiſſima Dei providentia ab æ-
terno ita diſpoſitum, ipſi caſu fortuito te-
tigerint) jam hujusmodi creduli, fidem
eorum prædictionibus habent, eo quod
unicum iſtud, quod forte evenit, atten-
dant, & mille alia falſo prædicta prorſus
non conſiderant. Talibus itaque præ-
49 dictionibus aut fatis non tuto creden-
dum, cum non tam certos de longa
vita nos reddunt, quam quæ nos edo-
cent ſacræ paginæ, & regulæ diæteticæ, ut
ſupra no. 43. & 44. nos inducunt in talem
bonum modum vivendi, quæ ad vitæ
longævitatem, & æternam felicitatem
conſequendam neceſſaria ſtatuuntur. In-
veniemus in ſacris litteris, in quibus ex-
hortamur per Eccleſ. cap. 30. v. 26. *Zelus
& iracundia minuunt dies, & ante tempus
ſenectam adducet cogitatus.* Item cap. 37.
v. 33. *propter gulam multi obierunt: qui
autem abſtinens eſt, adjiciet vitam,* & Luc.
21. v. 34. *attendite autem vobis, ne forte
graventur corda veſtra in ebrietate & curis
hujus vitæ; & ſuperveniat in vos repen-
50 tina dies illa.* Quod ſi tam ſacras litte-

ras,

ras; quam cunctas monitiones per Regulas diæteticas ab univerſa venerabili Medicorum caterva præſcriptas, rejiciamus, nec illas nec has ſequamur, mirum non eſt, ſi vita noſtra non attingat terminum à Deo poſitum, ac etiam plus miſera quam ſana & recreabilis exiſtat, nam

Quæ caruit vitiis dulcis ſolet eſſe ſenectus.
Contra moroſa eſt, quæ vitioſa fuit.

Vel raro tempus etiam breve noſtræ vitæ pertingimus, & ad annos canos raro protrahimus, ut dum juvenes ſumus, vel vix vivere inceperimus, jam morti tradimur, ut jam olim Divinus Plato, omnes vitæ humanæ annos, diesque morti obnoxios contemplatus, cum Euripide interrogat: quis novit, utrum vivere non ſit mori? imo non tantum vivere, ſed & naſci, mori eſt. Cui conſentit Owenus

Cor niſi cura nihil, caro nil, niſi triſte cadaver:
Naſci, ægrotare eſt; vivere, ſæpe mori.

Et Cato:

Tempora longa tibi noli promittere vitæ.
Quocunque ingrederis, ſequitur mors corpus ut umbra.

Vix

Vix itaque quidam naſcuntur, paulo
51 poſt moriuntur, vel ſecundum quid,
vel in totum; ſecundum quid, ſi actiones aliquæ vitales a morbo aliquo in parte aliqua ſupprimantur aut deſtruantur. Sic poteſt pars corporis eſſe mortua, non tamen totum corpus, ut in cancro, ſpacelo, & in paralyſi perfecta ratione motus ſpirituum privati. In totum dicitur mori, ſi omnes actiones vitales intrinſecæ & extrinſecæ demantur, & ceſſant. Actio-
52 nes autem vario modo lædi & deſtrui
poſſunt, ac emori. Cujus meminit Owenus

Mille modis morimur mortales, naſcimur uno:
Sunt hominum morbi mille, ſed una ſalus.

Ad vitæ ergo humanæ perfectionem omnis hominum ſcientia ſpectat, vitam autem rectam & planam exornat nati-
53 vitas pro fundamento, educatio pro
confirmatione, diſciplina pro aſſecuratione.

54 Bene naſcitur, qui a parentibus non vitiatis aut debilitatis vel valetudinariis corpore nec animo, non in perturbatio-

ne, nec pravis cogitationibus n. 72. tempore & loco apto ſeminantibus originem habet. A bono itaque conceptionis
55 principio longævitatis vitæ rudimenta exordienda ſunt, de quo in §o ſequenti.
56 Si conjecturare licet, conſtitutio corporis humani, hæc utcunque longioris vitæ eſſe deſcribitur, ut pectus amplum & latum, caro ſolida, humeri incurvi, partes ſuperiores majores, cervix craſſa, vox ſuavis, lenis, magna. Aures amplæ, digiti craſſi, color non plumbeus, ſed medius inter album & nigrum cum quodam nitore, dentium copia &c. cui conſtitutioni plurimum attribuit ſalubritas aeris, perpaucæ curæ, delectus ciborum, incolatio montanorum, caſtitas
57 vitæ: Licet hæc bona conſtitutio naturæ longævitatem vitæ indicet; ſi vero non obſerventur ea, quæ n. 44. dicta ſunt, facile abbreviatur vita.

§. IV.

De ortu & progreſſu vitæ humanæ.

Ut tanto facilius vita noſtra in annos ſanos & ſeniles protrahatur, requiritur firmum fundamentum ad generandum

homi-

58 hominem, illud autem tam a patre quam a matre n. 68. allaborandum & perficiendum eſt, ut dein prolem firmiorem, & longioris vitæ poſſeſſorem generent; generatam bene cuſtodiant & educant ac erudiant, quibus mediis & modis vitam longe proſequantur. Multi quidem homines valente animatoque corpore generantur; luce etiam quadam diuturna fruuntur, vix tamen verum terminum vitæ aſſequuntur, quatenus non ſciunt, aut nolunt ea media obſervare, quibus longævitas vitæ lucratur, quia etſi bona corporis conſtructio & humores laudabiles generati ſint, nihilominus a levi
59 quandoque errore diætæ deſtruitur; uti namque metallum a rubigine, cadaver vel planta a putredine corrumpuntur, niſi præſerventur ab hac & illa: ita & viventia corpora, quæ ad ſui conſervationem per ſe quidem ſatis ordinata ſunt, a pernicie funeſta per multos & plurimos annos ad terminum usque per media ſervata diætetica liberari & cuſtodiri poſſunt.

Multi etiam reperiuntur homines, præſertim ex Magnatibus, Regibus & Prin-

cipibus, atque reliquis plurimis, qui
multa ad longævitatem ſuæ vitæ compa-
rant, raro vero aut nunquam 100 anno-
rum ætatem attingunt, unde hoc, quia
tales eximii viri plurimos diætæ errores
quotidie committunt, non attententes
aut potius contemnentes leges Divi-
60 nas & diæteticas, per quos ſuorum
corporum tenturam deſtruunt, & ita
per exceſſus plerumque repetitos hanc
enervant, ut eam ineptam reddant ad vi-
tales motus alias diutiſſime ſervandos.
Qui ſi denique ægrotare incipiunt, aut a
quodam morbo aggredi ſibi imaginantur,
Medicos convocant, et ſi non ſtatim ab il-
lis ſublevantur & opinio tollatur, eos con-
temnunt, & illico ponunt confidentiam
in quoscunque Agyrtas (quibus Doctoris
aut Medici nomen arridet) ut Chymicos,
Chyrurgos, qui utinam in ſua arte bene
periti eſſent, aut alios circumvagatores,
qui potius falſis artibus & nugis, quam ve-
ra eruditione imbuti ſunt. Imo non tan-
tum hos, ſed etiam vetulas garrulas arceſ-
ſunt, parumque curant, ſi ab eorum
61 non fundata methodo naturæ vires de-
bili-

bilitentur & totaliter deſtruantur aut plane occidantur. Perpendat quisque, quomodo talis Medicaſter ille vel illa ſalutabunt morbum, qui nec morbum nec cauſam agnoſcunt, quid dicam de cognitione vera Medicamentorum, utrum calida vel frigida, in ſe habentia ſal volatile vel fixum, ſalſum vel acidum, vel amarum? utrum emollientia vel adſtringentia ſint, in majori vel minori doſi ſecundum vires naturæ & morbi ſumenda? & revera talis minime erudita imo ſtolida & ſimplex gens, multoties plus placet & honoratur a populo, qui ſtultus honores ſæpe dat indignis: imo ægrotis commendantur ut
peritiſſimi, uti quondam vulpes in ele-
62 ctione animantium novi Regis inter
animalia aſinum pro Rege poni volebat, quem miris jactabat laudibus. Hinc exclamat Muſitanus contra hos, proferendo hæc:

O Vos viles & probroſi, qui nunc medicinam facitis, fortunas hominumque vitam negotiamini, & impune luditis de corio humano, veſtrum ſtudium totum verſatur tantum in cogenda magis pecu-

nia, quam in mortalium incolumitate; & vos eſtis periti Medici nomen indigne gerentes, qui hac impoſtura ditiſſimi evaſiſtis, nec de vobis magis dolendum puto, quia tolerabiliter eſt ſecundum temporum conditionem, ſed quod magis refert, impoſturæ, rapinæ, tot clades, hominum cædes, & homicidia in Republica quotidie plangoribus, gemitibus, lachrimis, & terrificis ululatibus æthera complent. Extrema pauperie familias onerant, incolumitatem depravant, floridam juventam morti tradunt, viro uxores viduant, & parentes filiis orbant, & tamen Medicinam faciunt! Confodiunt, excarnificant, mutilant, & re quaſi optime geſta, & quaſi amplius nullus ſuperſit Magiſtratus, qui tantam malitiam, fraudes, ſcelera, & homicidia ſevere vindicare velit, aut poſſit! Principes hoc intelligunt, vident, ſciunt, nec
63 ipſis etiam proſpiciunt. De quibus refert etiam Palingenius.

Nec elementa artis Medicæ, & primordia libant.

Hinc tumidi incedunt, hinc publica præmia poſcunt:
Id ſatis eſſe putant (nec decipiuntur) ad hoc, ut
Carnifices hominum ſub honeſto nomine fiant.
O miſeræ leges, quæ talia crimina fertis!
O cæci Reges, qui rem non cernitis iſtam!
Vos quibus Imperium eſt, qui mundi fræna tenetis,
Ne tantum tolerare nefas. Hanc tollite peſtem,
Conſulite humano generi. Quot nocte dieque,
Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum?

64 Sed iſti Doctoris aut Medici nomen ſibi indigne aſſumentes ſunt miniſtri, ſcilicet divinæ ultionis executores, ſanitatis & vitæ deſtructores, peccatisque veſcuntur populorum. Quorum meminit Eccleſ. 38. v. 15. *Qui delinquit in conſpectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus Medici*, nimirum talis imperiti. Sunt quidem morbi flagella Dei propter peccata noſtra, ideoque impune proprioque genio fortunas, hominumque vitam negotiantur,
65 dum incerta & periculo plena audent

tentare remedia. Galenus 3 Meth. cap. 16. eorum, quæ ſunt nobis incognita, vera methodus haberi nequit, & tales curant morbum ignotum, & per ſola experimenta, omnia enim remedia per ſolam experientiam inventa fuiſſe credunt, & in omnibus eadem eſſe applicanda. Longe autem aliud de Medicis eruditis, rigoroſe examinatis, ac vere approbatis, qui ſecundum bonam methodum procedunt, ſentiendum eſt, qui etſi quandoque ſuum finem non aſſequantur. Quia

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

66 Aut tota illarum bona methodus inſtructa illudatur a natura, hinc, ſi non prodeſſe poterunt ob culpam naturæ vel alterius impedimenti, ſaltem non nocebunt, quia non turpe eſt non profuiſſe, ſed nocuiſſe.

His ergo viris ſolum eruditis datur poteſtas Medicinam exercendi, & etiam
67 olim in tanto erat cultu, in quo vix amplius erit, ut ex ſuetis litteris habetur: *Nolite me conſtituere Regem, quia ego non ſum Medicus.* Et nunc indiſcriminatim,

& non

& non ſine ſumma artis ſacræ ignominia, multorum ægrotantium damno & interitu, præmiſſa licentia, quæ vix paucis ſolidis comparatur, vilium hominum farrago non tam temere, quam inſolenter in ſacram meſſem falcem immittit. Ea propter Medicorum genus cum Medicina lugente exclamat: Domus mea, Domus medicationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

Sed ut in viam, unde paululum digreſſus ſum, redeam, adeoque ad illud, quo longitudo dierum naturali curſu prætendi poſſit, regimen, properabo. Idque præcipue in 6 rebus non naturalibus inferius dicturis conſiſtit. Supra enim
68 mentio facta eſt, jam in primordio vitæ humanæ, fundamentum bonum ac firmum ſtruendum eſſe, ut vita noſtra prolongari ac magis in conſtantem ſanitatis ſtatum dirigi poſſit. Nam uti tener homuncio ſe nec dum gubernare ſcit, ideoque ipſis parentibus aut eorum locum gerentibus plurimum obeſt, ut tum in procreanda tum in educanda & ad juvenilem ætatem extollenda prole vigiles ſint.

Quamprimum equidem quibusdam genus humanum multiplicare arridebit, ſuamque generationem firmam robuſtamque elicere, ſuum corpus ſanum & quietum ad generationis opus aptum col-
69 locent. Cum alias, qui infirmo ac debili corporis conſtitutione generationis opus aggrediuntur, facile infirmam ſobolem, progeniemque nec grandævam nec robuſtam producent: ita ſæpiſſime obſervatum eſt, ut ebrii parentes, ebrioſos, venerei, libidinoſos.

Non procul a proprio ſtipite poma cadunt. Sic arthritici podagricos, molles & delicati ac etiam languidi debiles, melancholici triſtes, ſurdi ſurdas proles progenuerint; de quibus Mantuanus

Et patrum in natos abeunt cum ſemine morbi

& prænominatus Palingenius

Vel quum corrupto de ſemine gignitur, ipſi
Sunt cauſa ægrorum natorum ſæpe parentes.
Quum male diſpoſiti coeunt, nec ſanguine puro
Sunt aliæ plures cauſæ, requieſque laborque,
Et calor & frigus, ſomnus, cibus, ac Venus:
Singula debilitant vires &c. (*horum*

Ma-

Maritati ergo, quibus cura eſt procrea-
tio ſobolum, cupidinis delicias modi-
70 ficent & refrænent, quia quo ſæpius
ſemen effunditur, eo minus activum
eſt n.45. & 90. in cohabitatione enim ma-
trimoniali parentum maſculini ſeminis
aura maxime ſpirituaſcens & volatilis eſſe
oportet, efficaciſſimoque motu plaſtico
prædita. Fæminini quoque ſpiritus ſub
lætitiæ plena mente ad fœcundandum o-
vulum adjungantur; ita attentis & per
tantam generoſitatem amborum ſpiri-
71 tuum, talia futuri fœtus fundamenta ac
rudimenta ſtatuentur, quæ firmam ner-
voſamque ſingularum partium texturam
erigent.

Antequam autem generationis opus
inſtituatur, vir & fæmina ſani corporis
72 & tranquillæ mentis ſint, non enim
tam pravæ libidinis n. 88, quam gi-
gnendæ, vivacis, vegetæ atque ſalubris
prolis gratia matrimonium, ut magnum
ſacramentum (annuente Paulo ad Epheſ.
5. *ſacramentum hoc magnum eſt*) inire o-
portet, ſi ſuas generationes ad gaudium
& ſolatium ſuum, florentemque perdu-

cere

cere cupiant. Viri præſertim litterati ſpi-
rituum refocillationem prius ante actum
venereum procurent, ut prolificum ma-
gis eorum ſemen ac ſpirituoſum activum-
que fiat. Haud raro accidit a parenti-
73 bus ſapientiſſimis, proles ſtupido & in-
genio imbecilles naſci: quia viri do-
cti, dum coeunt, magnas fere ſemper cu-
ras in mente gerunt, neque animo ſunt
tranquillo, unde mulieres vel non con-
cipiunt, vel conceptus hebetos & pravos
in lucem edunt.

Dum e contra ſimplicioris ingenii de-
bilisque apparentis judicii genitores,
quorum prolifici ſpiritus in majori copia
congregati & robore exiſtunt, multo-
74 ties proles progignunt, eximia capa-
citate gaudentes, qui data & habita
occaſione cælique gratia ad ſummam pru-
dentiam & virtutem, atque ad inſignem
ſplendorem, Reipublicæ eximiam utili-
tatem adferrentes, evehuntur. Hinc fit,
quod multi, de humili plebe, illuſtres
naſcantur; qui per magnas virtutes &
circumſpectam prudentiam nobilitan-
tur, & cum Principibus collocantur.

Quo-

Quorum meminit Pſalmiſta 112. *Suſcitans de pulvere egenum & de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus.* Quis fuit Maro? quis Tullius? quis ſapiens Cato? quis Horatius, quam de media plebe geniti? quis doctus Homerus, quis Pater Demoſthenis ac Euripidis Mater? quis Socratis Pater alius? quam qui marmora fodit, & quot adhuc quotidie generantur Reipublicæ ſumme proficui viri ex rudi & ſimplici ſtirpe, qui ad officia publica aptiores natis nobilioribus ſtruuntur, quorum exempla in hiſtoricis reperiuntur, ita legi de Georgio Fiſcellino, de quo Sigismundus Imperator. Hic namque Vir Juris ſumme peritus ab eodem Imperatore in R. J. Equitem creatus eſt, ut tamquam lux cæteris in ſcientia præluceret, quem vero quondam in Conſilio ſe in equitum ſcamno appoſitum Imperator ita allocutus eſt, quam lepide agis, mi Fiſcelline, qui ſtatum equitum ſtatui Doctorum anteponis, ſcito, me poſſe in una die mille Idiotas in R. J. Equites promovere, ex ſimilibus indoctis autem in mille annis nullum Doctorem efficere.

Unde etiam ajebat Themiſtocles: quid prodeſt, claros habuiſſe avos, ſi nepos ſit obſcurus, nobilitas enim morum ac ſcientiæ magis exornat, quam genitura: & ut Juvenalis (*longo*
Stemata quid faciunt, quid prodeſt Pontice
Sanguine cenſeri &c.

Aſt tanto melius & pulchrius autem eſt, de ſanguine Claro & Nobili naſci, virtute & induſtria conjunctos.

75 Ante congreſſum ergo venereum mens tranquilla omni gravi ſollicitudine privata procuretur, eumque potius antecedant gaudia, joci, amores mutui, nam Coloſſ. 3. *Viri, diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas*, & Epheſ. 5. *ſed diligite eas ut propria corpora.* Fæmina alliciat virum & vir uxorem variis humanarum conſolationum generibus: ut exinde copioſi ſpiritus ad partes genitales & ad uterum determinentur & impellantur, quo impleto & turgido gremio uterus & tubæ Falopianæ aperiuntur, ova amplientur ad avidius ſuſcipiendum & retinendum ſemen viri.

Vir & uxor torum aut hymenæum cele-

celebrantes, nec ſupra modum repleti, neque famelici aut nimis laſſati ſint, nam ſine Cerere & Baccho friget Venus. Nec tempore nimis frigido aut calido ſuſcipiendum n. 80. quodſi itaque congrediantur. Cytherea ab ante amplectenda
76 convenit, nempe pectus ad pectus ſeu abdomen ad abdomen apponere, tam congruum quam conceptioni aptum conſtat. Eatenus enim tam vir quam fæmina majorem voluptatem aſſequitur, & σπέρματις melior ingreſſus. Rationem addit Severinus Pinæus Doctisſimus Vir in opuſculo ſuo aureo Phyſico, Logico, & Anatomico, hæc deſcribens: hic ſinus (de muliebri loquitur) membranoſus, nervoſus, & ubique rugoſus eſt, magis autem in ingreſſu, quam in medio, aut fundo antice veſicam verſus, quam poſtice ad rectum inteſtinum: eſt enim inter utrumque ſitus, quod natura effecit ad majorem amantium & intelligentium voluptatem, ſed adverſim non averſim concubentium: nam inantica, & ſuperna balani parte dorſum penis verſus non modo aſperitatem, ſed fere circularem prominen-

minentiam, ſeu projecturam ipſam poſuit, qua blandus fit attritus, & inde titillatio major, quam ſi averſim pecudum more concumberent. Unde colligere eſt, unicum eſſe naturalem hominibus gratum & prolificum coeundi modum, in quo viri & fæminæ mutuus fit amplexus, & partium genitalium copula aptior, titillatio major, directior ſeminis virilis in cervicem injectio, ad uteri cavum usque, ejusque retentio atque conceptio tutior, propter mulieris ſitum, & uteri, ac ejusdem partium motum aptiores: hæc ille.

Aſt interveniente cauſa legitima modus inverſus conceptioni non obeſt, quamvis delectationi non omnino ſatisfaciat; eſt enim coitus conceſſus primario conceptionis, ſecundario vero libidinis exſtinctionis gratia: quod ſi itaque obſtaculum intercedat, modus inver-
77 ti poteſt v.g. propter metum ſuffocationis vel ſuppreſſionis fœtum, vel propter eximiam pinguedinem viri vel fæminæ, vel alia legitima ratio obſit; tunc enim mulier a tergo (ut Ovidius lib. 3. artis amatoriæ cecinit

Spe-

Spectentur tergo, cui ſui terga placent.)
Sed aliquantulum incurvata cohabitanda, ut rivulus ſaliens in uterum melius tragicatur: Thomas Sanchez Tom. 3. lib. 9. diſp. 16. aliquando ſitus inverſionem omnino culpa vacare probat: videlicet ubi non tam captandæ ſuæ voluptatis gratia accedit, ſed aliqua juſta cauſa no. 77.
78 nec properanter coitus exerceatur ſed feſtina lente juxta monitum Ovidii

Crede mihi Veneris non eſt properanda voluptas.

Ut tanto magis ſpiritus genitales ex utroque ſexu concurrant, & fœminæ magis ſatisfiat, conceptumque ſpirituoſiorem efficiant.

79 Quo vero anni tempore, & quoties coeundum ſit, variæ apud Authores conſtant opiniones, attamen quoad anni tempus, vernum tempus potiſſimum determinatur prolificum, de quo Poeta canit

Alma Venus colitur, venerem omne genus volantum
Sentit, amat blando tempore blanda coli.

& Lucretius:

It Ver, & Venus, & Veneris prænuncius ante.
Pennatus graditur Zephirus veſtigia propter.

De veris tempore Oppianus lib. 1. ſequentes verſus refert:

Vere magis venerea curæ ſunt opera
Feriſque, & canibus, & pernicioſis draconibus,
Aeriſque volucribus, & marinis piſcibus.
Vere quidem bilioſo ſerpens ſuffuſus veneno
Propinquat cubile juxta litus marinæ uxoris.
Vere mare totum reſonat venere,
Et piſces nupturientes furiunt in tranquillitate maris.
Vere etiam palumbes ſaliunt columbas;
Equi vero armentales in equas armantur:
Tauri autem agreſtes in vaccas ruunt,
Et arietes flexuoſi carnibus vere ſcandunt oves;
Et apri dente ignei incumbunt ſuibus:
Et hirci hirſutis inequitant capris;
Quin etiam ipſis hominibus vere magis fervent amores;
Vere namque publica ingruit venus.

Hoc enim tempore Venus magis & vix non omnia viventium genera titillat, quam

quam alio tempore, cum orgaſmus ſanguinis a majore reſolutione ortus & ſeminis plurimum adſit, attamen in hominibus & quibusdam aliis animalibus, etiam cæteris anni temporibus, non multum imminuitur, dummodo quis non excedat & venerem diætam celebret, ſic omni anni tempore ei concubitum temperate exercere licebit, (quibus licet) conſul-
80 tius tamen, ſi in magnis caloribus & frigore ſummo omittatur vel rariſſime perficiatur, quia calido valde tempore corpora ſunt depauperata ſpiritibus, eorumque elaſticitas n. 48. debilitata, ingente frigore vero corpora neceſſe habent ſpiritibus ad frigus facilius ſufferendum ſuperandumque.

Jam quæritur, quoties itaque maritatis coire liceat? Pythagoras quidem reſpondit, toties cum voles, inquit, te ipſo fieri debilior. Succeſſive etiam fit motus ad corruptionem. Hinc Claudianus cecinit

Luxuries perdulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis, bebetat caligine ſenſum,

Membraque Circæis effœminat acrius herbis,
Blanda quidem vultu: ſed qua non deterior ulla
Interius fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris &c.

Et Clotho

Si mundus ſaperet, veneris fomenta malignæ
Sperneret, & vanas corporis illecebras.

Non mirum itaque, ſi quidam matrimonium, ut malum maximum fugiant, ſed utinam ita fugerent fornicatores & adulteri illicitam Venerem, nec illi propterea fugiunt, ut caſtitatem foveant, ſed ſolummodo arbitrantur, quod ſi duxerint, maximum per hoc omitti bonum, nimirum libertatem, ut Paul. ad Cor. 6. *Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier; Ita mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir.* Recordentur autem textus ſacri, ubi Deus hominem ſolum non eſſe bonum
81 dixit, ſed adjutorium ipſi junxit. Nam quamvis fæmina malum moleſtum ſit,
82 neceſſarium tamen eſt, & naturali deſiderio ei adhærere cogimur, ut generationis & propagationis opus adimpleamus, Gen. 1. *Creſcite & multiplicamini, & pro-*

propagate terram. Unde olim nefas exiſtimaretur, qui uxorem & filios neglexit. Lege de hoc divum Platonem. Mercurius Trismegiſtus ſic habet: Liberorum procreationem apud ſapientes præſtans ſtudium in vita eſſe, in extrema vero omnium calamitate, & impietate eos verſari, qui absque liberis e vita decedunt. Ita enim conjugium ab antiquis exiſtimabatur & honorabatur, ut legitur apud Platonem 6 de legibus, ut, qui poſt 35 annum non nuberet, mulctaretur in pecunia & in honore; qui autem conjugium ſuſcipiunt, ex vera vocatione ſancti Spiritus & intentione potius procreandi ſobolem, quam voluptatis gratia ſuſcipiendum
83 eſt, n. 88. & quæ uxor ducenda, ab omnipotente exploranda eſt, Proverb. 19. v. 14. *Domus ac res paterna hæreditate obveniunt, a Domino autem uxor prudens,* de qua Eccleſ. 36. *qui poſſidet mulierem inchoat poſſeſſionem, adjutorium ſecundum illum eſt, & columna,* ut requies, & 26. *mulieris bonæ beatus vir; numerus enim illorum annorum duplicabitur.*

84 Cum autem in matrimonio veneris

 uſus

uſus ob duplicem finem inſtitutus ſit, primo propter prolium procreationem, ſecundo luxuriæ lenimen 1 Corinth. 7. *Propter fornicationem autem unusquisque ſuam* (non ſuas) *uxorem habeat, & una quoque ſuum virum.* Adeoque veneri non abſolute valedicere intelligitur, quaſi ſanitati obeſſet; ſed nimius & frequens coitus nocet, qui naturam debilitat, qui autem moderate & juſtis intervallis eam exercent, quibus nimirum per ſanctum conjugium licet, & absque peccati crimi-
85 ne operam huic labori vacant, n. 72.
non tantum officit, quantum fertilis & ſalubris ſit tam reſpectu viri, quam uxoris, dum corporis vires non lædit, ſed corpori levitatem infert, ac alacritatem, & meliorem illum conciliat habitum, & potiſſimum ætate florentibus, iisque qui calida & humida conſtitutione ſunt, atque ſucculento optimoque corporis habitu conſtantes, iis namque, teſte Celſo, rara venus corpus excitat, imo animum exhilarat, iram ingentem remittit, & plurimas pituitoſas, melancholicasque ægritudines aufert, vertiginem tollit, ſemi-

nis fumoſitates ac vapores a cerebro divertit, ideoque ſalubrius cæteris temperaturis veneri indulgere poterunt, modo intervallo tam longo repetita ſit venus, ut neque reſolutio aliqua inde ſequatur, neque languor, aut dolor, ſed homo exinde quodam modo levior factus ſit.

86 Veneris uſus itaque moderatus ſit, hoc eſt, non nimis ſæpe coeundum, crebra enim ſeminis effuſio infirma & ſterilia reddit corpora, & vitam abbreviat; non etiam præmatura nec tarda nimis ætate incipienda, quoniam præmatura ætate veneri incumbentes, in eam toto ætatis tempore, quamvis non longo intemperantius, ſine fructu agunt.

87 Venus aptiſſima eſt viris maturis ut n. 46., ſed, quot juvenes? vix pubertatem ingreſſi, jam præ cæteris, venereis exercitiis plurimum incumbunt, & dum ad majorem ætatem virilem perveni-
88 unt, & matrimonium ineunt, in eo transactis paucis annis ſteriles & languidi vix ullo ſemine præditi deprehenduntur, perſæpe eorum uxores, luxuriæ deditæ, in aliis plus delectantur, quam in

ſuis maritis. Memorare, quicunque enim es, & uxorem duxiſti, debitor factus es uxori, ſolve debitum aut cede bonis; unde Ovidius de arte amandi

Fœmina quid faciat, cum ſit vir levior ipſa;
Forſitan & plures poſſit habere viros.

Veneris itaque uſum juſto tempore inchoantem & temperantem eſſe oportet, ut legitimo modo, & ſanctis legibus conceſſus exerceatur; non enim illicita venere quiſquam uti debet, ſed tantum coire, ut liberis opera detur, & corporis ſanitati conſulatur, nec quod legibus divinis omnino adverſatur, tentare opus eſt: ita leg. Gen. 38. v. 6 & 7. *Dedit autem Judas uxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar, fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conſpectu Domini, & ab eo occiſus eſt.* At, quæ hæc nequitia, ob quam interfectus eſt, juſſu Dei, a dæmonio; non ſic uſus eſt conjugio, ut ait Cornel. a Lapide: quemadmodum hoc a Deo ordinatum eſt ad prolis generationem, ſed potius hanc impediendo, ut tanto liberius ac ſolutius vacare poſſet libidini. Quicunque tantum libidinis gratia conjugi-

um ſuſcipiunt, *hi ſunt, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos, tales ſeptem viros Saræ, qui ex ordine eam duxerant, prima nuptiarum nocte occidit dæmonium*, Tob. 6. v. 16 & 17. & alibi Tob. 4. v. 13. *Attende tibi fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.* Et Malach. 3. v. 5. *& accedam ad vos in judicio, et ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos; & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Propter luxuriam diluvio perierunt olim omnes (ſolis octo ſervatis) mortales. *Cumque vidiſſet* (ait ſacra litera) *Deus, terram eſſe corruptam* (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noe: *Finis univerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra*, Gen. 6. v. 12.

Jam adhuc notandum reſtat, ſi quidam tarde uxorem duxerint, ſcilicet poſt annum 30 & juventutem continenter transegerint, utcunque tales in annos canos

89 fæcundi manent & ultra annum 70.
in concubitu viriles manent. Unde legitur de Nauclero, qui nuptiis interfuit cujusdam annorum 100. qui ſponſam 30 annorum natam ſuſcepit, ex qua numeroſam generavit prolem.

Exhortor itaque omnes ſponſos juvenes, ut raro concumbant, quoniam rarius coeuntes plus ſeminis ac ſpirituum obtinent, & conſequenter majorem experiuntur tentiginem ac titillationem; per
quam voluptuoſa recompenſatur ſen-
90 ſatio. Hinc non ſemper in eodem le-
cto quamvis uno cubiculo jaceant, 1 Corinth. 7. v. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Qui enim nimium uxorum thalamos premunt, progenerant proles imbecilles & deformes ac valetudinarios, ex nimia & frequenti effuſione ſeminis, n. 45. illud fit modicum, aquoſum, ſpiritibusque orbatum, ex quo non niſi imperfectus exſurgit infans. Quale ſemen tale germen. Non mirum etiam, exinde vi-

tam

tam brevem reddi, parentes enim, aſſidue
Clinopolim exercentes, frigidiores at-
91 que imbecilliores evadunt. Dein ex
nimis frequenti actu venereo nauſea
oritur, & unius perſonæ contemptus,
nam rara venus voluptatem accendit,
contracta conſvetudo ſeu frequens coi-
tus illam extinguit ſeu contemnit, unde
multi viri & uxores ruunt in ſcortilla fœda,
ac pellaces, friabolaresque mulercu-
las. Proch itaque hominum cæcitas, qui
brevi ac momentanea fruuntur voluptate
venerea, exinde vero vitale bonum, quo
non eſt ſub cælo optabilius quicquam,
contendunt, peſſundant, nempe in im-
moderata concupiſcentia, atque cataphe-
ria, Avicennas lib. 3. ſect. 2. tract. 1. cap. 2.
prudenter ſcripſit. Et coitus quidem fa-
cit velociter pervenire eum, qui pluri-
mum eo utitur, ad infrigidationem ſui
corporis, & reſolutionem caliditatis in-
natæ, & mortificationem virtutis. Eo-
92 que intemperato uſu breviter debile
redditur ſenium, idque infirmum,
membra flaccida fiunt, crura languent,
ut Cornelius ſenex factus de ſe fatetur,
nec

nec ad venerem nec ad alia amplius aptum eſſe.

Mentula feſtorum cultrix operoſa dierum,
Quondam divitiæ, deliciæque meæ.
Quo tibi fervor abit, per quem feritura placebas?
Quo tibi criſtatum, vulniferumque caput?
Nempe jaces, nullo ut quondam ſuffuſa rubore:
Pallida, demiſſo vertice, nempe jaces.
Nil tibi blanditiæ, nil dulcia carmina proſunt:
Non quicquid mentem ſollicitare ſolet.

De his enim & aliis utcunque in ſenio conſtitutis merito venus valedicenda eſt, de quibus etiam Cicero ajebat: Luxu-
93 ria omni ætati turpiſſima, ſenectuti fœdiſſima eſt, ſenex ſibimet & prolibus nocet, quatenus ſenectus jam ipſe morbus eſt. Tanto peius adhuc eſt, ſi ambo genitores ſenio conſtituti & a venere conſumpti proles procreant, qui utcunque languidi deprehenduntur n.58. unde Sara reſpondens Angelis, *poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo.* Ita abhorrebat Venerem apud ſenem Eccleſ. cap. 25. *Tres ſpe-*

cies audivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum, pauperem ſuperbum, divitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatum. Et quidam Poeta hæc canebat:

Militat in terris omnis amor hoſpes amœnus:
Eſt in canitie ridiculoſa venus.

94 Quæritur jam, an diei vel noctis tempore coeundum ſit? Reſp. cum magno Principe Hypocrate: Auroræ tempus optimum & magis congruum eſſe, nempe finito primo ſomno poſt 4 aut 5 horas peracto, tunc enim digeſtio ciborum utcunque executa eſt, mens curis libera, ſpiritus abundantiores & promptiores ad generationem. Poſt quem celebratum hymenæum laudandi ſunt illi viri & mulieres, qui ſtatim a venere genitales partes ſiccant, vel urina aut alio liquore abluunt virile membrum; ſolent enim quædam ſordes genitalibus adhærere, quæ ni tollantur, perſæpe facili contactu puſtulas inducunt benignas vel malignas.

95 Dein etiam ut finito coitu vir & fæmina per unam alteramve horam iterum dormiant, ut ſpiritus refocillentur, & fæmina ſemen inſperſum diutius retineat, con-

conceptio magis figatur per quietem.

Quod ſi autem contigerit, obſtaculum
aliquod interveniſſe, ut una caro fiat,
96 vir a fœmina abſtineat; tale autem eſt v.
g. ſi vel vir vel fœmina gonorrhœa vel
albo fluxu maligno affecti ſint, vel ſi fœmi-
na fluxu menſtruo laboraverit, tunc ſibi
caveat vir, ne accedat fœminam in menſi-
um fluxu, quia exitialis omnino eſt, tum
iis, qui commiſcentur, tum fœtui; & ſi for-
te menſtruans mulier conceperit, plerum-
que invalidum, impurum, vel defectuo-
ſum, aut morboſum, & minime vitalem
fœtum generabit: hac de cauſa Levitic. c.
15. v. 24. interdictum fuit menſtruatio-
nis tempore cum uxore virum coire: *Si
coiverit vir tempore ſanguinis menſtrualis,
immundus erit ſeptem diebus.* Adeoque
parcat vir uxori ante 3 vel 4 dies ante ad-
ventum menſtruorum. Sunt enim jam im-
puritates collectæ, quod ſi mulier ante
conceperit, retinentur, & malo uſui fœ-
tui ſunt. Potius ergo tertio vel quarto die
poſt menſtruorum ceſſationem venus
97 celebretur, poſt hoc tempus plerum-
que fœminæ concipere ſolent.

§. V.

§. V.

De conceptu ſeu genitura, ubi & qualiter exoriatur ac refutatione vermiculorum; & qualiter impregnatæ ſe habere debeant, fœtumque cuſtodire.

Dum itaque vir uxorem conſtringit &
leniter arvum genitale colit pro homine
inſerendo, fiuntque duo in carne una, &
vir ſemen ſuum intra uteri capacita-
98 tem n. 76. ejaculatus eſt, non ſtatim a
mulieris complexu vir ſe extricet, ne
aer in uterum ſubeat & ſemen corrumpat;
ſed lente & elapſo modico temporis ſpa-
tio; Mulier autem digreſſo viro, ſe quie-
ta contineat, cruribus decuſſatis & molli-
ter in altum elevatis, ne motu & declivi
ſitu ſemen ſubito prolabatur, ſed quieti
vel plane ſomno n. 95. ſe committat. Jam
quærere quis poſſet? quisnam ruſticos
inſtruat? quam provida natura. Reſp.
verum eſſe quidem, naturam hos docere:
attamen multoties errores & impedimen-
ta conceptionis, ut Medicis & obſtetrici-
bus patet, in coitu fiunt, ideo ſemper me-
lius ſcire, quam ignorare neceſſaria.

Semen in uterum inſperſum, qualiter
con-

conceptum producat, inquirendum, cum veteres & moderni in ſententia multum differant. Prius autem explicare reſtat, quale ſemen virile, quale fæmini-
99 num illud ſit. Eſt igitur ſemen virile humor albicans, craſſiuſculus, viſcidusque ſpiritu dives, ad fœtus generationem in teſtibus ſequeſtratus & elaboratus, & in veſiculis ſeminalibus ad uſum conſervatus n. 84. Materia ſeminis duplex eſt, una craſſior, altera ſubtilior ſeu
100 ſpirituoſior, quæ ultima ſola in congreſſu maris cum fæmina ſemen materiale aut ovulum muliebris fœcundat, & pars craſſior poſt omnem coitum iterum excidit.

101 Semen vero materiale muliebris eſt ovulum, apparens ſub forma veſicularum, magnitudinem piſi minoris æquantium, limpida lympha turgidarum, cui lymphæ corpuſculum aliquod ſolidioris & fibroſæ magis compagis innatat, quod ipſum rudimentum eſt totius hominis, quod promiſcue mares & fæmellas in cicatriculis jamjam delineatos tenet, vid. Tr. 3. n. 70. pro ut omnipotentis numinis juſſu

juſſu plaſticus maris impingit ſpiritus in ovulum unum, aut plura, quæ fæmellam aut maſculum intus habent concluſa.

102 Collocantur autem hæc ovula in teſticulis ſeu ovariis mulierum utero annexis. Quæ ut clarius intelligantur, quibus ocularis experientia deeſt, conſulant Anatomicos modernos, ubi videbunt, quomodo utero hæc ovaria per ligamenta appenſa ſint. Hæc autem ova in teſticulis diverſo ſub numero comprehenduntur, & ſingula ſuis involucris, ex quibus dein placenta, chorion & amnion excreſcit, poſt conceptam genituram, ſuntque vaſis ſanguiferis inſtructa, quibus teſtibus intus annectuntur & nutriuntur, qua de re, nullo modo fæmina in coitu vel in alia ſibimet facta titillatione ſemen emittit aut effundit, ut vir, inde quocunque modo, nunquam pollutionem patitur.

Si pollutio ſeu ſeminis effuſio in fæmi-
103 nis negatur: Cur ergo mulieres in congreſſu viri per fricationem virgæ virilis aut alterius inſtrumenti facti, vel propriis digitis ſibimet ipſis titillationem

& voluptatem cauſantes humorem ſæpe copioſum inſtar ſeminis ejiciant. Reſp. iſte humor, qui in quacunque fricatione vaginæ uterinæ & clitoridis magis vel minus excernitur, non ſemen, ſed ſerum pituitoſum molli & leni compreſſione excretum, quod ſerum ſemper tam juvenculas quam ſeniores vulvas in majori vel minori, in coitu autem & alia facta fricatione vulvæ, quam maxima quantitate irrorare ſolet, tam pro lubricatione vaginæ uteri, quam viris pro majori delectatione inſerviendo, quæ itaque non effundendo aut polluendo ſe, ſed per ſolas venereas illicitas cogitationes per excretionem dicti humoris vias ſuas reddunt ſordidas; non ſolum corpus, ſed etiam animam coinquinando.

104 Probatur ulterius fæminas ſemine polluente carere. Hoc affirmant exempla fæminarum 40 & ultra 50 vicibus in una nocte ſtupratarum a variis viris, ut hiſtoria Mizaldi refert, de juvencula illa & de Imperatrice Meſſalina & pluribus aliis laſcivis; fæminarum namque ut fragile & concupiſcibile vaſculum libidine inſatu-

ratum

ratum eſt, ſi fœmina ſecundum ductum & inſtinctum naturæ vivere vult, inſatiabile animal eſſe Salomon proferebat his verbis: *Tria ſunt inſaturabilia, infernus, os vulvæ, & terra.* Unde legitur de Cyrene Meſſalina laſciviæ dedita, quæ ad veneris certamen elegit nobiliſſimam ex meretricibus, eamque una die & nocte ſuperavit quinto ac vigeſimo concubitu, cui quidem non multum cedebant Julia Romana, Cælia, Cleopatra maxima amatrix Julii Cæſaris, Canace & Biblis, Semiramis Aſſyriorum Regina, Paſiphæ, Aſtynaſſa & Phylenis, Dyoniſia puella ſupra nominata juvencula, quæ octavo anno libidinis magiſtra facta eſt, de qua verſus ſequentes conſtant

Hic jacet exutis Dyoniſia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter;
Cujus in octava laſcivia ſurgere meſſe,
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Quod ſi longa tuæ manſiſſent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

Has omnes prænominatas in laſcivia immerſas ſecuta eſt Evortilla & plures aliæ fœminæ.

105 Econtra viri, quamvis maxima libidine capti & fortiſſimi natura ſint, prædictis & cunctis fæminis actibus venereis cedere debent, cum raro viri 12 aut ultra 20. actus venereos exerceant, quamvis ſumme venerei, uti tales erant, Octavius Auguſtus Cæſar, Tiberius, Caligula, & Claudius, Nero Æthnicus, qui nec a propriæ matris concubitu abſtinere poterat. Sergius, Galba & Otto Sylvius, Aulus Vitellius, Veſpaſianus, Darius ac Dyoniſius, Xerſe, Sardanapalus, Alcæon, Carcolla, Hercules, Gardianus, Demetrius, & plurimi alii, quorum non ita menifeſta patet notitia, ſed ſub obſcuro pariete eorum flagitioſa vita abſconditur. Et quid tandem cum his & Salomone exclamandum eſt: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*; qui inter 300 concubinas & 70 Reginas, & cum eo multa millia hominum ut nimiam veneream mellis copiam, attamen cuncti plenam vitæ & conſcientiæ amaritiem hauſerunt. De nullo ex his autem conſtat, tot actus venereos perpetraſſe in una die ac nocte, ut de fæminis narratur. Referunt quidem hiſtoriæ, quod

qui-

quidam viri juſto plus naturam ultra vires & ſufficiens ſemen coegerint, Ita quidem, ut in ultimis actibus venereis loco ſeminis, ipſum ſanguinem una cum vita ejiciebant. Ex quali nimia voluptate & effuſione ſeminis per frequentatos actus
106 nimios in veneris illecebris animam
exhalarunt Cornelius Gallus, & Titus Etherius Beltrandus ferrerius Barcellonæ in Hiſpania. Alcibiades in coitu emiſit animam, ſic Tigillinus intra ſtupra concubinarum vitam clauſit. Rhodoaldus Longobardarum Rex, & Spenſippus Platonicus in impuritate adulterii e vita ceſſit, &c. plurium adhuc memorat Senkius Joannes. Quis enumeraret omnes, qui coitu intemperato in lethales inciderunt morbos. Eupolis quidam Niciæ filius Athenienſis prima nuptiarum nocte thalami ruina una cum uxore oppreſſus, paulo poſt periit, quorum Ovidius recordatur

Sit tibi conjugii mox prima noviſſima vitæ,
Eupolis ut periit, & nova nupta modo.

Illi ſeptem viri Saræ Raguelis filiæ omnes nimia cupiditate accenſi, dum deſponſa-

tæ virgini adhærere voluerunt n. 88, neci traditi ſunt : ecce quid evenit ex crebra aut prænimia voluptate venerea, dolor, ignominia, luctus, interitus, propter voluptatem nimiam & improbam omnis æquitas corrupta, omnis lex violata. De his Andrellinus hæc concinit :

Te duce non ulli quamvis obnoxia culpæ
Jam rea, mentito teſte, Suſanna fuit.
Cæditur Urias veri ſub imagine belli,
Ut David optata poſſet amante frui.
Sanctus monſtrifera dum jura libidine fœdat
Corruit in rapidas Gomora verſa faces.
Te Duce fraternis foſſus cadit ictibus Hamon,
Cumque ſuo Sichen patre necatus abit.
Perdidit invictus per ſe ſua robora Sampſon,
Obruit evulſa ſeque ſuosque domo.
Carpit Holophernes altum dum nocte ſoporem,
Heu malo fæmineo cæſus ab enſe jacet :
Adde quod Herodes furiis agitatus iniquis,
Non leve ſuſpecti crimen amoris habet.
Ipſe etiam Salamon populo ſapientior omni
Obtulit externis ſacra nefanda Diis.

Viris denique omni tempore pernicioſa, illi-

cita & exceſſiva venus, ut Sapient. 15. habetur, *malorum amatores digni ſunt morte*, & Rom. 6. *Stipendia enim peccati mors*, & Eccl. 44. *Vere enim mors peccatorum peſſima.*

Ex his ergo ſupra enarratis patet, quod
fæminæ nunquam aut rariſſime pro-
107 pter actus venereos exceſſivos & in-
clinationi ſuæ ſatisfacientes a morte
ſuppreſſæ fuerint, niſi ex metu & pudicitia in coactis & defloratis obſervatum eſt: quæ ſi vero ex voluntaria cupiditate ſe viris plurimis proſtituerint, exinde vix aliam, quam vulvæ intumeſcentiam contraxerint. De tali exemplo ſolus audivi quondam in judicio mavortis, quæ accuſandæ venerant turbam militum & expetendæ mercedem a militibus promiſſam, quæ autem baculo ſolutæ erant. Ex his una a quadraginta militibus in una nocte ſtuperata erat, exinde vero nullum aliud gravamen, quam quod laſſata & ob tumorem genitalium contractum vix incedere poterat, advertit, nam etſi fæminæ laſſatæ raro vero ſatiatæ viris ſunt, ut Juvenal ait ſatyra 6.

Et laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

A viro quocunque certe nunquam tot a-

ctus venerei ſine vitæ periculo committi poterunt, quia etſi vir minore etiam voluptate venerea, quam fæmina mul-
108 ceatur: attamen cum a viro ſemen non a fæmina ejiciatur, & movendo ſe magis incaleſcat, agiteturque vir, quam fæmina, inde majus virium diſpendium patitur quam fæmina. Imo fæmina a viri ſemine ſpirituoſo roboratur, quod Hippocrat. lib. de genitura ſignificavit. Mulierum uteros in coitu incaleſcere, totumque corpus melius habere aſſeverat. Jam ulterius de conceptu.

Dum ergo fæminæ ovaria rite ſunt diſpoſita, & congreſſo viro ejus ſemen in uterum aut etiam in ſolam vaginam in-
109 jectum eſt, ſubtilior ejusdem pars tubam unam vel utramque Fallopianam motu ſuo veloci & ſpirituoſo intrat, cujus ſuperficiem internam blande titillat, titillando ſpiritus fæminei advolant, & tubæ fibras tendendo eam verſus teſticulum incurvant, expanſisque in muliebre fimbriis, illamque ita teſticulo applicant, ut foramen in ejus medio correſpondeat alicui ovo, quandoque in utroque latere, &

non-

nonnunquam pluribus: hinc aura ſeminalis viri tranſit per foramen in parte anteriori membranæ teſticulum obvolventis, & ulterius per propriam ovi membranam in ſubſtantiam interiorem ſeu albugineum liquorem, quem ſua activitate exagitat, atque expandit: in qua agitatione & intruſione atque expanſione formalis conſiſtit conceptio.

Quomodo autem ulterius partium delineamenta a ſummo rerum condito-
110 re in prima mulieris creatione produ-
cta, & ſimul infinito nobis numero poſita ova, una maſculini, alia fæminini ſexus contenta ante ovi fœcundationem jam exiſtentia poſt conceptum ſpiritum genitalem augeantur & nutriantur, ovulumque ad uterum proveniat, ibidemque nutritionem & augmentationem proſequatur in lib. Inſtit. Medic. & Anatom. Neoter. ſatis fuſe explicatur.

Quot autem diebus ovum jam fœcundatum in uterum detrudatur. Dico il-
111 lud poſt paucos dies nempe 4 aut 5to
die contingere: ita Hippoc. noſter lib. de natura pueri textu 4 annotavit in can-

 tatri-

tatrice, quæ genituram ſex dierum perdidit. Ovum itaque fœcundatum ab ovariis in uteri cavitatem 4 aut 5to die detruditur, ibique per jugem motum ulterius ejusdem delineamenta aura ſeminali perficiuntur, ſpiritus enim maſculi, qui eadem delineamenta perfluit, ipſa ſenſim expandit, quibus expanſis pori dilatantur, atque humor præfata delineamenta interfluit preſſus ab eorundem pororum lateribus, per dictos poros cedit partim in delineamentorum cavitates per easdem ſpiritu genitali circulariter moveri incipit, partim impenditur laterum ſubſtantiæ, quæ inde perficitur, atque firmatur.

Ex dictis elucet, quod in his prædictis ovulis fæmineis delineamenta totius corporis humani præexiſtant; nequaquam autem in vermiculis in virili ſemine natantibus & ad uterum depoſitis. Imo in illis ovis non tantum totus fœtus delineatus ineſt, ſed inſuper adeſt liquor alibilis, qui ad fœtus nutritionem impenditur; conſtat enim ovum duplici intrinſeca ſubſtantia, una alibili ad tempus; altera conſiſten-

ſiſtentia rudimentali ut n.101. totius fœtus. Idque involutum eſt membranis Amnion & Chorion dictis, n. 102. In principio conceptionis quidem uniusmodi pellucida ova & in confuſa quadam maſſa, velut complicatæ membranæ eſſe videntur, cum tamen revera per ſe ſingulæ præexſtiterint, & evolutione tantum indigeant, ut conſpicuæ fiant. Hujus autem liquoris uterini, varia in diverſis animalibus conſiſtentia eſt.

112 Unde autem hæc ſententia oriatur, quod ex vermiculo homo naſcatur. Author hujus fuit D. Antonius a Leewenhœck, qui per microſcopia ſe vidiſſe aſſeverat in ſemine brutorum ac hominum ingentem minutiſſimorum animalculorum ſeu vermiculorum numerum, ac in unius galli gallinacei ſeminis particula inſtar araneæ magnitudinis plus quam quinquaginta millia ejusmodi animalculorum reperiiſſe, in forma externa anguillas fluviatiles referentium, ſeſe vehementiſſime moventium & natantium. Et ſic etiam in aliis animalibus, in gliribus, ranis, piſcibus, canibus, ita quidem: ut

ut non verebatur aſſerere, numerum animalculorum in canis ſemine reperiiſſe tam magnum, ut centum millia millies eum attingere ſive ſuperare non poſſet. Dein addit, hæc animalcula, quæ ſunt figuræ globoſæ cum cauda longa, in ſemine canino tam exilia eſſe, ut decem centena millium eorundem non complerent magnitudinem unius araneæ craſſæ. Hæc animalcula ulterius profert ex duabus generibus conſtare, nempe maſculinis & fæmininis, quæ tum ejaculantur una cum liquore virili ad uterum. Vermiculum unum aut duos vel plures intrare tubas fallopianas & ovaria, ibique ſe in ova inſinuare & perforare ac intrare, nutririque ex ovo ac augeſcere.

113 Sed nimium paradoxa & aures ferientia hæc fabuloſa & ridiculoſa ſententia eſt, quam omnino falſám jam condemnarunt D.D. Verheyen & D.D. Liſter. Admirantes nempe, quod ex tot millibus vermiculis in omni conceptione ad uterum infuſis, ſemper tantummodo unicus, raro duo, rariſſime plures ad perfectionem deveniant, cæteris ſuffocatis & cum craſ-

ſamen-

ſamento ſeminis ex utero ejectis, cum, ut ipſe fatetur, animalcula illa per ſeptem dies in ſemine canis vitro incluſa, obſervaverit, ſe adhuc ita velociter agitaſſe, ac ſi a cane mox prodiiſſent. Quam indecens itaque foret ex uno homine produci immenſam brutorum copiam (quatenus vermiculos illos non eſſe homunciones affirmat ipſe præfatus inventor hujus opinionis) adeoque omnes homines, excepto Adam & Eva, ex brutis fieri aſſerit.

Hinc concinne quæſtionem movet D. Liſter in ſuis diſſertationibus de humoribus, undenam tot animalcula & quorſum generata ſint. Reſponſum quoque dat, hæc animalcula, ut cætera inſecta generari a ſuis parentibus ſive ab aliis inſectis, nam nihil ſponte naſci cognovit, ita probatur n. 6. 7. & 9. inſectorum autem plurium generum in plerisque corporis partibus naſcentium exempla tam in anatomicis, quam practicis ſcriptis patent. Quia non tantum in ſingulis fere alimentis & potulentis, imo & in ipſo aere latent ova vermium, ex quibus vermiculi generantur, nec ulla noſtri corporis pars reperitur,

quæ

quæ non vermibus ſcatet, ut vere Job aje-
bat cap. 7. v. 5. *Caro mea undique ver-*
114 *minoſa eſt.* Thomas Bartholin. act.
Haſn. obſerv. 21. profert. Verniculo-
rum ferax eſt corpus noſtrum, nec ulla
pars immunis, in capite dolores excitant,
quos exinde excretos, capſulæque impo-
ſitas in templo Hageſtedano in Nobiliſſi-
mi Friderici Friſii loculo ſervatos memi-
nit. Ita Hildanus cent. 1. obſerv. 16. & alii
obſervaverunt in capite. Amatus Luſita-
nus cap. 8. in oculis. Foreſtus lib. 21. ob-
ſerv. 26. Fulpius lib. 4. Horſtius lib. 1. &
alii in naribus. Grülingius cent. 1. obſerv.
79. & alii in auribus. Quot non quotidie
in gingivis, & dentium cavitatibus in con-
ſpectum ſe ſiſtunt, ut Dodonæus in com-
ment. ad Benivennium de abditis morbis
obſerv. 100. Senckius lib. 1. obſerv. 388.
in lingua. Aloiſius Montella dialog. 6. in
pulmonibus, in act Haſn. volum. 3. ob-
ſerv. 56. in pleura & pericardio. Marcus
Aurelius Severinus lib. 4. de Recond. ab-
ſceſſ. 281. & Bonetus Med. Sept. c. 2. ſect.
19. cap. 15. in corde. Mercurialis in lib. 4.
de morbis mulierum, & Ruyſch obſerv.

48

48. Bartholin. lib. I. Anatom. reform. & alii plures in fellis veſicula. Panorollus Pent. 4. obſerv. 1. Foreſtus lib. 21. & alii in utero. Plutarchus & Mercurialis in teſtibus & vaſis ſpermaticis. Hercules de Saxonia lib. 10. & Reuſnerus exercit. I. de ſcorbuto in poris cutis, qui vermiculi alias crinones ſeu ab aliis chirones vocantur. Chriſt. Langius diſput. de Morbillis §. 57. & Borellus cent. 3. & alii in ſanguine. Nicolaus Pechlinus lib. 2. obſ. 18. in urina. Ephem. germ. d. 2. A. 9 & 10. obſerv. 130. in ſaliva. Leewenhœck tandem in ſemine. Quot non in inteſtinis progignuntur, qui non ſolum infantes, quam etiam adultos mordent, in quibus quandoque gravia imo læthalia ſymptomata producunt, vermiculi denique nos vivos torquent, & mortuos conſumunt. Quod autem quoque in ſemine humano vermiculi reperiantur, ut obſervavit D. Ant. a Leewenhœck eidem non negandum, uti refutavit DD. Verheyen anatomicus eximius, quatenus præfatum Authorem a ſenſibus deceptum fuiſſe arbitrabatur, & refert eidem Authori ſors aliter apparuiſſe,

ac

ac fuiſſe a parte rei, quia dicit, ſenſus externos multoties decipi & ſibi imaginari, ac ſi revera ita eſſet: ita illa animalcula imaginaria in ſemine natantia conſpiciuntur in motu veloci exiſtentia, quæ autem tantum particulas eſſe inanimatas in ſemine motas, quæ non ex ſe ipſis, ſed impulſu particularum tenuiorum, ac magis activarum agitantur, nimirum a ſpiritibus genitalibus.

Ut ut autem una cum humoribus ovula, quæ tam in cibo, quam potu ac etiam inſpirato aere per ſalivam deglutita, & ex his calore corporis ad maturitatem reſuſcitata, vermiculi prodeunt, & ad remotas extremasque corporis partes deportantur: ita etiam ad teſtes per vaſa adferentia deferuntur, & una cum ſemine
115 inibi tranſcribrantur, aliqualiter etiam
pruritum venereum ſtimulahtes. Quidein una cum ſemine ejaculantur, aut vero e vaſis ſeminalibus in ſanguinem redeunt, non autem hi vim eidem tribuunt & volatiliſant, uti ſeminis portio ſubtilior & ſpirituoſior, ex qua magnum robur creſcit, imo ob nimiam volatilitatem &

diu

diu congregatum ſemen in ſolidis oriun-
tur intentiones, criſpaturæ, ſiccitates &c.
hinc flatus ſub hypocondriis, hinc alia id
generis quam plurima, niſi ſuperfluiditas
excernetur n. 85. & in Tract. 2. n. 402. ne-
ceſſe itaque eſt, ut æger accedenti medi-
co omnia ſua gravamina bene explicet,
non tam in hoc, quam in multis aliis cau-
ſis morbum parituris, de quibus, ſi Me-
dicus non erudiatur, latente cauſa, ef-
116 fectus erui nequit. Uti autem nullum
vivens ex ſe ipſo naſcitur, ita multo
minus vermiculi, qui ſi futuri homuncu-
li forent, bis adoleſcerent, & duplicem
generationem ſubirent, ſemel ovo in ver-
miculum, dein ex vermiculo in homi-
nem, & homo taliter bis generari debe-
ret, quod hucusque non ullus admiſit,
neque ſponte aut ex natura in virili corpo-
re generantur, alias daretur eorum gene-
ratio ab uno ſexu facta, quod implicat,
omne enim generatum a duplici ſexu di-
verſo oriri debet.

Cuncta etenim animalia perfecta ve-
neris actum exercent ad propagationem
ulteriorem, ut Ariſtoteles lib. de hiſtor. ani-

malium uſum veneris cunctis animalibus tribuit, etſi quædam animalia non ſibi ſimile procreent, de quibus citatus Ariſtot. cap. 16. de generatione animalium ſequentia ſcripſit, inſectorum aliqua coeunt, atque ex animalibus ejusdem generis oriuntur modo eorum, quibus eſt ſanguis, ut locuſtæ, cicadæ, phalangia, veſpæ, formicæ. Aliqua coeunt quidem, & generant, ſed non ſui generis animal, ſed vermiculos tantum, neque ex animalibus procreantur, ſed ex putreſcente humido, aut ſicco, ut pulices, muſcæ, ſcarabei. Jam quæro Ariſtotelis aſſeclas, quid illa materia putrida ſit, ex qua tam certæ generum ſpecies progenerentur? & cur non ex illa putreſcente materia illud educatur, quod erat idem ante corruptionem? Contrarium vero apparet. Si-
117 quidem de putrido generante nec quidquam vivens, multo minus id, quod erat, progeneratur, niſi ab animali quodam ova deponantur, ex quibus dein mediante calore & humiditate progignitur vivens, natura enim ſingulis animantibus dedit coeundi facultatem, & ſpeci-

em

em ſuam, quamvis quandoque ex defectu ſufficientis ſpiritus plaſtici & nutrimenti non immediate perfectam propagandi, ut in quibusdam inſectis advertitur, quæ ab uno in aliud transmigrantur v. g. ſi ex vermiculo muſca, bombyx aut papillio transformatur: attamen ſucceſſu temporis natura in priſtinam ſpeciem redigit & transfigurat, ut iterato generationi incumbere queat, quæ generatio alias transmigratis vermiculis deeſt, quæ ſunt tamquam imperfecta animalia & adhuc quaſi ſub involucro & abſcondito hæc animantia jacent. Quædam autem inſecta & animalia diu in ovo incluſa reſervantur
118 quidem in vel extra putridum, ne brevi ſpatio & temporis injuria, aut fati malignitate univerſo animantium genere mundus deſtituatur. Deus & natura nil fruſtra operantur; inde conſtat, quædam inſecta Arcam Noe non intraſſe, & quaſi periviſſe. Aſt Deus optimus maximus vi peculiari ſingulis in qualibet ſpecie productis animalculis indidit, ut eorum vis prolifica in ovis ab iis animalibus antea depoſitis remaneat: etenim viventium

 ſemi-

ſemina ſeu ova non tam facile corruptibilia ſunt, ut vis genitiva nunquam in mundo pereat. Quo facto in priſtinam naturam rediverunt & ſuperſtites manſerunt, quamvis Arcam non intraverint, quia talia futura animalcula in ovis contenta e terræ latibulis, ubi diu ſeparata absque alimento contineri poſſunt, tandem vi ſolis calore, magnoque naturæ conatu, Deique peculiari arbitrio ad ulterius augmentum capeſſendum reſuſcitantur, & roborantur.

Ex his itaque colligitur, neque homi-
119 nem neque alia bruta perfecta ex ver-
miculo prodire, cum ut ſupra n. 16. dictum, vermiculos ipſos ex ovis impraegnatis prodire, ova autem a fæmellis deponi & prius impraegnari a virili ſemine. Quod ſi tam vir quam fæmina talia ova futuri fœtus in ſe haberent, in quibus delineatus homo aut aliud brutum deliteſceret, certo bis aut duplex homo vel brutum fieret. Dein etiam difficultatem parit eorum imaginaria opinio, homines ex vermiculis transformari, quatenus ex recentioribus anatomicis erudimur, ovum

quod-

quodcunque in ſe continere umbilici funiculum, per quem alimentum fœtui (uti ab animali quodam ovum ſui generis oritur) ſuppeditatur, quod non indigeret, ſi vermiculus, poſtquam in ovum muliebre ſe intruſerat, totam ſubſtantiam ovi per os conſumeret, & ita excreſceret. Nunquam enim duo umbilici in uno fœtu adhuc reperti, nec ſine eo viſi fuerunt, alias neceſſario duo aut nullus eſſe deberet, ſi tam vermiculus quam ova muliebria illa continerent, ſine quo umbilicali funiculo alimentum & incrementum fœtui porrigi nequit. De conceptu quædam adhuc dicenda reſtant.

120 Facto demum conceptu vita quoque immediate exoritur, quamvis non ab anima rationali. Philoſophi quidem aſſerunt ab anima vegetativa & ſenſitiva vitam reſuſcitari: de qua in Tract. 3. de Anima n. 31 & 44. Clarius autem vita explicanda mihi placet in conceptu ſtatim exorta, in perfectione enim ulteriore partium ſeu rudimentorum fœtus omnia ſimul aura ſeminalis ſeu ſpiritus genitalis viri ſuo motu indito vivificat, delineamenta per-

fluendo, & expandendo ; humorque
præfata delineamenta interfluit, ſubſtan-
tiæque laterum impenditur, qui influxus
genitalis ſpiritus inchoans delineamentis
perfectioribus factis cæteri influxus & a-
ctiones naturales protrahuntur & mani-
feſtantur, ut cordis pulſus, nutritio, ſan-
guificatio, accretio, ſecretiones humo-
rum, & reciprocus influxus partium ſoli-
darum & fluidarum, hæ omnes actiones
facto conceptu incipiunt & continuantur
in quo vita conſiſtit, ceſſantibus vero his
vivere deſinit. Dictæ autem actiones
121 & functiones ab anima rationali non
perficiuntur nec ab ea proſequuntur.

Ad operationem tribus modis anima
directe concurrit: primo illam vere pro-
ducendo; uti cogitationes ſuas produ-
cit: ſecundo illam dirigendo; uti vo-
luntarium dirigit motum membrorum:
tertio illam terminando ac percipiendo,
ut concurrit ad auditionem, viſionem, ol-
factum &c. Quæ autem fiunt indepen-
denter a directo animæ concurſu, natura-
les dicuntur actiones, tales ſunt conco-
ctio cibi in ventriculo, ejuſdem e ventri-

culo expulſio & per inteſtina promotio: puri ab impuro ſeparatio; illiusque per vias chyliferas per ductum thoracicum ad venam ſubclaviam introitus, in eadem vena purpura ſanguinis induitur, & una cum eodem in dextram cordis auriculam & deinde in dextrum ventriculum cordis, dein per arteriam pulmonalem in ipſos pulmones, qui ibidem aere imbuitur, deinceps per venam pulmonalem in ſiniſtram cordis auriculam, demum in ejusdem lateris ventriculum translatio: ſanguificatio, nutritio & accretio: ſpirituum & humorum translatio; motus cordis & arteriarum, ſanguinis motus tam inteſtinus, quam progreſſivus, ſanguis etenim vi ſyſtole ex corde preſſus per arteriam in univerſum vehitur & impellitur corpus tam per arterias aſcendentes quam deſcendentes, &c.

Si anima rationalis faceret has omnes actiones, deberet horum eſſe conſcia per ſe, non per aliquam ſingularem inſtructionem: cum vero non ſit ſibi conſcia, debeat judicare, ſe actiones illas non facere; ergo dictæ actiones aut functiones fiunt a

corpore debite organizato, confluentibus ſpiritibus & humoribus. Quot autem diebus a conceptione embryon anima rationali a Deo omnipotente donetur, in tract. 3. de Anima n. 62. exponetur.

Dum itaque mulier ex fertili, læto, ſanoque concubitu n. 68. concepit, omni modo ipſi incumbit, fructum ventris ſui ad ordinarium excluſionis tempus ſeu ad partum usque legitimum alere, & fovere. Id autem feliciter præſtabit, abortumque præcavebit, ſi diæteticas diligenter ſervabit regulas, vid. tract. 2. ubi de diæta 122 agitur. Scilicet ſi aerem ſemper purum inſpirabit; ſi cibis bonæ digeſtionis, non acido ſalſis, aut multum aromatico acribus, neque horæis fructibus, & eſculentis frigidis & conglaciatis, atque nimium ſacharatis onerabit, ſi blandos corporis motus inſtituet, ſomnum non ultro neceſſitatem continuet, & vehementiores animi paſſiones, præſertim terrorem & iram cavebit. Econtra tranquillam, hilarem, patientia imbutam mentem tuebitur; ſi gravida nimium ſanguinolenta 3 aut 4. menſe ex vena una vel al-

tera

tera brachii ſanguinem mittat, omnes enim venæ brachii ex trunco venæ ſubclaviæ oriuntur & continuantur, per quam venam ſubclaviam omnis ſanguis e brachio ad cor revehitur, aut etiam alia ratio ſvadeat mittendi ſanguinem. Si a morbi inſultu tentetur, ſtatim principiis obſtet. Nam ſero medicina paratur. A nimiis refrigerationibus corporis mulier gravida ſe bene muniat; inclinando ſe non ventrem fortiter comprimat, aut brachia valde extendat, conſtipationibus alvi arte ſuccurrat vel juſculo ſeu aqua cocta ex braſſica non ſalita vel levi ſuppoſitorio aut clyſmate, alias conatus magni abortum cauſare poſſunt. Ita etiam exercitatio vehemens, ſaltatio, curſus, equitatio, aut vectio durior, gravioris oneris geſtatio, e terra elevatio, caſus violenter concutiens, ictus ventris fœtum contundens, item abdominis motus vehemens v. g. a tuſſi, vomitu, forti, ab alvi fluxu, ſternutatione nimia & frequenti, convulſione, clamore, præcipue etiam
123 ab immoderata venere. Hinc raro coeundum eſt viris cum imprægnatis,

quia ut Hippocrates refert, de morbis mu-
lierum. Quum autem relatis diebus con-
ſuetudinem habuerit cum viro, ſi probe
parati fuerint uteri, & ſi genituram ad de-
cem, aut quindecim dies detinuerit, ne
adeat virum, quoniam venereo motu exi-
re poteſt ſemen, aut abortiri. Mulieres
itaque prægnantes rariſſimo coitu utan-
tur, quoniam multo facilius etiam pari-
unt, ut videmus in brutis. Maritus ſu-
am gravidam bene habeat, ſemper læ-
tam ac benignam mentem illi offerat, &
de proba illius nutritione ſollicitus ſit;
infanam vero avertere conetur, ita
124 quoque abortum cauſant cibi arden-
ter expetiti et denegati, medicamen-
ta cathartica fortiora, menſes moventia,
partum adjuvantia, item odores tetri;
& præcipue fumus extinctæ lucernæ, o-
mnia denique, quæ cibum fœtui ſubtra-
hunt, ut inedia & immoderata ſanguinis
evacuatio, præcipue dum fœtus eſt gran-
dior, docente Hippocrate lib. 5. Aphor.
30. & 60. vel cum morbi fœtui commu-
nicantur, a quibus extinguitur, vel ita de-
bilitatur, ut conveniens nutrimentum

aut incrementum recipere nequeat, quales ſunt febres continuæ, & intermittentes idem lib. 5. Aph. 55. Item lues venerea, alvi profluvia Aph. 34. Hæmorrhogiæ copioſæ, graves ſyncope, epilepſia, vomitus & teneſmus. Quod ſi gravida ab omnibus his avertetur, infans ſanus & firmus ad maturitatem partus conſervabitur. Felix vero partus ut fiat: famoſa
125 obſtetrix procuranda. Quæ quidem in noſtris partibus perpaucæ reperiuntur: undique enim magiſtratus parum ſolliciti de expertis. Adeoque ſæpe contingit, chyrurgos ad partus modicum difficiles repetere: qui quoque rari ſunt obſtetricalis & anatomiæ ſtudii gnari, hi multoties non chyrurgorum aut obſtetricum, ſed plus lanionum vices ſupplent. Sed Eheu! quis majorem de his latrociniis reddet rationem Domino Deo? quam ſuperiores & magiſtratus. Nullus enim ordo, nulla inſpectio, nulla ſeveritas, nulla diſciplina impenditur, hinc etiam fit, quod jam hoc ævo quævis vetula vult eſſe obſtetrix, quivis barbæ tonſor chyrurgus, quivis Agyrta aut Chymicus eruditus Medicus.

dicus. Famoſa itaque & experta obſtetrix ad partum vocanda eſt, quæ non tantum externam vulvæ; ſed etiam internam uteri conſtitutionem, & fœtus varios ſitus & egreſſus dirigere & promovere quam optime ſciat.

§. VI.

De partu naturali, quot menſibus a conceptionis tempore legitimus ſtatuendus ſit, & de Puerperis.

Cum utcunque multi infantes citius aut tardius in lucem prodire ſoleant, eatenus præfixus naſcendi terminus conſtitui non bene poſſit, præſertim quotidiana experientia edocta: hominem naſci menſe ſexto, ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo, aut duodecimo, nonnunquam ſerius, citiusve; rara tamen ſunt exempla partuum longe ultra nonum menſem delatorum, & ſi quidam rari numerantur, tempus conceptionis factæ ad partum usque non bene computaverunt, aut præternaturaliter factum eſſe potuit.

126 Tempus homini naſcendi a facta conceptione menſes novem moraliter completi determinantur, vel primis die-

bus

bus decimi menſis adhuc legitimus ſtatuitur, ſi non a cauſa aliqua præternaturali partus acceleretur, vel diutius retardetur, qualis in fæminis quandoque occurrit, aliquibus in principio geſtationis, aliis in medio, aliis ultimis tribus menſibus, qui tamen nunquam in ea perfectione naſcuntur, imo tales proles raro ſupervivunt, quam quæ tempus ordinarium menſem nimirum nonum aſſequuntur. A potiori fit denominatio, plurimæ enim fæminæ nono menſe finito, & pauciſſimæ undecimo & duodecimo aut ſerius pariunt.

Terminum nonimeſtrem ipſa Eccleſia Catholica profitetur, qui terminus nonimeſtris continet dies ducentos ſeptuagintaſex: hac ratione mater eccleſia a conceptione Salvatoris noſtri, a die ſcilicet vigeſima quinta Martii, usque ad vigeſimam quintam Decembris, qua ejus nativitatem colit, incluſive novem menſes computat: ita etiam conceptionem B. V. Mariæ diem octavam Decembris, ejusque nativitatem octavam Septembris anni ſubſequentis celebrat.

Inge-

Ingerunt quidam verba Salamonis Sap. 7. *Decem menſium tempore coagulatum fuiſſe.* Reſp. Antiqui habebant menſes lunares, conſtantes diebus 28. & aliquot horis, quales apud Judæos tempore Salamonis recepti fuerunt; Romani vero annum ſolarem confecerunt, duodecim menſibus conſtantem, cujus menſis unus 30 aut 31. die conſtat, unde tempore Machabæorum cap. 7. *Fili, miſerere mei, quæ te in utero novem menſibus portavi*, quod tempus hucusque in plurimis obſervatur.

Quidam authores non ſolum menſem 10. 11. vel 12. ſed etiam decimum tertium uſque ad 19 legitimum eſſe aſſerunt; ita Eſtræ lib 4. cap. 4 Menſe decimo prolem natam fuiſſe refert, ideo ad legitimam hæreditatem admiſſam fuiſſe L inteſt §. fine ff de ſuis & legitim. ita aſſerit ipſe Hippocrat. lib. de partu octimeſtri: Decimeſtres & undecimeſtres partus ex ſeptem quatragenariis eodem modo fiunt &c: undecimo menſe finito prolem naſci & cum illo Sylvius lib. 7. cap. 5. ad decimi undecimique menſis initia hominem genitum profert. Adrianus Spigelius undeci-

decimum 12. 13. & 14tum menſem legitimum ſtatuit. Qui caſus rari quidem ſunt, & ſi aliqui fieri putantur, bene attendendum, ne principium conceptionis decipiat, poſſunt quidem a cauſa præternaturali partus accelerari vel retardari, ſed rarius ultra unum aut duos menſes prolongari. Plinius etiam lib. 7. cap. 5. Guillium Ruffum undecimo menſe natum fuiſſe affirmat. Pomponius 12 menſem legitimat, ita Facultas Medica Ingolſtadienſis olim puerulum menſe duodecimo poſt obitum mariti a nobili fœmina (quæ ſub equi fræno ſe proripuiſſe, ſicq; fœtum retardaſſe prætexebat) in lucem editum pro legitimo habuit, ut e Novell. medico legalibus cap. 3. apparet. Accerſius concluſit 13. menſem valere pro legitimo.

Ad horum omnium allata reſpondeo, forſitan hi viri a mulierculis decepti fuerunt, vel quandoque etiam in his & ſimilibus caſibus aut opus miſericordiæ fit, aut aliquid in favorem matrimonii dici poſſe ſtatuunt: aſt vereatur quisque, ne in foro Poli favorabilia hæc Iudicia tandem irrita reddantur omnia, eorum-

que

que Autores villicationis ſuæ rationem reddere teneantur. Deus enim ter maximus omnia numero, ordine, pondere & menſura creavit: uti enim ſingulos noſtræ vitæ dies habet in numerato ſummus conditor; ita quoque hoc naturalis partus tempus numero dierum certo incluſum voluit, ut profert Sap. 11. *Sed omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti.* & Pſalm. 103. *quam magnificata ſunt opera tua Domine: omnia in ſapientia feciſti.* Quod ſi tamen quantoque præternaturaliter partum prolongari contingat, in naturis enim mirabilia fieri quis negabit? quia multa nobis inſolita apparent ob defectum perfectæ noſtræ ſcientiæ, multa quoque in naturis fieri opera captum noſtrum excedentia, Deoque ita placere arbitrari debemus.

127 Inſtant quidam & dicunt, neceſſum eſſe, ut diutius fœtus debilis maleque conſtitutus geſtationis tempus protrahat, quam ille, cui debitum corporis robur conceſſit natura. Reſp. ad hoc & dico, ſi fœtum ejus debilitas neceſſitaret tempus parturitionis protrahere, tunc tamdiu debe-

deberet occupare uterum, donec ſanior & robuſtior factus illum irritare valeret,& a matre excludi poſſet; ſed contrarium experimur, dum tempus partus appropinquat, ſive ſit debilis, ſive ſanus & fortis infans, in lucem prodire debet, ſæpius enim morboſi infantes naſcuntur, & ex poſt multo tempore quandoque ultra annum aut ad dies vitæ infirmi conſervantur, qui tamdiu in utero propter allatam quæſtionis cauſam minime perſiſtere potuiſſent. Si enim hoc primum verum eſſet, deberet robuſtus fœtus ante nonum menſem neceſſario excludi, quia multi ſexto, ſeptimo & octavo menſe jam robuſtiores aliis nonum menſem adeptis exiſtunt, naturaliter tamen prius non excluduntur. Plurimi tales caſus numerantur, ſed rari ſunt, in multis abortibus & etiam legitimo partu infirmi aut debiles imo imperfecti corpore infantes gignuntur, & tamen non ſine magno labore matrum in vivis ſervantur.

Sicuti autem prægnantem fæminam in omnibus modum non excedere: ita
128 quam maxime in puerperio diætam

ſervare oportet, habitatio & lectum ei in aere calido & temperato conſtituatur, a cibis dyſpeptis abſtineat, & eos tantum ſumat, qui facilis ſunt digeſtionis, imo primis diebus ſolis liquidis cibis nutriatur, ulterius vero ſolidiores præberi poſſunt, omnes tamen roborantes & nutrientes eſſe debent, ut vires illius deperditæ & infantis recuperentur. Cibos acidos & ſalſos vitet, potum quoque frigidum & acidum vel dulcificatum non ſumat, vinum moderate vel plane nullum, præſertim primis diebus, aut ſi lochia nimium fluant, bibat. Neque cibus vel potus ſit adſtringens, a quo lochia præmature ſupprimuntur, vel lac ſiſtitur, inchoante puerperio, quieta & pedibus paululum incurvatis jaceat, ut ſanguinis expurgatio (qui in in grumos aliunde ſæpius coagulatur) facilius promoveatur & excernatur, ad terrorem aut iram non excitetur, nec puerperium præmature finiat, ut quædam petulantes faciunt, ſed utcunque ad 6 ſeptimanas continuet.

§. VII.

§. VII.

De infantum in lucem editorum regimine.

Recenter ergo nati, poſtquam a funi-
129 culo umbilicali ſunt ſoluti, non ſta-
tim lumini objiciantur, exinde plures myopes fiunt, & male videntes: ſi etenim ex carcere obſcuro ſtatim radiis lucis exponuntur, pupillæ oculorum nimis ſubito contrahuntur: ſed potius a cutaneis ſordibus, balnei & ablutionis ope ex aqua tepida ſimplici diligenter purgentur, quippe ſine qua inſenſilis illa ad vitæ ſalubritatem adeo neceſſaria tranſpiratio ſuccedere nequit; a frigore quam maxime muniantur, ne tormina inteſtinorum cauſentur, qui dein abluti ſtatim faſciis involvantur, prius tamen circumſpectis omnibus partibus corporis, num forſitan oculorum palpebræ, os, nares, aures, anus &c. aperti ſint: mox quoque ac nati ii ſunt, ori eorum inſtillandum eſt oleum amygdalarum dulcium recens expreſſum addito pauco pulvere corrallorum rubrorum & manna, vel caſſia recenter extracta, vel ſi coloſtrum, a Deo ſtudio creatum infantibus a natura para-

tum, ſugendum præbeatur, ceu remedium ad expurgandum meconium omnium præſtantiſſimum, quod ſi per biduum aut triduum duraverit, lac ſequitur, illudque, ſi fæmina ſana & non cacochymica fuerit, bonum ac dulce, demum poſt expurgatos ſordes, tenello ſtomacho, apprime gratum, corporisque nutritioni maxime conveniens; quod proin infantes ad juſtam unius aut duorum annorum ætatem (uti plus vel minus debiles infantes erunt, vel alia ratio ſuaſerit) ſugere poterunt; ita quidem, ut primis hebdomadis aut menſibus nullum aliud alimentum, quam lac, ſi ſufficiens adfuerit, præberi neceſſe ſit. Lac autem maternum maxime convenit, & peſſime matres faciunt ſuas exſiccare mammas, & relinquere infantes, quaſi conditore hominum ſapientiores eſſe velint, qui recenti puerperæ mammas dedit lacte turgidas. Excuſantur tamen matres ab opere lactationis, quæ vel non habent lac in mammis & nimis graciles ſunt, aut ulcera mammarum adſunt, vel illorum papillæ deficiunt & nimis parvæ ſunt, aut puerperi-

um infirmum ingrediuntur, vel mater mores non laudabiles poſſidet, iræ, venerique nimium dedita, tunc potius nutrix alia & melior eligenda & ſubſtituenda eſt.

130 Nutrix vero eligenda talis, quæ in temperamento matris non multum disconvenit, ſana & vivida ſit, non mendax aut meretrix habituata, nec nimium vino dedita, neque iracundiæ, non nimium triſtis & ſomnolenta, ſomnolentia enim pigritiæ genetrix, veneri, coituque prona. Optimam virtutem obedientiæ & patientiæ habeat, Præceptaque impoſita nutrici ſervanda ſunt in amorem prolis (rarus quidem amor ſincerus in nutricibus talibus) niſi adminiſtratione bona & remuneratione digna capiantur.

Nutrici eadem alimenta ſaniora porrigenda, quibus mater alias conſuevit, in principio tamen cibis plus dilutis quam ſolidis vel craſſis alenda, in progreſſu autem ex ſolidorum ciborum genere, ut omnis caro recens, præſertim agnina, vitulina, gallinacea ex pullis, aviculis &c. omnia autem olera, percæ, porculi, paſtinacæ, piſa, fabæ &c. fructus horarii pro-

 pter

pter acidi & flatuum abundantiam nocent, ut etiam ſunt ceraſa, ribebia, pruna, mala, pyra, &c. hæc omnia lac bonum in malum evertere & alterare valent. Ab omnibus quoque acidis, ſalſis, ut & crudis nutrix abſtineat, infanti vomitum cauſantibus, ſic quoque a vino, quia lac coagulat, ſaltem quam diu infantes ſolo lacte nutriuntur: ſi vinum tamen concedi debet v. g. vino adſuetæ, tantum de bono & non acido aut auſtero bibat, quantum ad correctionem & inſtaurationem virium ſtomachi ſufficit, ut quatrandem unum menſuræ, dum autem infantes cibis aſſvefieri incipiunt, nutricibus de vino plus concedi poteſt. Infantibus toto lactationis tempore vinum inutile & noxium eſt: a vino enim lac coagulatur, & facile per hoc in morbos epilepticos, febres, dolores colicos præcipitantur.

Quæritur, cur non noceat improba diæta tam infantibus quam nutricibus ruſticis, quæ non abſtinent ab his, quæ ipſis nocua aut proficua ſunt. Reſp. Non poteſt dici, ipſis nunquam nocere; ſed multoties tam nutrices ob pravam diætam,

quam

quam etiam infantes in morbos lethales incidunt, & ſæpiſſime jugulantur ob imperitiam diætæ & defectum remediorum. Quod autem ipſis multa & vix non ſingula conducant, quæ non conducunt delicatis, ratio eſt, quia non tam cito ita illis cibus aut potus nocet, qui ſimpliciori utuntur victu, quam illis, qui quotidie delicatioribus & ſuperfluis ſe ingurgitant cibis, omnemque laborem excludunt.

131 Adeoque nutrix ſedentaria cibis ſe non nimium gravet, quia chylus tum ita exaltari nequit, quam ſi modicum potius & ſæpius ſumat, in frigore non multum moreatur, niſi veſtimentis vel tegumentis bene munita ſit. Frigore enim multum viſciditatis in ſanguine & ſuccis generatur & retinetur (quod ex coryza ſatis colligitur) exindeque lac viſcidum redditur. Nutrix apud nobiliores vitam modeſtam

& non diſſolutam aut ruſticam &c.

132 conſtituat, quia infantes ejusdem

mores facile imitantur: tale enim quid accidiſſe, antiquorum teſtantur monumenta; Romulus enim a lupa, Cyrus a cane, Telephus Herculis filius a vulpe,

Pelius a Neptuno genitus hic ab equa, Ægiſtus a capra nutriti, harum beſtiarum mores exacte aſſumpſerunt. Id etiam comprobant hinnuli, lacte ovillo nutriti, qui pelle ornantur molliſſimis ſetis compoſita, & vice verſa lanam aſperrimam acquirunt oves, lacte caprino educatæ: ideoque magis urbana, quam ruricula uxor aut vidua, quam meretrix eligenda & ſuſcipienda, alias quam plurimi infantes libidinoſi & vitioſi exoriuntur, quare, quia meretrix nimirum nutrix horum infantum fiat, quandoque etiam mala educatio id efficit.

133 Nutrix ſenex aut diu lactans, vel quæ multo tempore ante matris partum pepererit, ſuſcipi non debet, quando nimirum aliquo jam tempore lactavit, viæ & pori dilatantur in papillis & uberibus, lac craſſius exſugitur, quod infanti adhuc tenello nimis craſſum alimentum eſt, talis etiam citius menſtruo fluxu corripitur, & lac invitiatur, atque nocet, ſed correſpondeat tempori partus matris, ut lac habeat tenue & feroſum infanti magis leve & conducibile nutrimentum; juvenes etiam

etiam facilius flectuntur, & non ita obſtinatæ ſunt, ut ſeniores, in qualibet prius bene inquirendum, num lac habeat bonum colorem & conſiſtentiam, dulcem & gratum ſaporem atque odorem, ſerum ſufficiens, cum parum ſteterit, cremor ſupernatet debitus. Porro nutrix ne nimium vigilet, quia ſpiritus animales conſumuntur, unde ventriculares ſucci corrumpuntur, quibus cibus in chylum debitum Tr. 2. n. 107. mutari nequit; hinc ex malo chylo pravum quoque lac. Infantis curam ſincere ſuſcipiat, & debitum exercitium ſtando & ambulando habeat, alte tamen ne dormiat, quatenus infantuli ejulatum non advertat & exaudiat, aut illum plane ſupprimat vel uberibus ſuffocet.

134 Poſtquam itaque infans de omnibus proviſus & faſciis involutus fuerit, ſomno tradendus eſt, ut vires in partus opere notabiliter fractas eo ipſo recuperet. Non ſtatim cunis committatur, ſed penes matrem aut nutricem ad lectum reflexus cum attentione collocetur, ut hoc ſitu commode ſuperfluum ex ventriculo eji-

cere poſſit, & calore magis ita roboretur; deinde ſitus ejus non ſit nimis declivis, ſed magis erectus, quo libera ejus maneat reſpiratio.

Dum vero infans cunis committitur cunæ non valde agitentur, cerebrum enim ejus molle eſt, & exinde in adultiore ætate hebes ingenio fieri poteſt. Demum inducto ſomno, ſpatio aliquot horarum ita infans ſatiatur ipſo, ut vires ante has amiſſas non ſolum recuperet; verum etiam ejulatu ac vociferatione quærere defectum alituræ clare teſtetur. Quapropter adſtans nutrix aut propria mater mammis eum applicet, ut ex illis, ore apprehenſis papillis, ſuctu eliciat lactis copiam ad ſuſtentandum & augmentandum corpus.

Præterea umbilico, ſplenio & faſcia umbilicali imbuto proſpiciendum, & faſcia tamdiu umbilico alternis aut ternis diebus admovenda & mutanda, donec umbilicus præ ariditate decidat.

Primis poſt partum menſibus ſingulis bichoriis, aut ad ſummum trichoriis, tribus aut quatuor elapſis lunæ circuitibus

ſex-

ſexties aut ſepties, poſthac bis tantum aut ter intra unius diei ſpatium ſuum hoc exornent officium nutrices. Elapſis interea ſeptimanis aliquot, & regimine hoc continuato ſolo lacte nutricis non amplius ſe ſatiari patitur, inſuper & pulmenta ex farina triticea, aut potius mica panis ſimilaginei, vel ex lacte vaccino ſolo & addita modica aqua (ſi lac ſit nimis pingue & craſſum) parata ipſi præbeantur, potus ſit aqua recens fontana non tamen nimis frigida, aut aqua cocta ex radicibus liquiritiæ, Sem. aniſi vel fœniculi, ac etiam hordei vel avenæ mundatæ, donec temporis tractu ſolidiora magis alimenta aſſumere & dirigere diſcat. Vinum ante ſeptimum annum plane non aut parciſſime dandum eſt, ne natura præmature aſſveſcat, & corrumpatur, tract. 2. n. 132. & 133.

Ubi vero non ſufficit lac matris aut nutricis, primis menſibus etiam puls comedi debet, fiat quippe primo menſe ex una parte lactis, & altera parte aquæ fontanæ, & coquatur cum pane albo non nimis recente in pulticulam, deinde lac ſingu-

ſingulis hebdomadis augeatur, econtra aqua ſubtrahatur tamdiu, donec nihil amplius aquæ lacti addere neceſſe ſit, & ita in pultem coquatur.

135 Infantibus quando dentes erumpere ſolent, cibus non nihil ſolidior eſt præbendus, ut illo ſenſim ſtomachus aſſveſcat, & per immixtum etiam ſolidiorem cibum gingivarum membranæ tenuiores fiant, & facilius illis dentes errumpant, non tamen puls ſubito ſubtrahenda eſt, quia fermentum ſtomachale in illo non tantæ efficaciæ adhuc eſt, ſicut in adultioribus, ut jam ſolos cibos præcipue ſolidiores digerere poſſit.

Quando vero infans adultior factus eſt, eo magis & magis ſolidioribus & diverſis cibis gradatim nutriendus eſt, & quidem tamdiu, donec ollæ pultariæ obliviſcatur. Somnus frequentior vigiliis ſit, ut elater fibrarum aliunde mollium acuetur & in ſomno plures ſpiritus augeantur & conſerventur, organaque præſertim cerebri perfectiora reddantur. Si vero major fiat infans, ſomnus magis abbreviandus eſt, quia canaliculi cerebrales

tunc

tunc nimis anguſti fiunt, ſpiritus craſſiores & viſcidiores redduntur, & hoc modo ingenio hebes fit; verum vigilet aliquando, dando ei objecta quædam jucunda, qua occaſione ſpiritus per cerebri meatus pertranſire aſſveſcunt, & objectorum motus facilius intellectui traditur.

Infanti non minus quoque levis commotio facienda, ut corpus aliquantulum exerceat, cum illo etiam hilariter & jocoſe agendum, pro eiuſdem captu tenero. Nunquam terrefaciendus, alias facile toto vitæ tempore a minima cauſa terreſit, neque triſtis reddendus, metus & terror frequenter convulſivos motus & vigilias nimias aut ſtupiditatem cauſare poſſunt, quia ſpirituum animalium copia propter organorum repentinas actiones profunditur, quæ alias viſcerum actionibus poterat impendi.

Ejulatus & fletus infanti valde noxius quam maxime avertendus eſt, quia exinde herniam facile acquirit, ſubtiliores etiam bilis particulæ ad ſanguinem impelluntur, ubi multa mala inferre queunt.

unt. Cibi omnes dyſpepti, ut caro ſalita & infumata, lardum, perna, anſerina & anatina infanti non eſt danda, neque fructus præſertim acidi & flatulenti, ſed illi, qui bene alunt; non tantum per corporis diaphoreſim multum deperdere, ſed inſuper nutriri debet, ut creſcat. Parum illi cibi detur, attamen ſæpius: quoniam inediam difficulter tolerat, præſertim ſi jam major ſit. Non tamen ita cibis infarciendus, ut quidam parentum ſolent, ruſtico & hebeto ingenio excreſcit. Neque conducit, infantem præmature ad inceſſum ſollicitare, nimis juvenis facile vagus aut varus fit neque diu ſtare in curru rotatili, pedes enim imbecilles gravius corpus ſuſtentando incurvantur. Quando infans geſtatur, attentendum, ne vertebræ dorſi laxentur & gibbus fiat, nam fibræ ligamentorum quibus vertebræ colliguntur, abruptæ, nunquam iterum coaleſcunt.

136 Tempus ablactationis rite determinare nequit, qui teneræ ſunt conditionis, & tarde dentes erumpunt non tam cito ablactandi, & qui mammis impenſe dedi-

dediti, non repente ab iis detrahendi, & ablactandi. Quod ſi vero toroſus & dentibus firmatus, quidam tempore opportuno, ſcilicet vernali aut autumnali, unum aut ſeſquiannum adeptus, ablactandus eſt. Dein loco ſuctionis, infanti cantharus dandus, lacte, juſculo, aut interdum aqua impletus, hoc modo ſitis & fames ſedantur.

137. Dum majores facti non perparce liberi ſunt educandi, cum enim vident, æquales ſuos hoc aut illud habere & illi non, ſi quid generoſitatis in illis ineſt, ut habeant, curant, & furtum inſtituendo corradunt, & quamvis hoc non fiat, & occaſio illis abſcindatur, omnino domi manent, aut ſolivagi fiunt, aut tali vitæ aſſveſcunt, ut adultiores facti, ab hominum conſortiis abhorreant. Quod ſi vero juſta paupertas parentes excuſet & impediat, liberi Divinæ providentiæ ſe committant. Neque nimis magnifice ac ſumptuoſe educari debent; ne adultiores facti prodigi evadant, potius diverſoria frequentantes, quam verbi divini lectionem. Eorum propria & obſtinax voluntas in omnibus tem-

temperetur ac refrenetur, non quidem ſtatim verberibus, tunc non raro pervicaces fiunt; ſed prius leni admonitione, comminatione, eorum cogitationes ad meliora & altiora ducendo, non ad otium, nam: *Multam malitiam docuit otioſitas* leg. Eccleſ. c.33. v.29. Sed ad aſſidua ſenſim exercitia, non ad petulantiam, ſed ad timoremDei & chriſtianam pietatem atque parentum vel inſtructorum aut ſuperiorum venerationem& ſubmiſſionem. Memoriæ exercitio ſive in eccleſiaſticis ſive politicis doctrinis imbuantur, ut exercitati&attenti ad omnia perficienda promptiores fiant. Præſentibus liberis nihil confabulandum, quæinter maritum & uxorem ſunt, juventus ad ea audienda ſemper & omnino propenſa eſt, ſuoq; tempore quandoque nimis præmaturo illa per ſe ſibi familiaria faciens; habitu ita illicito veſtitur. Qui dein uſq; ad ſenectam ſervant, & absque ſpeciali Dei gratia raro aut nunquam deponunt. Nec fabulas aut mendacia coram illis narrare oportet, ſed potius veras hiſtorias, ut veritatem aprehendere diſcant, ut ſcriptum Coloſſ. 3. *Nolite mentiri invi-*

invicem. & Eph. 4. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra.* &c.

138. Adultioribus paulo factis, cuivis ſuum oblectamen bonum & decorum ad opus promovendum, & cui functioni magis apti ſint, providendum; ut id paulatim arripiant & proſequantur: Non enim cogi, ſed pedetentim duci vult natura. Sic quidam in exercitio legendi, ſcribendi, ſtudendi, mercandi, aut opificio quodam vel quibuscunque cæteris artibus, præſertim autem in Ethicis Chriſtianis inſtruendi ſunt, quæ omnium virtutum & vitæ recte inſtituendæ Dux eſt. De his Cato lib. 4. v. 20.

Diſce aliquid: nam cum ſubito fortuna recedit,
Ars remanet, vitamque hominis non deſerit unquam.

& lib. 3. v. 1.

Inſtrue præceptis animum, ne diſcere ceſſes:
Nam ſine doctrina vita eſt quaſi mortis imago.

139 Nihil enim in univerſa republica

utilius reperiri poteſt, quam infantum ſeu liberorum bona inſtructio & educatio, qua bene conſtituta tota corporis machina ita adaptatur, ut ei nihil difficile ſit, & ea afficiat, quæ alias ei fuiſſent impoſſibilia: profecto malum educationis regimen plurimis in adulta ætate non bene cedit. In juventute tempus in bonum commodum dirigendum eſt, ut Ovidius meminit his verſibus:

Venturæ memores jam nunc eſtote ſenectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos;
Diſcite: eunt anni more fluentis aquæ.
Utendum eſt ætate. Cito pede labitur ætas:
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.

Multoties auditur, dum homines in provectam ætatem deveniunt, tempus ſuæ juventutis deplorare, & eos quam maxime pœnitere ſe non id addidiciſſe, quod in grandæva ætate illis ſumme prodeſſet, vel non ea intelligere, quæ pulchra & æſtimabilia ſunt. Ita quondam Carolus V. Imperator, dum Genuæ eloquentis oratoris ornatum ſermonem latinum æthera

per-

perſonantem exaudiret, illum vero ex aſſe non intelligeret, mente triſti confeſſus eſt, ipſum quam maxime pœnitere monita ſui inſtructoris Hadriani ſecutum non fuiſſe, a quo multoties admonitus, ut magis ſcientiis incumberet, hinc etiam fervore doctrinarum commotus, ab illo tempore iis diligenter inhærere cœpit, perpendendo lib.4. Caton. verſ. 49.

Cum tibi contingat ſtudio cognoſcere multa,
Fac diſcas plura, & vites non velle doceri.

Ne etiam deploremus cum celebri Oweno his ſuis verſibus :

Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum
Rex poterit rebus ſuccurrere, nemo diebus.

& alibi :

Omnia diſpereunt; mundo quæ pulchra videntur.
Divitias ſubito ſors inimica rapit.
Perpetuo durat virtus doctrinaque rerum
Inque illam ſors nil, quod dominetur, habet.

Tempus itaque juventutis pretioſiſſimum & irrevocabile potius ſibi in bonum commodum impendere, quam in inutilibus,

libus, poculis ac patinis pedulanter transigere, & diligentiam in addiſcendis artibus retardare & procraſtinare; ideo nulla dies ſine linea, nulla hora effugiat falcem temporis, ut monet Eccles. cap. 14. v. 14. *Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Quamvis in hiſce rerum difficultatibus moleſtiis non careat; magna tamen ad eas levandas debet eſſe inexhauſta eorundem utilitas & jucunditas.

Quamobrem ſi quædem juventus, poſtquam viriles annos aſſequitur, a natura ſeu caſu vel fortuna aut quacunque recommendatione ad cœterorum tutelam vel ſuperiorum dignitatem deſtinatur & elevatur, quæ vero nec ullis virtutibus, multo minus rerum ſcientia eſt edocta; earum præſertim, quæ ad illius munus ſpectarent, quid tandem evenit, certo nihil aliud quam dictum Salomon. cap. 28. v. 16. *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam.* Hinc admonentur omnes in lib. Sapient. cap. 6. v. 23. *diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis* ... *popu-*

populis. Quoniam v. 26. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.*

Unusquisque ergo ſecundum ſtatum & conditionem ſuam iis ſtudeat, quæ Reipublicæ utilia & conſiderabilia ſunt, ne artes vileſcant, ſed in pretio habeantur: non modo ingenuæ, a quibus conſpicuus imperio decor accedit, ſed & aliæ, quorum ad vitam recte vivendi neceſſariam copiam ſuppeditant.

Transacto ergo tempore puerili juventæ, & maturitatem annorum adeptam, nequaquam bona vivendi norma eventilanda eſt, qui enim ſenectutem atque illam tardam aſſequi deſiderant, non tantum juvenes ſed etiam annos viriles in bonis vivendi regulis tranſigere debent; ut non modo juvenilem vigorem recuperent: verum etiam vegetam diu ſenectutem protrahant, in quibus autem conſiſtat bona vivendi norma, in ſequenti Tractatu manifeſtabitur.

TRACTATUS II.

De recta vivendi norma.

UT vita noſtra ulterius tueri & præſervari queat, neceſſario ea exponenda reſtant, quæ per diverſos errores ſeu exceſſus inordinatos utcunque nos lædere ſolent, partim ob naturæ pronitatem ad malum, partim etiam cum non quivis ea calleat, quæ ad vitæ prolongandæ utilitatem requiruntur. Adeoque in hoc præſenti Tract. ſecundo ea exponentur, quæ ad vitæ ſuſtentationem utilia aut inutilia deprehenduntur; quod ſi quidam vitam ſuam diu conſervare deſideraverit, ſufficienter ex ſequentibus §is illuſtrabitur.

CAPUT I.

De requiſitis ad rectam vivendi normam inſtituendam.

DEſcripſeram in priori Tract. 1. quædam officioſa ad vitam continuandam & conſervandam, cum autem non ſatis diſtincte de recte vivendi norma, ſeu de regulis diæteticis enarraverim: hinc

in

in præſenti Tract. per ſubſequentes §. de regulis ſpecificè traditurus, quibus mo-
1. dus invenitur diu vivendi. Hic autem modus conſiſtit in 6. rebus non naturalibus, & qui ſecundum illarum regulas vivet, terminum a Deo conſtitutum facile aſſequetur. Adeoque diæta nominatur a certa vivendi regula, qua corpus vivens humanum per debitam 6. harum rerum non naturalium adminiſtrationem in ſanitate conſervatur; hæ autem 6.
2. res non naturales dictæ, ſunt 1. aer. 2. cibus & potus. 3. ſomnus & vigilia. 4 motus & quies. 5. excreta & retenta. 6. animi pathemata ſeu affectiones, de quibus ſingulis ſpecialiter in ſequentibus §. notificetur.

Hæ autem res non naturales eatenus nominantur, quatenus inter res naturales & præternaturales neutræ ſunt, & uti quis illis utitur vel abutitur, ſanitatem aut morbum generabunt: ita etiam reſpectu unius vel alterius perſonæ bene aut male convenire poſſunt, hoc quotidie experitur, quod enim uni prodeſt, alteri nocet, prout natura & conſvetudo variat: hinc diæta eadem

omnibus & ſingulis accommodari nequit. Alia etiam convenit ſanis, alia ægrotis. Homines itaque inter ſe differunt conſvetudine, ætate, temperamento, ſexu, regione, tempore &c. qui enim ſub frigido clymate habitant, aliam vitæ regulam, quam, qui ſub calido, inſtituendam & ſervandam opus habent: uti laborioſi & itinerantes aliam quam otioſi; ita etiam hyemali tempore alia diæta quam æſtivo ordinanda eſt. Ne ergo error aliquis in eorum uſu committatur, ad ſequentia attentum eſſe oportet & recordetur.

§. I.

De aere ad ſanitatem & vitam neceſſario.

Ad conſervandam corporis noſtri ſani-
3 tatem & protrahendam vitam primario aer tam neceſſarius eſt, ut ſine illo nec per medium quadrantem horæ vita noſtra protrahi poſſit. Et quamvis homines diverſi temperamenti, ætatis, ſexus &c. præditi ſint: attamen eodemque aere ſub uno clymate exiſtentes variis particulis & diſſimilibus imprægnato frui debent; unde non mirum, ſi quibusdam ſalubris,

qui-

quibusdam inſalubris, ut experimur in epidemiis & locis quibusdam, alias etiam mille modis in ſua qualitate quotidie immutatur (aeri enim immiſcentur diverſæ particulæ, vel ex ipſa terra, ope ſolis calore, vel ſubterranei ignis) vel ex aliis halituoſis corporibus ſuper terram exiſtentibus, quibus varius telluris ſitus, acceſſus & receſſus reſpectu poli conſtituitur. Tandem etiam ſerius aut citius corruptionem rerum & viventibus mortem infert.

Duplex autem generaliter in aere ſubſtantia eſt, una nativa ſeu primitiva ab exordio mundi creata, quæque puriſſima atque tenuiſſima: Altera adventitia ex variis aliorum corporum effluviis, pro loci ac temporis diverſitate conſtans.

4 Definitur a Philoſophis Aer, quod ſit corpus rarum, fluidum ac pellucidum, ſpirabile particulis tenuibus, lanuginoſis, flexibilibus, plumoſis, cum aliqua tamen rigiditate, & a ſe invicem perpetuo motu disjunctis, & vim elaſticam habentibus conſiſtens. Ut ut autem eſt conjunctum variis aliorum corporum terreſtrium ef-

fluviis, tam tenuibus, quam craſſioribus: attamen particulæ aereæ ſibi invicem parum connexæ vi alterius elementi ſeparari, ac proinde peculiari motu circa ſuum centrum independenter ferri queunt. Cujus definitionis proprietates ex eo probantur:

Primo aeris partes in perpetuo motu eſſe, ergo debet eſſe rarus, ſecundo ob perpetuum ſuarum partium motum fluidus, tertio etiam particulis lucidis propter ſuam fluiditatem, ſubtilitatem & continuam mobilitatem cedere, & pellucidus eſſe debet. Illa autem effluvia per
5 calorem rarefacta, quo partes ejus validius agitatæ majus ſpatium exigunt, quam antea. Imminuto vero motu quoque minuitur agitatio partium & condenſantur, quæ conſequenter minus ſpatium occupant, vel cum multus aer in anguſtiorem locum cogitur, ubi latius moveri, & ipſius partes diſcurrere nequeunt. Dicta autem effluvia ſeu exhalationes ſunt particulæ in ſuis figuris irregulares, a ſe invicem & a majoribus corporibus eductæ, & in aerem vi mo-

tus ſublatæ; quæ exhalationes inter ſe per ſolam magnitudinem & figuram diſferunt ab aereis partibus; majores denique ſunt exhalationum, quam aeris particulæ nativæ ſive primitivæ. Exhalationes per rarefactionem ſubtiliores & ſubtiliores factæ ſuper terram & aquam ad regionem aeris propulſæ, quamvis terræ & aquæ etiam aer inſit, tamen non parum ad naturam aeris intelligendam conducet, ſi explicentur, quid exhalationes ſint, & quomodo a vaporibus diſtinguantur.

Nomine exhalationum intelliguntur particulæ corporum terreſtrium, vi ſolis in altum propulſæ, quorum motus magis irregulares ſunt, motibus vaporum, qui ab aquis divelluntur; vapores autem ſunt particulæ aquæ a ſe invicem ſeparatæ & actione ſolis, vel alterius calore in ſublime elatæ; non quidem virtute ſolis attractiva, ſed ideo, quia radii ſolares ſuo velociſſimo & rapidiſſimo motu corporum terreſtrium meatus permeant, & particulas illorum corporum diſſolvunt & expellunt: Quæ cum nullum præter aeris locum

cum a Deo conſtitutum inveniant, in quo ita moveri poſſint, verſus illum pergunt, & quo magis corpora rara & minus unita fiunt, & aeris particulis proportionata, tanto minorem atmoſphæræ preſſionem patiuntur.

6 Regio aerea in tripartitam diſtribuitur, quarum prima eousque ſe extendit, quousque radii ſolis a terra repercuſſi, calorem ſenſibiliter augent, hinc aeris regio terræ proximior calidior ſentitur, illa, quæ a terra removetur, quoniam ibi particulæ craſſiores terreſtres radios ſolares reflectunt, quæ reflexio ſeu repercuſſio motum particularum multiplicat & adauget, quo major motus, major calor ſive effectus, multæ etiam ignis particulæ infimo aeri inſunt, quæ ſcilicet vi æſtus e globo terreſtri educuntur. Altior autem aeris regio frigidior & media exiſtimatur, ubi educti e tellure vapores rurſus condenſantur & concreſcunt: in eaque nubes, grando, nix, pluvia generantur, quia radii e terra reflexi non tam copioſe aſcendunt, dein ſuprema collocatur, n. 7.

Quæritur utrum aliqui montes ſupremam

mam regionem aeris ſuperent? Reſp. negative, licet aliqui ad notabilem altitudinem aſſurgant, ut Atlas in Africa; Æthna in Sicilia; Tenoriffa in Canaria; Alpes in Italia &c. horum tamen montium vertices aut fulmine tanguntur, aut grandine verberantur, aut nive caneſcunt. Fertur quidem de Olympo ſolo altisſimo Theſſaliæ monte in Græcia, quod ab his immunis ſit, & mediam regionem aeris tranſcendat & ad ſupremam pertingat, non
7 autem ſuperat. Suprema vero aeris regio, quæ inde ad cœlum extenditur, ibique aer purus & nativus hoſpitatur, frigidior quoq; inferiore eſt. Hoc ex inde fit, ſi enim in montium apicibus ſummis mediam regionem aſcendentium in fervendisſima æſtate nivem non liquefieri, multo minus ſi aſcenderet hanc ſupremam regionem, quia radiorum ſolarium non adeſt tam copioſa reflexio in montium apicibus, & materia ignea non ineſt aeri tanta, vel nulla in altioribus & ſuperioribus regionibus; certum enim eſt, quo plus igneis & craſſioribus particulis aer impletus eſt, tanto magis corpora commovet

&

& calorem efficit, quam ſi puſus vel minutioribus particulis, etiam celerrime impulſis immixtus ſit; quæ particulæ terreſtres multivariæ aeri innatantes ſulphureæ, nitroſæ & Mercuriales e terræ ſinu eruuntur, & magis vel minus fermentationibus aptæ, caloremque diutius continuantes. Hinc profundiores terræ ſpecus calidiores in hyeme, quam in æſtate experiuntur, quamvis in ſuperficie congelati, qui calor a ſole & igne ſubterraneo productus, & in illis variis particulis terreſtribus & fermenteſcentibus atq; non tam cito diſſipabilibus continuatur, terra ſubterranea plena ignibus eſt, & materia ignea, bitumine, ſulphure, aliisque mineralibus ac materia ſubtiliſſima ætherea impleta & commota, unde ſpiritus ignei, hoc eſt corpuſcula calida effluunt perpetuo per meatus & poros ſubtiliſſimos terræ, vel etiam aeris vicinioris, vel alterius corporis terræ contigui: effluunt ad iſta ſuperiora, niſi prohibeantur obſtructione & reſtrictione pororum & meatuum: ut per hyemem fit a particulis quieſcentibus in terræ ſu-

perficie

perficie poſitis: inde ſpiritus ignei non effluentes congregantur in majori quantitate intra aquam putealem, vel aeris innati permanentis in cryptis, & inde in ſuo motu continuato manent calida. Subinde etiam calor debilitat calorem per accidens, ſic aqua calida & oleum atque vinum prævalida quantitate extinguunt ignem calidiſſimum, nimirum obſtruendo poros, unde ignis nutritur, & etiam particulas in ſuo motu premendo & gravando, ut ſe quieti diſponere debeant. Demum etiam montium altiorum apices frigidiores ſunt, quatenus, ob oblique deſcendentes radios ſolares a ventis in altioribus partibus ferme ſemper deprehenſis diſſipatos, & in motu ſuo circulari & recto impeditos. Venti etiam ſæpe adeo frigidi in certis terræ regionibus regnant, in aliis non item, aeremque in ſua qualitate mutant, neque vis frigoris penes ſolam diſtantiam ab alterutro mundi cardine æſtimari debet, prout ſequitur ex opinione Campanellæ, quo enim longius abeſſet ſol, eo fortius frigus ſuum congenitum terra

exereret

exereret. Conſtat etiam in Moſcovia boreali, hyemem eſſe acerrimam cum eadem pene ſit ipſius latitudo, quæ in Scotia. Sic inſula quædam eſt penes Anglos in America Charletonia dicta, quæ fere deſerta eſt præ frigore, cum tamen ejus latitudo ſit tantum 52 graduum. Sic Joſephus Acoſta docet, multas ſub ipſo Aequatore regiones eſſe valde temperatas, & montes in iis locis inveniri opertos nivibus. Ex quibus efficitur, ventos plerumque frigidiſſimos halitus & ſpiritus ſecum vehere, & radios ſolares in motu ſuo circulari impedire.

8 Ex his dictis patet, cur ſæpe frigus in quibusdam locis etiam remotioribus a polo longe acrius ſit, quam in iis, quæ ſunt viciniores? ſic frigus in Ucrania, quæ eſt Poloniæ Provincia, eſt acerrimum; Cum tamen eadem fere ſit ejus latitudo & altitudo Poli, quæ in Normania. Sic in civitate Regia Sinarum ad 42 gradum latitudinis ſita, qualis eſt Romæ, ingens fluvius circa menſem Novembris intra unum pene diem concreſcit in glaciem, quæ non ſolvitur, niſi poſt 5 menſes exa-

ctos;

ctos; & ita firma eſt, ut par ſit ferrendis curribus: Cum interim tacto ipſo judice, non tam aere frigus videatur, ut flumen tam ſubito poſſit corripere, ſed potius terrenis halitibus, qui aquæ particulis omnem motum repente adimunt, tribuitur.

Colligitur jam aerem propter diſtantiam loci & immixtionem variarum particularum terreſtrium, ac etiam temporis, ventorumque diverſitatem varia clymata deſtinare, & non ubique ejusdem eſſe qualitatis, utrum vero aer a natura ſua calidus vel frigidus, humidus vel ſiccus? inferius dicetur, prius vero de qualitatum natura quædam præmittenda ſunt.

§. II.

De qualitatum natura & differentiis.

De qualitatibus magna inter Philoſophos reperitur controverſia, multasque differentias & diviſiones qualitatum fabricant. Moderni vero qualitates omnes
9 per certum quemdam modum fieri aſſerunt, qui modus a certo quodam motu rem ita afficit vel variat, & ita res modificata eſt, quod res qualificata ſic

cera ut qualificetur, per motum aliquo certo modo redditur calida & mollis,
10 alio frigida & dura, alio rotunda vel oblonga, aſpera, vel levis &c. unde qualitates multiplici modo accipiebant, & in primas vel ſecundas dividebant. Primas quatuor conſtituebant, calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Has primas activo modo, ſecundas paſſivo modo, ſe habere dicebant. Secundas qualitates 14 numerabant: nimirum raritatem & denſitatem, gravidatem & levitatem, duritiem & mollitiem, ſubtilitatem & craſſitiem, ariditatem & lubricitatem, friabilitatem & lentorem, aſperitatem & lævitatem, quibus duabus adhuc qualitates occultas adjiciebant; quatenus rerum harum ignoti modi erant; ideo etiam qualitates obſcuræ e. g. quare magnes ferrum attrahat, vel qua qualitate hoc aut illud medicamentum in hanc vel illam corporis partem agat, unum vel alterum humorem corrigat, & certum effectum producat.

11 Qualitas itaque eſt quidam modus eſſendi in certa quadam proportione ſubſtantiæ realiter & phyſice indiſtincta. Modus

dus autem eſt actualis determinatio rei indifferentis per motum factus. Ut denique res aliqua ita conſtituatur, dependet a ſola diſpoſitione partium in certa figura, motu vel quiete, magnitudine &c. ſe habentium. Corporis enim affectiones nihil aliud ſunt, quam attributa quædam ſeu modi, qui corporibus competunt, pro ut in hoc vel illo ſtatu ſe habere dicuntur. Jam de qualitate ſeu modo caloris diſquirendum.

Veteres philoſophi caliditatem activam eſſe dicebant, cujus effectum
12 eſſe congregare homogenea, & disgregare heterogenea; ita etiam frigiditati qualitatem activam attribuebant, quæ homogenea & heterogenea ſimul congregat. De his vide inferius.

Ariſtoteles quondam Philoſophorum Princeps calorem definivit, quod congreget homogenea, ſive ea, quæ ſunt ejusdem naturæ; quodque ſegreget heterogenea, ſive ea, quæ ſunt diverſæ naturæ; frigus autem id, quod tam homogenea quam heterogenea congreget. Verum hæ definitiones ſunt vitioſæ, quia non natu-

ram caloris & frigoris explicant, ſicut bona præſtare debet definitio frigoris & caloris; ſed quosdam tantum utriſque effectus ad ſummum aſſignant, quia neque caloris neque frigoris proprios effectus aſſignant prædicti Ariſtotelis definitiones, ſiquidem vel ipſo ſenſu teſte cognoſcitur, ignis calore non modo ſegregari, ſed ſæpius congregari heterogenea, ut patet ex chymia, ſi v. g. fruſta diverſorum metallorum Auri, Argenti, cupri &c. crucibulo imponantur, tunc in unam maſſam virtute caloris fundentis illa congregari videmus, ergo congregat etiam heterogenea. Notum namque eſt ab experientia, ignis virtute non modo non congregari, ſed vere ſemper diſſipari homogenea, ut videre eſt in aqua, et aliis liquoribus, qui virtute ignis evaporantur, & diſſipantur, ſed potius calorem cum modernis Philoſophis definio & dico:

13 Calor eſt varius, multiplex, tumultuariusque motus minimarum particularum corporis calidi, quo feruntur circa centrum ſuum, ſatiſque valide agitantur ad movendum organum tactus. Explicatur

catur definitio, varius, multiplex, tumultuariuſq; minimarum particularum motus; calor enim non conſiſtit in motu totius corporis,ſed tantum particularum ipſius. Siquidem experientia notum eſt,corpora, ut glaciem & ferrum v. g. ſæpe integra moveri, nec tamen calefieri, niſi cum ipſorum partes incipiunt tumultuarie agitari. Dicitur motus, quo minimæ particulæ feruntur circa ſuum centrum; ſi enim rectus eſſet ſingularum partium motus, certe corpus non eſſet calidum, ut patet in vento vehementi,& frigido. Dicitur etiam ſatis validus, & fortis ad movendum tactus organum; cum enim qualitates percipi non poſſint, niſi mediante nervorum, & organorum motu, ideo, ut ſit ſenſibilis calor, motus, in quo conſiſtit, debet eſſe ſatis validus ad movendum tactus organum paulo vehementius, quam moveri ſolet a ſpiritibus animalibus,& hujus validitatis defectu aqua communis non eſt ſenſibiliter calida, quemadmodum nec aer.

14 Quapropter calida ſunt, quæ majorem habent motum, frigida, quæ mi-

minorem: ita tantum ſunt reſpectiva. Frigida etiam quidem aliquatenus calida ſentiuntur, ſed paululum frigidiora corpore noſtro, quæ non ſunt in tanto motu, ac noſtri corporis humores. v. g. ſi aqua eſt tepida, quæ neceſſario aliquem calorem habet, tamen nobis quaſi frigida erit, ſi noſtri humores in majori ſint motu, ſic etiam videtur, corpus ab uno homine dici calidum, quod ab alio rurſus dicitur frigidum, & hoc ſenſu, corpus poteſt eſſe reſpectu unius calidum, & reſpectu alterius frigidum. Exinde videtur, calorem & frigus meras eſſe relationes; gradus quietis non dantur, ſed illi inter ſe ſunt æquales.

Objicitur, unum corpus ſolidum eſſe frigidius alio corpore ſolido, quamvis amborum corporum partes in quiete ſint, & ſemper ex natura ſua frigida v. g. lignum & metallum. Reſp. quod in illis corporibus ſolidis diverſi pori ſint conſiderandi, & per unum vel per aliud corpus plus vel minus fluere materiam ſubtiliſſimam & igneam ſibi obvia ſubito moventia,

quamvis

quamvis partes totum conſtituentes in quite ſint.

Pori autem ſeu interſtitia in ſolidis relicta, quo ſunt plures & minores, tanto calidiora corpora ſentiuntur, tunc enim ſoli materiæ æthereæ & etiam igneæ transfluxus conceditur.

Objicitur, ſi corpus, quod eſt poroſius, eo majorem quantitatem materiæ æthereæ tranſmitteret, glacies deberet eſſe calidior ipſo marmore; atqui falſum eſt poſterius, ergo prius.

Reſp. verum eſſe, glaciem eſſe poroſiorem, quod ex levitate ejus patet, ſed prætera eos poros eſſe tantos, ut tranſmittant materiam, ſive globulos ſecundi elementi, & ut calor adſit corpori, opus eſt, ut multum materiæ primi elementi & igneæ tranſmittatur, & ut globuli ſecundi elementi ut impedientes excludantur.

15 Dicendum etiam, quod corpus calidum frigido applicatum caloris ſui aliquid amittat; quia partes corporis calidi aliquid ſui motus communicant partibus frigidi corporis, quod tangunt. Unde quo

plures ſunt corporis frigidi partes in quiete poſitæ, eo frigidius ſentitur illud corpus; quia plus motus, ſeu caloris tunc ei communicatur a manu, vel alio corpore tangente, & hæc ratio eſt cur metalla & lapides frigidiora ligno ſentiantur. Circa quod propterea advertendum, quod ſi partes corporis frigidi ſint ad modum motus ſuſceptivæ, tum licet corpus illud multum habeat aeris agitati, & in ſuis poris incluſi, debet tamen ſentiri frigidiſſimum ideo, quia mobiliores ipſius partes corporis calidi motum facillime acquirunt & ſic eius calorem valide minuunt. Hæc etiam eſt ratio, cur nix aut glacies ſentiatur marmore frigidior, quia ejus partes ſunt leviſſimæ, & ad motum ſuſcipiendum aptiſſimæ, ideo ſi diutius nix manu contrectetur, tunc prædictæ partes a calore manuum reſolutæ & diviſæ ad motum productæ per poros ad ſanguinem impelluntur & eidem admiſcentur, illumque in ſuo motu progreſſivo & circulante, frigore ſuo inſpiſſando, retardant; ideo celerius particulæ agitatæ calorem inteſtinum ſenſibiliorem acqui-

runt

16 runt & adaugent: & ita manus calidi-
ores, quaſi inflammatæ eſſe ſentiuntur.

17 Motus autem eſt actio, per quam
corpus locum mutat; vis autem illa mo-
vendi eſt quid diſtincta a mobili, quia
illud eſt, a quo ipſum movetur, & de-
terminatur, quia ſi vis movendi non eſſet
diverſa a mobili, ac proinde non repu-
gnaret, quin corpus diverſis locis ſe ap-
plicet: ſi ita eſſet, ſequeretur, quod vis,
qua Deus motum in univerſo producit,
notionem extenſionis in ſuo conceptu in-
cluderet, & cum illa a Deo non diſtingua-
tur, ſequi deberet, Deum eſſe corporeum.

Quænam vero cauſa motus ſubſtan-
tiæ materialis in univerſo ſit, duo mo-
18 tus principia ſtatuenda; unum gene-
rale alterum particulare: primum ni-
mirum Deus T.M. qui ſupponitur in mun-
di creatione materiæ certam motus &
quietis portionem tribuiſſe, hancq; ean-
dem omnipotentia ſua modo ſervare &
cuſtodire, adeo ut ſi pars una materiæ de-
ſinat, tandem motus, qui in illa erat, in ali-
am transferatur. Et ſi unius motus decre-
ſcat, in altera ipſi æquali augeatur, & ita

eadem ſemper motus menſura in rerum univerſitate conſervetur.

Unde non mirum videri debet eandem prorſus materiæ quantitatem Deum conſervare, quam ab initio creationis produxit: ac per conſequens, eandem quoque motus portionem, quam in mundo poſuit, eſſe omnino immutatam. Motus etenim certam & determinatam extenſionem continet, licet tantum corporis motus ſit. Deus itaque conſtanter & immutabiliter operatur, ac illa, quæ primo creavit, eadem & conſervat.

Cum autem motus tantum modus ſit, quomodo ergo fit, ut ab uno ſubjecto migret in aliud? v.g. quomodo motus, qui eſt in uno globo, transferri poſſit in alterum. Si motus tantum modus ſit? nam repugnaret, modum eſſe extra ſuum ſubjectum & in aliud tranſire. Quæſtioni huic ſatisfit, ſi in corpore motus duo conſiderantur movens ipſum & ipſe motus; qui eſt in mobili. Vis movens eſt ipſe Deus, qui tantundem translationis in materia conſervat, quantum primo produxit, vel ipſa ſubſtantia creata, cui Deus impertivit vim,

rem

rem materialem agitandi ut mens humana, aut quodcunque aliud, cui ineſt facultas movendi corpora. Motu autem, qui eſt in uno mobili, non migrat in aliud; id enim omnibus modis repugnat. ſed motus, pro ut tális modus eſt, continuo immutatur; alio enim modo globulus movetur; prout ſeparatur ab uno puncto corpóris, & alio quum ſeparatur a ſecundo. Deus ſemper eadem vi utitur, ſine ulla accretione aut decremento, applicando vim illam tum ad unas tum ad alias partes materiæ; & quando corpus durum aliud movet, non illi qualitatem realem impertit, ſed tantum determinat univerſalem cauſam, ad applicandam potentiam ſuam ad alterum corpus determinatum.

19 Superius dictum, quod corpus calidum frigido applicatum caloris ſui aliquid amittat, & partes corporis calidi aliquid ſui motus communicant partibus frigidi corporis, quod tangunt: intelligendum corpus quod movetur, & alteri fit obvium, tantum ſui motus amittit, quantum alteri impertit: alias citra alium terminum

terminum motus adaugeri vel minui poſſet; ex quo tandem eveniret: ut mundi ordo turbaretur atque etiam ejus ruinæ fieret periculum, nam motu ſic invaleſcente; ut omnes mundi partes celerrime concitentur, quid niſi flamma una omnia forent? & e diverſo, motu ita debili effecto, mera ubique glacies deprehenderetur?

20 Altera cauſa ſubſtantiæ materialis motus principium nempe particulare eſt, ſeu ſecundarium, cui motus ſingulares tribuuntur, ſic quæcunque res, modo ſimplex & indiviſa ſit, in eodem ſemper ſtatu manere affectat, in quo eſt, niſi ab externo impetu propellatur. Pari modo, ubi corpus aliquod moveri cœpit, nulla ratio eſt, cur non eadem celeritate perpetuo tendat, quamdiu nihil occurrit, quod ejus impetum remoretur aut ſiſtat. Hinc fit, quod corpus, ſemper ulterius moveri, pergat, niſi adſit impedimentum, quod illius motum ſiſtat. Sic corpus, quod ſemel motum eſt, v. g. pila reticulo emiſſa, non parieti, a quo reflectitur, inhæret, cum illa interrupti-

one data, nulla dari poſſit cauſa, quæ eam ad motum denuo excitet, ideoque ex ſupra allatis concludendum, omne illud, quod movetur, ſemper moveri, & illud, quod quieſcit, ſemper quieſcere.

21 Qualitas demum humiditatis & ſiccitatis declaranda eſt; has qualitates paſſivas eſſe explicabant. Humiditatem dicebant eſſe paſſivam qualitatem, facientem, ut res ſuo termino difficulter, alieno facillime concludantur. Siccitatem eſſe qualitatem paſſivam, facientem, ut res ſuo termino facile, alieno difficulter includantur.

Sed nimis intricatæ & inconvenientes ſunt hæ qualitatum explicationes; nimirum calorem qualitatem eſſe congregare homogenea & diſgregare heterogenea, contrarium ſupra demonſtravi n. 12. frigori nequaquam qualitas activa convenit, quia nec heterogenea nec homogenea ſimul congregat, hoc docet frigoris modus ſeu quies; quæ ſunt enim in quiete poſita, tamdiu implicat eis actionem tribuere, & quam-

diu

diu non ſunt in abſoluta quiete corpora poſita, abſolute frigida haud nuncupanda ſunt. Inſtabis, ſi implicat frigori actionem tribuere, ſeu in aliud corpus agere, tunc corpora in quiete poſita nunquam agerent in corpus proximum, ſed corpora frigida & in quiete poſita agunt in corpus proximum, ergo non implicat &c. Probatur etiam: nivis vel glaciei aut alicujus metalli partes ſunt in quiete poſitæ, quatenus unitæ & nondum diſſolutæ aut ad motum raptæ, agunt in corpus proximum frigefaciendo illud, ergo partes in quiete poſitæ ſeu frigidæ agunt in corpus proximum. Negatur antecedens, ratio hujus negationis data eſt n. 15.

Quæritur jam, quomodo metallum aut lapis, cujus particulæ ſunt in quiete poſitæ & ad motum nondum deductæ calefieri poterunt, & ita calefactæ proximum corpus commovere & calefacere aut plane reſolvere. Reſp. particulæ metalli aut lapidis nondum diſſolutæ non agunt in corpus proximum ſeu calorem aut motum non communicant obviis corporibus, ſed particulæ igneæ & æther ſubtiliſſimus in

poris

poris metalli aut lapidis incluſus & ad motum concitatus non ſolum in metallum cui inhærent; ejusdem particulas ſucceſive disjungendo, verum etiam particulæ igneæ & æthereæ ex poris metalli aut alterius corporis duri recurrentes & expulſæ in obvia corpora agunt. Imo, ſi in motu ſuo prævalent, & nimium abundant, non tantum corpora, quibus inhærent; ſed etiam proximiora plane diſſolvunt & ad motum promovent. Solum itaque harum motus agit in corpora proxima, & ea ad motum concitat & calefacit, frigus vero nunquam agere poteſt in corpus aliud, quamdiu particulæ quieſcunt & frigidæ ſunt, non operantur, frigori itaque potius paſſiva qualitas attribuenda eſt.

Ita etiam dicunt humiditatem eſſe qualitatem paſſivam, facientem ut res ſuo termino difficulter, alieno facillime includantur, ſic aqua, vinum, oleum, pinguedo &c. Corpora humida undique diffluere & non niſi intra vaſorum terminos cohiberi poſſe, facientem, facere & non agere implicat, & eſſet potius qualitas activa: ut res ſuo termino difficulter, alieno

eno facillime includantur. Non propterea illa humida ſunt, quæ non proprio termino includuntur, metallum, ut fuſum proprio termino contineri nequit, ergo humidum dici deberet, nix & glacies econtra ſicca, ſic etiam oleum deſtillatum, aut ſpiritus rectificati & volatiles nequeunt niſi intra vaſorum terminos cohiberi, & ſunt ſiccæ naturæ, poteſt itaque humiditas pro diverſitate ſtatus tam activa
22 quam paſſiva qualitas eſſe. De qua plura infra in §. 1. cap. 3. legenda erunt. Non aliter de ſiccitate ſentiendum illæ particulæ ſiccæ, prout in motu vel quiete conſtitutæ ſunt, activæ vel paſſivæ qualitatis erunt. Siccitas ſolummodo conſiſtit in defectu humidarum partium, quia ſiccitas eſt mera humidi privatio. Qua de re

23 Dico præter humiditatem aquæ non reperiri aliam humiditatem, ita Kircherus in ſuo itinerario refert, aquam alterum eſſe generale univerſæ generationis principium, humidum ſcilicet radicale, gluten illud vel maxime neceſſarium inter ſulphur & ſalem. Nam ex ter-

reſtri

reſtri ſubſtantia producta mundi corpora ſine aqua mox ſiccitatis ſuæ cauſa in pulverem converterentur. De qua plura etiam in Tract. hoc. cap. 3. §. 1.

Quantitas a qualitate in hoc differt, quoniam qualitas ſeu modus eſſenti-
24 am rei declarat, quantitas materiæ extenſionem intrinſecam. Quantitas vero eſt extenſio materiæ, & impenetrabilitas partium ejus; ſive poſitio partium ejus extra partes.

§. III.

De aeris qualitatibus & proprietatibus.

Inveſtiganda jam venit aeris natura, utrum calidus vel frigidus, aut humidus vel ſiccus? an clarus vel denſus? an gravis vel levis ſit?

25 Aer ex natura ſua ut ſimplex & purus, eſt calidus, ſiccus atque rarus. Probatur ex definitione ejus jam expoſita, & ex illius proprietatibus, nam aer in perpetuo motu eſt, ergo eſt perpetuo calidus. Siccus autem, cum omni humido & madido privatus ſit, quod vero aer quandoque frigidus ſentiatur, non abſolute frigidus eſt niſi reſpective. Dum

enim aer in minori motu intrinſeco conſiſtit, nobis frigidior ſentietur illo, qui magis movetur. Humidus vero aer eſt, quando particulæ diſſolutæ ſeu rarefactæ aqueæ magis vel minus aeri immixtæ ſunt, ſic nos magis vel minus humectat. Aer enim inter ſua interſtitia recipit vapores & exhalationes tam terreſtres quam aqueas, ex quibus dein multum in ſua operatione immutatur.

26 Proprium eſt aeri rareſcere & condenſari, rareſcit, pro ut magis corpuſculorum externorum mixturam ad poros recipit, condenſatur pro ut minus. Nimirum dum materia ſubtiliſſima ſeu æther ſe in poros materiæ aereæ intrudit & diſſolvit. Itaque æther ab aere differt, quod æther conſtet ſubſtantia multo ſubtiliore.

Ex quibus colligitur, corporum rarefactionem, v. g. aeris, fumi, vaporis, non aliud eſſe, quam particularum terreſtrium ſecretionem & ſeparationem a motu concitatiori procreatam, & novæ materiæ ſubtiliſſimæ in ſpatia ab illis relicta ingreſſam. Condenſationem e converſo,

eſſe

eſſe earundem particularum intimiorem coitum, a motus ſeu caloris decremento ortam, qua imminuta agitatione ejus partes, non tanto cum impetu, ſe mutuo verberant, uti antea ſolebant; verum intra alterius corporis partes, quæ illas plus ſolito comprimunt, includuntur. Quia alias duæ aut plures partes eſſent in eodem loco ſub condenſatione, vel unam in duobus locis ſub rarefactione; vel dari vacuum, quod ex his ullum dici nequit.

Notandum penes eſt, quod corpus rarum reſpectu alterius corporis ra-
27 rioris denſum dici poſſit v. g. ſi particula aerea rarefiat & in duas, tres aut quator particulas minores dividatur, rarior eſt, altera particula aerea, quæ ſolum in unam aut duas diviſa eſt partes. Sic dicitur aer, quod ſit corpus rarum reſpectu corporum inferiorum condenſatorum.

28 Inter cæteras aeris proprietates aliqualis gravitas ei competit, quia reſpectu materiæ cœleſtis denſior eſt, a qua infra repellitur: pari modo aer undiq; terram ambiens illam tanto vehementius premit,

quanto eſt telluri ſuperficiei vicinior. Id ex utre aere inflato probari poteſt, quia gravior, quam antea. Hoc quoque ex Hydragyro e tubo ſuperne occluſo defluente probari poteſt.

29 Unde autem & quæ gravia, quæ levia corpora dicantur? ſciendum prius, corpora ex ſe nullam habent inclinationem naturalem ad deſcenſum aut aſcenſum, niſi a peregrino agente ad motum determinentur, & proinde illa corpora gravia dicuntur, quæ ab aliis deorſum truduntur, illa autem magis deorſum truduntur, quæ plus materiæ cæleſtis & aereæ ſupra ſe habent, aut quia illius curſui magis reſiſtunt. Ac proinde corporum gravitas in eo conſiſtit, quod minorem habeant a ſui motus centro (ſcilicet terra) recedendi propenſionem, quia ſi naturalis gravitas ineſſet corporibus ad motum deorſum, nullo modo fieret, ut v. g. levi oris attractu e longo tubo accurate polito globulus plumbeus ſurſum aſcenderet.

30 Levitas eccontra nihil aliud eſt, quam actio, qua corpora, quæ dicuntur

tur

tur levia, magis tendunt ad recedendum a centro, quam partes medii, in quo ſunt: quasque conſequenter infra depellunt. Quam levitatem hinc oriri conſtat, quod corpus leve vel plus habeat materiæ ſubtilis & aereæ, vel plus motus in ſuis partibus primi elementi motui obſequentibus; quam æqualis pars medii, in quo eſt: unde patet, unum corpus v. g. lignum, poſſe eſſe leve reſpectu unius medii v. g. aquæ; & grave reſpectu alterius v. g. aeris. Sub materia cœleſti intelliguntur particulæ primi & ſecundi elementi & partes aereæ tertii elementi; a quibus quo celerius corpora moventur, tanto leviora exiſtunt, quia ea ſimiliter reſiſtunt virtuti aliorum corporum, a quibus infra deprimi dejicique poſſent.

31 Intelligendum vero eſt, quod nullum corpus circa terram ſit, quod alteri corpori motum non impediat, alioquin terra verſus cœlos diſſiliret: in principio enim creationis mundi omnia in quiete, & unum chaos erant, mox autem, uti ſupra enarratum fuit, Deum materiæ certam motus & quietis portionem tribu-

iſſe n. 18. & 20. & ita indito motu a ſe invicem disjuncta tam in motu, figura, numero & ordine atque ſitu erant, terræque centrum conſtitutum fuiſſe. Non tantum terra proprio motu cietur circa centrum ſuum, ſed etiam deprimitur a materia cœleſti & ſubtiliſſima, ipſam ambiente, & omnes ejus poros pervadente.

32 Quæ autem cauſa diverſitatis in corporibus gravibus, quod aliqua præ cæteris ponderoſiora reperiantur, ratio eſt, quia non omnia corpora a materia cœleſti ſimili modo deprimuntur, cum interdum in illis non ſufficiat, ut cum v. g. in meatibus alicujus corporis, æqualis quantitas materiæ cœleſtis, ac in aere, qui illud ambit, reperiatur, nullam enim ſinguli globuli vim habent, ad alios ſui ſimiles loco pellendos, quia æqualis eſt in omnibus propenſio ad recedendum ſecundum lineas rectas. Ergo debent aliud corpus propellere, quod non habet tantam propenſionem, propter majorem quantitatem materiæ propriæ. Pluralitas non gravat plus, niſi etiam plus unita ſit: quæ enim diviſa ſunt in par-

ticulas

ticulas, facile extruduntur a gravioribus, & retinentur, ne deorſum eant a ſuppoſitis, quo enim in ſe plus aeris continent, minus gravatur corpus, & ſic etiam aer reſpectu corporum magis unitorum levior eſſe animadvertitur.

Cauſa gravitatis & levitatis in corporibus, differt etiam ab unione materiali, & uniformitate formali. Hoc eſt, quo corpora denſiora eo unitiora & indiviſibiliora; adeoque etiam ad centrum propenſiora, eoque exiſtendi potentiora ſunt. Item ab expanſione materiali & difformitate ſpeciali, & a miſtura illorum affectionum juvantium vel impedientium propenſiones ad centrum, & ad ſitum. Hinc aurum omnium metallorum ponderoſiſſimum, quia eſt unitiſſimum, hinc ratio, qua magis in aere ponderant & aqua, quæcunque ſunt ſpecie graviora, eſt unitas & uniformitas. Qua vero, quæ mole majora ſunt, pluralitas unitatum unita. Niſi enim unita ſit; aliquo pacto non ponderabit.

Sic eſt etiam diverſitas gravitatis in corporibus ſolidis, quamvis magnitudine

prævaleant, ut ferrum, chalybs, ſtannum, argentum, plumbum, aurum, mercurius, quo minus enim ſunt ſolida, minus ſunt unita, & conſequenter plus materiæ aereæ continent, & apertiores poros habent, quare rariora & leviora ſunt, ut lignum, quam quæ corpora ſunt magis ſolida & unita, ut ferrum. Mercurius autem, quamvis non videatur eſſe corpus ſolidum & unitum, quia facile disjungitur: attamen corpora ſeu particulæ ejus ad unitatem perfectam tendunt & coeunt.

33 Quæritur, quare aliquod corpus aquæ innatans ad ſuum centrum devenire nequeat ſua gravitate? v. g. lignum, quando illius pori aqua nondum impleti ſunt, quia aqua, ut corpus craſſius & glutinoſius ſibi invicem cohærens preſſioni aeris ut corpori ſubtiliori & mobiliori reſiſtit, & locum non cedit, quando vero corpus aliquod v. g. lignum in aqua per tempus aliquod innatat, tandem illius pori ab aqua implentur & particulæ aereæ in poris antea contentæ ſucceſſive

ceſſive expelluntur, & ita ingreſſis aqueis immergitur.

34 Quæritur etiam cur corpora in aere gravia? in aqua econtra leviora exiſtant? v. g. Aurum, ſi, ponderabit in aere 67. in aqua 66. econtra aliqua corpora in aere leviora, in aqua graviora ſunt v. g. ferrea pila in aere uncias decem aut novem ponderans, in aqua undecim ponderabit, & ſic de cæteris. Reſponſio eadem ut ſupra n. 33. nimirum varietas conſiſtit in unione particularum & extruſione aeris, quæ enim plus aeris habent, leviora ſunt; & dum ſe particulæ aqueæ ut graviores alicujus corporis poris accommodari poſſunt, & aereas excludi, tunc corpus magis premitur & plus ponderat in aqua, quam in aere. Sic econtra aurum, quod nullas aqueas particulas in poros recipit, ſaltem non tantas propter ſuam unitatem, hinc ab aqua plus ſublevatur, & minus ponderat quam in aere.

§. IV.

De aeris propulſione, de ventis, eorum origine & diverſitate.

Certum eſt aerem non tantum a radiis

35 ſolaribus, verum etiam a ſpirantibus ventis quotidie variari: exindeq; aeris ſalubritas non parum a ventis & immixtis ſuis heterogeneitatibus, utpote ſulphureis, mercurialibus, aluminoſis & nitroſis &c. quales ex cryptis ſubterraneis a montibus variis mineralibus impraegnatis, provenientibus immutatur.

36 Venti autem nihil aliud ſunt, quam vapores agitati, qui expanſi ex ſpatio anguſtiori, in quo erant, in aliud, ubi facilius dilatantur, tranſeunt, aerem, & occurrentes exhalationes non parum ad venti impetum vim contribuentes, propellunt. Vapores non tantum ab aquæ ſuperficie, ſed etiam ab humida tellure, nubibus, nive, originem ſuam trahunt, plures tamen ſol, dum lucet e mari, quam a terra elevat, & econtra radiis ſolis abſcedentibus, plures e terra vapores in aerem irrumpunt, quam e mari, quia motus particularum terreſtrium diutius, quam aquarum continuatur, ideo venti de die a mari de nocte autem e terra potiſſimum oriuntur.

Cum igitur globus terraqueus ingentem exhalationum & vaporum copiam

caloris

caloris vi participet, aliter fieri nequit,
quin inter nubes & montes, aliaque cir-
cumſtantia corpora impellantur, ibique
ſe neceſſario in majus ſpatium dilatari
debeant, & cum inibi contentis ſpatium
ſufficiens denegetur, qua dilatationis vi,
ſe invicem magno impetu expellunt: &
ita egredientibus obvium aerem ſecum
rapiunt atque pro quantitate materiæ ve-
hementiores excitant ventos, aut ſi quan-
doque breviter exitum non inveni-
37 ant, ſed per terræ cavitates propel-
lantur, terram exagitant terræque
motum efficiunt, & non raro ſimul diſ-
jiciuntur pro ratione quantitatis materiæ.
Quod ut clarius intelligatur: Recipe glo-
bum ex æri omni ex parte clauſum præ-
ter exiguum foramen e latere confe-
ctum, pars ejus inferior impleatur aqua,
& igni apponatur globus, tunc multæ par-
ticulæ aqueæ in vapores diſſolutæ intra
globum reſiduum alias aere ſolo imple-
tum, elevabuntur; ſed cum plura cor-
pora in eodem loco ſubſiſtere nequeant,
& partes aereæ etiam adſint, ſequitur, par-
ticulas tam aeris quam aquæ majus ſpa-
tium

tium exigere, & ex globo magno impetu per foramen erumpere, vicinumque aerem validius agitare & propellere, & hoc tamdiu continuare, quamdiu aliquid aquæ ineſt, & globum ſuis reſolutis particulis implere poteſt.

38 Jam de ventorum diverſitate & quot communiter numerantur, ſatis experimur ventos variari, diverſoſque eſſe vel pro loci, in quo generantur, diverſitate, ut nemorum, fluminum, montium, planietierum; regionumque magis aut minus calidarum: vel propter nubium, montium, & adverſorum ventorum occurſum, quia non tantum in cavitatibus montium contenti vapores, & inde exire coacti ventos generant; ſed etiam excitari poſſunt inter montes, & proximas nubes, aut ventos illuc impingentes; vel etiam inter planitiem, & nubes

39 ſimiliter, aut ventos: ſi nempe agitati vapores, a nubibus obviis, & a ventis nimis coarctati ſibi ex aliqua parte viam aperiant, tunc ventos maximos excitant. Nautæ recentiores pro variis Horizontis partibus ventos triginta duos nume-

40 merant & dividunt in cardinales quatuor & collaterales viginti octo. Cardinales ſunt Eurus ab ortu, Auſter a meridie, Favonius ſeu Zephyrus ab occaſu Boreas a parte ſeptentrionali. Quos Ovidius Metamorph. 1. v. 61. ita deſcripſerat:

Eurus ad auroram, Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.
Veſper & occiduo quæ litora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt zephyro: Scythiam ſeptemque trionem
Horrifer invaſit boreas; contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab auſtro.

& alibi 1. triſt.

Inter utrumque fremunt immani turbine venti
Neſcit, cui Domino pareat, unda Maris &c.

Reliqui viginti octo, qui interſeruntur binis Cardinalibus, diſtribuunt nimirum ſeptem inter Eurum & Auſtrum, ſeptem inter Boream & Eurum, ſeptem inter Auſtrum & Zephyrum & ſeptem inter Zephyrum & Boream, quos etiam nautæ ſuis titulis ſalutant. Uti

Uti vero venti a variis mundi plagis derivantur, ita proprietatibus diſcrepant, vid. Philoſophos varios de Ventis. Quoad quatuor ventorum qualitates, evidenter patet, Boream maximam condenſandi & per accidens ſiccandi vim habere, quatenus particulæ aquæ condenſantur, aut e corporum poris, aut ab eorum ſuperficiebus, dum aeri exponuntur, educuntur, quoniam ex particulis aquæ dulcis craſſioribus & cum aere mixtis conſtat. Frigidus autem eſt, quia ſecum meridiem verſus materiam borealem rapit, quæ propter radios ſolares obliquos frigidior eſt.

42 Auſtralis calidus & humidus eſt, quia ex partibus aquæ ſubtilioribus, utpote quæ ſimul e terra ſurgunt, componitur. Calidus, quia ſubtilem materiam, quæ in meridionali plaga erat, ſeptentrionem verſus ſecum deducit, ventus enim a locis, per quæ tranſit, plurimum alterari ſolet, atque ideo pro regionis & plagæ, per quam fertur, ratione, calidus, vel frigidus, humidus vel ſiccus eſt.

Eurus

Eurus ſiccus & calidus eſt, quia curſum naturalem vaporum adjuvat, & eos facile diſſipat. Zephyrus humidus & frigidus, cujus vapores lentius moventur, & contra naturalem curſum vaporum nitantur, illos ſiſtunt, facileque cogunt in nubes: cum ex oppoſito illi eoſdem pellant ac diſſipent.

43 Variantur denique etiam venti e loco & tempore, ſic humidi oriuntur a locis humidis, ſicci vero a ſiccis locis perflant: ſic in Europa venti meridionales a mari mediterraneo perſlantes vulgo ſunt humidi; contra vero in Ægypto ſiccisſimi, qui a ſicca Africæ terra ortum ducunt. Ita æſtatis tempore ut plurimum ſicciores, quam hyemis tempore.

Ita etiam diverſitas ventorum calidorum aut frigidorum, humidorum aut ſiccorum a ſole & aquis dependet, quando enim ſol circa circum radios ſuos in linea recta magis diſpergit, plus contenta aeris calefacit, quæ ultro propulſa ventos calidiores efficiunt, quam radii oblique vapores & partes aeris moventes, & reſpective frigidiores efficientes. Et quanto plus

plus aqueas particulas ſecum ferant, tanto humidiores ſunt venti.

44 Notandum autem, non omnem commotionem vaporum & aeris ventum eſſe, ſed quando partes aeris & ejus contenta a loco in locum longinquum propelluntur & deferuntur. Finis ventorum
eſt, ut purificatur & alteretur aer, &
45 ut nubes in varias mundi regiones ad
terram irrigandam diſtribuat, demum,
ut exerceatur navigatio, & ignis flamma excitetur. Qui plura de ventis deſiderat, adeat phyſicam; ſolum ſupereſt adhuc de aeris natura ſeu vi elaſtica quædam explicare, quæ non omnibus nota eſt.

§. V.

De natura aeris elaſtica.

46 Sub elaterii nomine intelligitur vis aerea, qua concentratus & condenſatus aer in priorem expanſionem ſeu libertatem ſe vendicare nititur: illa autem expanſio, qua aer obſtacula amovet, quibus comprimebatur ſubita & prompta eſſe debet; quoniam ejus partes, quæ antea non niſi complicatæ moveri poterant, omnes viribus junctis, tunc reſiliunt, & vi

glo-

globulorum cœleſtium, circa eas aſſidue fluentium, ſimul impetum faciunt, ad ſpatium majus occupandum: quod in fontibus artificialibus, vaſis pneumaticis, chalybis ſpiris, quæ intra tympanum, quo portatilis horologii rotæ agitantur, & circumvolvuntur, patet.

47 Probatur aeri ineſſe elaſticitas ex veſica urinaria quodammodo inflata, vel ad imitationem Boylei vitrum aſſumatur capacitatis exiguæ, cujus collo arcte eſt alligata veſica exacte complicata, eaque ſuſpendatur in pneumatica machina antliæ ſuctu evacuanda, tum ita expandere ſe illud tantillum aeris comparebit, ut rupturæ veſicarum præcoces imminere videantur, certo ſubſecuturæ, niſi aerem ulterius evacuare deſiſtatur. Non minus aeris elaſticitas videtur in machinis, promotus nempe aquæ ſaltus. Hippoc. jam olim compagem ſolidam corporis animati maximam partem tubuloſam eſſe cognovit.

Dein ſunt particulæ aereæ non niſi certo elateris & rigiditatis gradu donatæ, ad vitam, ignemque ſuſtinendum idoneæ, in quantum ſcilicet iisdem minus obrige-

L ſcen-

ſcentibus, particulæ nitro aereæ copia debita non inſunt, neque iſtæ ſatis prompte excuti, aut exhauriri poſſunt. Ita quoque conſpiciatur Clariſſimus D.
48 Magow Medicus Londinenſis in ſuo tractatu de ſale, nitro & ſpiritu nitro aereo, qui docet, rerum rigiditatem, & vim reſiliendi a particulis nitro aereis quieſcentibus procedere v. g. ut vitrum aut ferrum, idque genus alia obrigeſcant, vimque reſiliendi obtineant, requiritur, ut eadem igni violentiori commiſſa excandeſcant, dein mox aquæ frigidæ immerſa celeriter refrigerentur; ut ita particulæ nitro aereæ rebus prædictis ab igne communicatæ, frigoris occurſu a motu ſuo impediantur, & eorum compagi ſtrictius infigantur. Nimirum particulæ nitro aereæ, quæ circumgyratæ, ignitæque rerum earum excandeſcentiam particulas, ab invicem diduxere, eoque etiam earum compagem laxam effecere, eædem iam propter frigoris occurſum a motu ſuo ceſſantes, inſtar cuneorum, ſive ſpiculorum maxime ſolidorum in earum meatibus defiguntur, a quibus eo modo

infixis

infixis, obrigeſcentia rebus inducitur; &
hac etiam ratione frigus rerum meatus
coarctat, hoc conſtat in chalybe, ex quo
dein ſilicis alliſione ignis excutitur,
49 quatenus particulæ nitro aereæ in
chalybe continentur, quæ ob ictus
violentiam erumpunt n. 15. & 21. ſi vero
ferrum ignitum lente refrigeſcat, parti-
culæ igneo nitroſæ per apertos ferri me-
atus (neque ut antea a frigore coarcta-
ti) paulatim ſe extricant, & abeunt; ita
ut ferrum igneo nitroſis privatum, mi-
nus rigidum, ineptumque evadat, ex quo
ignis excutiatur.

50 Vim aeream elaſticam a particu-
lis nitro aereis oriri, ipſisque particulis ae-
reis infixam eſſe, & ab iis per lucernæ
deflagrationem aut animalium reſpirati-
onem abripi, quæ ex particulis aereis ex-
cutiuntur, & aer prorſus effœtus, & vi
elaſtica deſtitutus evadit, hoc ultro
probat expiratio animalis aut lucernæ in
vitris collocatæ & occluſæ, quam-
51 vis aer ſufficienti copia in iis con-
tineatur, & non abſumatur, qui ſi
abſumeretur, atmoſphæræ preſſuram

animalculum minime pateretur, & taliter ſurſum elevaretur; quia particulæ aereæ particulis nitro aereis orbatæ, minus rigidæ evadunt, ita eædem ab atmoſphæræ preſſura magis inflectuntur. In ignis enim accenſione particulæ ignitæ cum impetu elaſtico exagitantur; ſicut enim vis reſiliendi, in rigidis inflexis a materiæ ſubtilis pulſatione procedit; ita etiam motus particularum ignitarum a materiæ ejusdem pulſu provenit.

Sicut autem in rigidis inflexis particulæ rigidorum intra materiæ ſubtilis circulos intruſæ, ab eadem pulſantur; & demum eædem, ſi rigidum uſque ad rupturam inflectatur, foras cum impetu excutiuntur: ita in igne particulæ ſulphureæ nitro aereæ minutiſſimos aeris, aut ipſius nitri porulos ſubeuntes, ibidemque in materiæ ſubtilis ſphærulas impulſæ, idem in particulas aeris imprægnatæ efficiunt, ac ſi eædem inſtar rigidorum uſque ad rupturam inflecterentur; ita ut particulæ igneo nitroſæ ex aere, non aliter, quam particulæ vitri e vitro fracto cum impetu

elaſtico

elaſtico proſilire videantur. Sicque fermentationes, generationes, diſſolutiones, & quicunq; motus inteſtini naturales tam ſolidorum quam fluidorum corporum a materiæ ſubtilis pulſatione aliquatenus ortum ſuum habent.

§. VI.

De aeris utilitate & anni temporum diverſitate.

Cum itaque vita noſtra & cunctorum viventium ſine aere protrahi nequeat: Neceſſario requiritur aer optimus, tenuis & purificatus, a ſtagnantium aqua-
52 rum, aut paludum vaporibus ſeu variis fœtidis effluviis nocivis non inquinatus, neç ex cadaverum non ſepultorum putridis halitibus invitiatus, vel qui editis undique montibus aut muris ſeptus, nullum perflatum recipit: ſed blandis, ac ſvaviter ſpirantibus ventis præſertim orientalibus agitatus, & qui ab aquis puris & fluentibus vapores recipit, & e terræ ſinu temperate immixtas exhalationes tam nitroſas, ſulphureas, ac aluminoſas &c. habeat. Aeris enim nullo modo perflati particulæ immixtæ facile

cile corrumpuntur, elaſticitas debilitatur, hominisque texturam invertere & in morbos impellere ſolent.

53 Uti aer in omnibus locis non æqualis: ita naturæ ſeu texturæ & conſtitutiones viventium non æquales ſunt, ita uni naturæ calidior, alteri frigidior, uni humidior, alteri ſiccior aer convenit. Non minus in una regione magis craſſus eſt, homines magis ſegnes, in alia regione magis ſubtilis & tenuis, homines magis agiles efficiens, ideo aer calidus & ſiccus ſeu ſulphureis particulis plus immixtus naturis cholericis ſeu bilioſis nocivior; econtra phlegmat. ſeu humidioribus naturis aptior eſt.

Aer itaque nos afficere & alterare poteſt pro ratione ſuæ qualitatis & quantitatis, quando vel nimis craſſus vel nimis ſubtilis, aut quibusdam particulis terreſtribus aut aqueis imprægnatus, & corporis noſtri conſtitutivis minus proportionatus exiſtit, ſic circa mare & loca paludoſa aer utcunque craſſior eſſe ſolet. Ita etiam a frigoris conſtrictione hyemis tempore hoc accidit, quod aer craſſeſcat, ideo quamvis in hyeme ſerenum cœlum conſpicia-

ſpiciatur, longe tamen craſſior aer eſt quam æſtivo tempore, quod in effectu vario & proſpectu ad longinquum locum apparet.

54 Aer tripliciter quidem corpus noſtrum afficit; primo quatenus illud ex trinſece ambit & humorum texturam re primit, poroſque magis vel minus conſtringit. Secundo quatenus per aſperam arteriam in pulmones ore & naribus attrahitur, ſanguinique communicatur. Tertio quatenus in ſumptione cibi & potus corpus ingreditur ad ulteriores ſecundum ſuam qualitatem producendos effectus.

55 Aer non tantum homini ſed cunctis rebus tam animatis quam inanimatis inſervit, ut de eius elaſticitate conſtat. Nunc mihi adhuc reſtat, de ejus utilitate diſſerere, in corpus humanum ingreſſi. Quando nimirum aer in pulmones attrahitur, maximam pulmonum cavitatem occubat, in cujus cellulis incipit ſe expandere, veſiculasque pulmonum extendere, quatenus ab exeunte aere particulæ elaſticæ activæ maxima ex parte relinquuntur & maſſæ ſanguineæ

 communi-

communicantur, vid infra n. 57. Confirmatur etiam hoc ex aeris exploſi ineptitudine ad ulteriorem reſpirationem, quo vita non diu ſuſtineri poteſt. n. 51. niſi accedente novo aere inſtauretur.

56 Dein etiam pro diverſitate aeris preſſuræ, diverſa quoque contingit pulmonum contractio, quam excipit ſimilis aeris ejectio, indeque etiam variatio vocis, durantis adeoque ac brevis vehementioris ac lenioris, magis minuſve ſonoræ deducitur.

Reperitur quoque aeris utilitas & neceſſitas in ignis propagatione, ſine aere enim ignis materialis minime ſubſiſtere poteſt: ita neque fermentationes & effervescentiæ.

57 Aer neceſſario inſpirari debet. Fœtus quam primum in lucem editus, dum ſemel reſpiravit ad exitum uſque vitæ reſpirare debet: Aer enim temperatus per pulmonem ingreſſus, ejus particulæ reſervatæ ſanguinem reſolvunt & volatiliſant, ſpiritus excitant, corporis excrementa quædam ſenſibiliter quædam inſenſibiliter expellunt. Hinc ſanguinis fluor tuetur,

&

& obſtat, ne disſimiles adeo partes inter ſe cohæreant. Hinc vario & jugi motu cientur, ut partes quædam ex crudis & fixis fiant volatiles. Accedit etiam in aere eſſe partes quaſdam nitroſas, ſolidas & penetrantes, omniſque generis ſalſas, acidas, adſtringentes, oleoſas, aquoſas, ſulphureas, amaras & dulces &c. una cum ſubtili materia, quæ vaſa capillaria ſubeunt, & ſanguinis motum concitatiorem efficiunt.

Aer tandem immixtus ſanguini, fermentationem ſanguinis promovet, & plurimas particulas ſuperius enarratas ſanguini amittit; ècontra vapores fermentando excitatæ, reliquæ inhabiles & ſuperfluæ aeris particulæ partim exſpirando partim per alias vias foras expelluntur. Exinde ſanguinis contenta, quæ prius nigriora, craſſiora, & pauperiora ſpiritibus, purpureum inducunt calorem, rariora, magisque expanſa & pleniora ſpiritibus fiunt, quia ut res ſit fluida prius atteri & dividi ſeu attenuari debet, quod experimentaliter in machina pnevmatica de varia animalium reſpiratione juxta diverſos

aeris ſtatus edocent Doctor Boyle & D. Papin. in Phil. Reg. Burg.

Si aer afficit ratione ſuæ temperiei exquiſite temperatus nec in calore nec in frigore, nec humiditate nec ſiccitate excedens, aut deficiens, corporibus quoque temperatis ſalubris erit, ſi intemperatus ſeu in qualitate quadam excedens aut deficiens, naturis contraria qualitate prædictis conducet.

58 Ut ut autem unusquisque ſuæ temperaturæ convenientem aerem eligere & poſſidere nequeat, arte ſupplendum & per induſtriam aer ſuæ temperaturæ accommodandus eſt v. g. ſi corpus bilioſum & calidum indigeat aere frigido (a calido plus calefieret) aer frigefaciendus eſt per ædium irrigationem, habitatio altior & frigidior verſus ſeptentrionem inſtituenda, victus & potus ratio mutanda, aliaque in §§. ſequentibus annotata. Si autem corpus frigidum indigeat calido, habitatio calefacienda, aut corpus bene veſtiendum & a frigore muniendum eſt, hoc videtur in animalibus hirſutis & pennigeris, quod hyemali tempore ex natura neceſ-

neceſſario hirſutiores & plumoſiores ac-
creſcant.

59 Aer ad motum appetitus etiam non
parum confert, hinc in quodam loco ho-
mines voraciores quam in alio: ita etiam
diverſitas ſitus & regionum facit quos-
dam bilioſos, alios phlegmaticos, alios
60 melancholicos: imo quod magis eſſe
videtur, quædam regio ſalaces & fu-
res, una aſtutos, alia pios & ſimplices,
quædam libidinoſos, altera ventri & pi-
gritiæ facit addictos, quamvis quidem
quandoque educatio naturæ indolem
multum variat & immutat.

61 Quod ſi vero locus aeris mutari ne-
quit, corrigendus eſt v. g. ſi impurus &
fœtidus, igne accenſo & fumatione alte-
randus, vel cibo & potu corpus calefieri,
frigefieri, humectari vel ſiccari debet; Sic-
uti aliter cibus & potus præparandus eſt
in hyeme, aliter æſtivo tempore, aut etiam
in frigore commotio major facienda &c.
de quo in capite & §. ſqq. plura ſequentur.

62 Aerem ſummopere mutant anni
tempora, quæ anni tempora aſtrolo-
63 gi in quatuor dividunt æqualia; nimi-

rum

rum ab ingreſſu ſolis in arietem, & usque ad ingreſſum in cancrum, hocque conſtituunt tempus vernale. Et ab ingreſſu ſolis in cancrum usq; ad ingreſſum in libram tempus æſtivum, tandem ab ingreſſu ſolis in libram uſque ad ingreſſum capricorni tempus autumnale, & ab illius ingreſſu uſque ad ingreſſum ſolis in piſces vel potius in arietem tempus hyemale, quæ in calendariis demonſtrantur. Medici & populi diverſi juxta conſtitutionem regionum anni tempora menſurant, ſic in locis calidioribus orientalibus & meridionalibus æſtatem diutius, in locis vero frigidioribus ut ſeptemtrionalibus occidentalibuſve hyemen.

64 Hæc ipſa autem anni tempora diſtincta in numerum quaternarium non quovis anno æqualia ſunt, præſertim in locis & regionibus temperatis; ita etiam in una regione ratione loci & ſitus variatur aër. Unde montes altiores tenuiori & ſicciori aere circumdati ſunt, quam valles, craſſities enim aeris aſcenſum minuit, graviores enim & craſſiores particulæ aeri

immix-

immixtæ majorem globulorum æthereorum preſſionem patiuntur vid.n.6.quam minores, hinc etiam frigidiores vid. n. 7. De potiori autem ver inter alias anni tempeſtates temperatiſſimum eſt in ſua qualitate non tam facile excedens, & veris principium plerumque ad hyemis, finem ad æſtatis naturam remiſſius accedit.

65 Quapropter ver temperatiſſimum anni tempus & ſaluberrimum jam olim confirmavit Hippoc. Aphoris. 9. ſect. 3. Autumno morbi accidunt acutiſſimi & funeſtiſſimi fere. Ver contra ſaluberrimum eſt, minimeque funeſtum, quia tunc radii ſolares recti magis in terram noſtram incidunt, quam antea, qui majorem calorem producunt, ut antea, aer fermentationi aptior evadit, & ſanguis quaſi nova vitæ aura inſpiratur, unde ab hoc tempore agiliores evadimus. Quod autem ſæpius ingrediente vere multi morbi excitentur, fit, quatenus ver humores corporis noſtri rareſcere & plus commovere incipit, ſanguinem auget, ſpiritus in motum concitatiorem impellit, & uti

corpus

corpus pravorum humorum per hyemen collectorum &condenſatorum reperit,etiam plusvel minus morbi cauſa eſſe poteſt. Vel ſi ver non temperatus ſit, ſed in calore vel frigore, humiditate vel ſiccitate excedat, tunc plerumq; morbos gignere ſolet. Vernali etiam tempore germinantia vegetabilia uberius effluvia ſpirant, & non omnibus hominibus proportionata, ita etiam evaporationes & exhalationes terreſtres abunde aeri immixtæ humores alterant & febres alioſve morbos cauſant.

66 Reliqua anni tempora his qualitatibus prædita ſunt. Nimirum æſtas calida & ſicca eſt, autumnus frigidus & humidus, hyems frigida & ſicca, un-
67 de æſtas calida & ſicca, corpora calidiora & ſicciora efficit, humores attenuat & diſſolvit, ſpiritus diſſipat, coctionem ciborum reſtringit, ſalia exſiccat & inſpiſſat, bilem volatiliſat & ideo febres billioſæ plerumque hoc tempore oriuntur, quippe fermentationes ſeu motus ſanguinis inteſtini ſolitò majores ſunt, & humores noſtri particulis tenuibus, & partes ſolidæ elatere quoque nimium depau-

pauperantur, unde debilitas, præſertim ſi ſubito in aerem frigidum mutatio fit, ſubito enim ſanguis condenſatur, & fibræ rigidæ evadunt; vel potus frigidus aut acidus nimia copia ingurgitatur. Sic autumnali tempore plurimæ febres, diarrhœæ, dyſenteriæ cæteriq; morbi, quorum Hipp. memorat ſect.3. Aph. 22. Autumno vero multi æſtivi morbi in hominum vitam invadunt, tum etiam febres quartanæ, & erraticæ, & lienum tumores & hydropes, & tabes, & ſtranguriæ & lienteriæ &c. quando nimirum æſtatis tempore ſanguis particulas ſpirituoſas & oleoſas amiſit, facile adveniente frigido ſeptembre octobrique condenſatur; & acidiores reliqui humores redduntur, irritationem inteſtinorum cauſantes & continuantes.

Autumnus frigidus & humidus, humores denſat, poros conſtringit ſua athmoſphæra craſſiore & frigidiore, morbis maxime ferax propter inæqualitates, quæ in eo contingunt, circa meridiem enim æſtus, & circa veſperum frigus, corpora humidiora reddit, cutem emollit, fibras laxat, corruptioni anſam præbet;

ſiqui-

dem humidiora corpora citius putreſcunt quam ſicca, torporem ingenii ac tarditatem inducit. Aer utique nubilus ac nebuloſus in humidioribus naturis pituitæ copiam acervat, & incraſſat, hinc in locis paludoſis & nebuloſis morbi frequentiores.

Hyems frigida & ſicca eſt, pituitæ procreatrix, poros adſtringit, catarrhos aliosque capitis morbos parit, obſtructiones viſcerum cauſat, ſecretiones & fermentationes retardat, urinæ copiam auget quatenus Diaphoreſis impeditur & minuitur, itaque plus hyemis quam æſtatis tempore mingimus, quamvis minus bibamus. Nec hyemali tempore tantus ineſt humoribus noſtris particularum motus, quia ſol oblique magis radios dimittit, & aer incumbens admodum depreſſus, igneisque particulis orbatus, corporis poros non ita apertos facit, & calor plus intus includitur, ſpiritusve humorum fluiditatem conſervant, quare etiam ſtomachus hyeme & vere calidior reliquis anni temporibus eſt. Affirmante noſtro Hippocrate ſect. 1. Aphor. 15.

inſi-

inſignes capacitates internæ hyeme & vere ſunt natura calidiſſimæ &c.

68 Unde Hippocrat. quondam nil magis in curandis morbis obſervabat, quam conſtitutionem aeris cujuscunque temporis, unde etiam hic ſenex magnus lib. de diebus judic. num. 1. plerumque enim hominis natura univerſi poteſtatem non ſuperat. Sanitas a potiori variatur a vario ſiderum, præſertim novi & plenilunii influxu, aut ab intempeſtivis caloris, frigorisque vicibus, inſenſibilem tranſpirationem varie turbantibus, ac etiam a natura flantium ventorum n. 41. & halituum terræ, ut poſt terræ motus frequentes, ac pariter æquinoctiali & ſolſtitiali tempore.

69 Demum non tantum ab aeris inclementia vita & ſanitas corrumpitur, ſed ſunt adhuc multa alia ad vitæ conſervationem neceſſaria, in quibus modus & temperantia ſervanda eſt, quæ etiam ſecundum ordinem §§. declarantur; alias ſanitas & vita noſtra pariter deſtruitur & abbreviatur. De quibus ſit

CAPUT II.

De reliquis requiſitis ad ſanitatem & vitam neceſſariis.

NUllum in rerum natura datur vivens, quod ſolo aere ſuſtentari poſſit: quamobrem rerum creatori placuit
70 ita efficere, ut corpora craſſa a craſſiore materia ſuſtententur. Quatenus fit, ut ſimilia ſimilibus conſerventur, dicente Hippoc. & contraria contrariis curentur; ad hoc, ut motuum circulus in corpore vivente (ſumo jam tantum in corpore humano) continuetur & per motum evaporatis, aliæ ſuccedant in nutritionem, neceſſe ita eſt, ut alimentum ingeratur. Quod autem eſt omne id, quod in corporis noſtri ſubſtantiam converti poteſt, & illud nutrire aptum ſit.

Duplicia autem alimentorum genera reperiuntur, aliqua etenim ex plantarum, alia ex animalium generibus continen-
71 tur. Ex mineralium genere hucusque nondum reperta & apta fuerunt: quia partes habent a noſtris nimium difformes, iisque

iisque ob rigiditatem ſuam partibus adhærere incapaces & non ſatis diſſolubiles.

72 Cibus variæ eſt conſtitutionis, vel eſt boni ſucci & nutritivus, vel mali & plus nocivus. Item aliquis eſt facilis reſolutionis, alius difficilis: qui quidem difficilis reſolutionis ſeu concoctionis, & non ſuperflue ſumitur, reſolvi tamen, & in chylum laudabilem & minime corruptibilem converti poteſt, hoc videre eſt in hominibus pauperis conditionis, qui duriſſimum cibum comedunt, tamen ipſis bonæ ſanitati & nutritioni conducit. Econtra divites, qui ſe optimo cibo facilis reſolutionis onerant, ſed abundanter ſumpto facile corrumpitur & malæ nutritioni cedit, ſanitatemque lædit. Cibus denique in quantitate non excedens & optimi ſucci, excrementisque non multum refertus, is facile reſolvitur, & digeritur, optimeque nutrit, ſanitatique convenit & cito reſtaurat, de quo plura dabit

§. I.

De generali ciborum ſumptione.

Si inter cæteras res non naturales ad vitæ, ſanitatisque conſervationem quemlibet

M 2 libet

libet attentum eſſe oportet, tunc certe temperantia tam in cibo quam potu cujvis ſtudioſe obſervanda eſt: nempe

Pone gulæ metas, & erit tibi longior ætas.

Hippocrates noſter centeſimum & quartum ætatis annum attigit, qui cui-
73 dam interroganti cauſam manifeſtavit. Dicens, ideo ſenui, quia ſatur de menſa nunquam ſurrexi. Item ille lib. 6. de morb: popul. §. 4. inquit: ſanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. Sub labore quævis corporis exercitia eſſe poſſunt. Idem ulterius ait, quiete ſeu abſtinentia magni morbi curantur, hinc ſobrietas ab Helmontio diætæ cardo nominabatur. Abſtinentia vero in tantum accipitur, in quantum quivis ſuæ complexionis & ventriculi robur noſcit ſatis eſſe, & a ſuperfluo ita abſtinere, ut exinde nullam gravitatem chylificationis & læſionem ſtomachi percipiat. Nam quid prodeſt multivaria ciborum ingeſtio n. 83, quæ neque facile diſſolvi, neque in chylum & nutrimentum laudabile cedere poteſt. Quia
74 robuſtior ventriculus etiam duriorem

&

& ſolidiorem cibum ac etiam in majori
quantitate, quam delicatior & debilior
requirit, qui cibum levem potius & faci-
le digeribilem inque minori quantitate
expoſcit. Quapropter quantitas & qua-
litas cibi & potus bene obſervanda
75 eſt, cibique quantitas ſemper magis
nocua quam qualitas, præſertim in
non aſvetis, de aſvetis non ita, ut Hippoc.
loquitur Aphor. 50. Sect. 2. conſveta lon-
go tempore etſi deteriora ſint, minus
moleſta eſſe ſolent, a qua non receden-
dum aut ſubito mutandum eſſe. Repenti-
na enim mutatio naturæ vim infert, &
ſummopere alterat, ſed potius ſenſim in
contrarium illa conſvetudo dirigenda, ſi
opus fuerit, quod difficulter fit, niſi in
mediocritatis ſtatu ſervata fuerit, quod
enim jam nimium naturæ infixum eſt,
non tam facile & repente mutari pot-
76 eſt, adeoque conſvetudo altera qui-
dem natura, ſtricta tamen, eodem-
que ciborum genere uti, non adeo pro-
ficua, ſed ſecundum Celſum quandoque
varianda, & melior eligenda, non ad ſe-
mel ſed ſucceſſive.

77 Alimenta aſſumptura moderata ſint, quamvis in ſubſtantia quamoptima, in quantitate autem excedentia, non ſine deperditione virium ſtomachi: imo vix exacte reſolvuntur, ſed loco chyli laudabilis, cruditatum generant copiam nutritioni ineptam, corpus infirmum reddunt & vitam abbreviant. Econtra moderate aſſumpta, diverſorum morborum cauſam auferunt, vitamque prolongant.

78 Præcipua itaque ratio ciborum & potus moderata quantitas eligenda eſt, etſi deterior cibus, in quantitate autem minor facilius concoquitur, & melius nutrit, quam in quantitate excedens, etſi optimus & leviſſimus cibus ſit, quia etiam leviſſima, in quantitate vero excedentia, pondus augent. Unde Hippoc. Aphor. 17 Sect. 1. ait: ubi plus cibi, quam pro natura ingeſtum eſt, hic morbum facit. Et Medicis opem fert, uti quidam canit poeta:

Vivere naturæ ſi convenienter amarent
Mortales, Medica nil opus eſſet ope.

79 Galenus declarat, majores noſtros paucioribus morbis laboraſſe, quia frugalius

lius vixerunt. Diogenes Cynicus admirabatur a diis id expetere, quod in noſtram poteſtatem aliunde a Jove promiſſum & datum eſt. Audiamus Eccles. cap. 37. v. 34. proferentem: *Qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Quid prodeſt pro obtinenda bona valetudine cœlos pulſare; deinde vero cibo & potu ſe nimium ingurgitare & ſanitatem lædere. Non fruſtra nos monet Eccles. cap. 37. *noli avidus eſſe in omni epulatione & non te effundas ſuper eſcam, in multis enim cibis erit infirmitas.*

Abſtinentia & moderata quantitas vitæ neceſſaria, corpori & animæ ſalutifera, imo remedium ſalutis eſt, & vitæ pro-
80 longatio, mors culpæ, excidium
delictorum & fundamentum caſtitatis. Econtra quid mali ex gulæ inordinatione & ventris repletione non oritur, *Quorum Deus venter eſt?* eſt enim fomes libidinis, flagitiorum omnium mater, turbatio capitis, ſtomachi laſſitudo, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, naufragium caſtitatis: confundit naturam, amit-

tit gratiam, & incurrit in damnationem æternam. O quam peſtiferi fructus gulæ! quam ſalutares abſtinentiæ? gula paradiſum clauſit, ſuſpendit piſtorem, decollavit Joannem Baptiſtam. Balthaſar inter epulas manum ſcribentis vidit: & eadem nocte a Chaldæis peremptus eſt. Denique *propter gulam multi obierunt* refert Eccles. cap. 37. Caveat igitur ſibi quivis & eligat abſtinentiam, quæ vitæ longævitatem, & animæ ſempiternam gloriam pollicetur. Ezechiel. cap. 4. v. 10. *Cibus tuus, quo veſceris ſit in pondere & menſura.* Beatus Iſidorus de ſummo bono lib. 2. cap. 12. *Sicut omnes*, ait, *carnales cupiditiitates per abſtinentiam reſecantur, ita omnes animæ virtutes, edacitatis vitio deſtruuntur, ea enim vitæ ac ſanitatis peſtis eſt:* Quid mortalibus hac in vita dulcius ipſa vita? quid ſanitate amabilius? & tamen quid certius, quam edacitate, ciboque immoderato hanc peſſundari, & illam occidi? contra vero moderata abſtinentia ac diæta illam conſervari & produci? Oremus itaque cum S. P. Auguſtino: *Averte a me Domine*, oris ſcurrilitatem & ventris inglu-

gluviem, & exoptemus: utinam ad alimenta, tamquam ad medicamenta accederemus mortales.

Sanctus Paulus 1 Eremita annos 115. vixit, ex quibus centum egit in Eremo, quadraginta quidem primis annis cum paucis dactilis & hauſtu aquæ, reliquos vero annos, poſtquam dactili defeciſſent, pane dimidio, quem corvus ei quotidie adferrebat. Sanctus Antonius Eremita ætatem produxit ad annos 105, ex quibus 90. egit in Eremo ſolo pane & aqua corpus ſuſtentans, quibus in ſenectute quandoque aliquid oleris addebat. Non ſolum hi & alii ſancti viri & fæminæ, ſed etiam reliqui homines reperiuntur, qui ſolo pane & aqua, aut alio parciore & ſimpli-
81 ciore victu aluntur, quorum corpora nec minimam alterationem ſentiunt, & longiore vita fruuntur, quam homines laute viventes, non minus videmus in monaſteriis pauperioribus & in abſtinentia viventibus, cibisque ſimplicioribus utentibus, ut in plebeis, qui procul ab urbe ſolitarie vivunt, atque conſortiis & commeſſationibus exulant, eos ætatem

habere ſenilem, & decrepitos fieri, robuſtosque manere, morbisque torqueri perpaucis aut nullis. E contra in civitatibus, oppidisve, in quibus lingua molli & ſapido cibo, ut olim in divite illo, *qui quotidie ſplendide epulabatur; ad cujus januam jacebat Lazarus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa ejus, & nemo illi dabat* Luc. 16. v. 19. ſaturatur, regnat morborum numerus, & rariſſimi in ſenectutem trahuntur.

Experientia quotidiana elucet, multos morbos diæta præcaveri, & ſanari per
82 ſolam diætam, & quamvis quandoque accidit, quod diæte viventes a morbo etiam tendentur, ut tempore epidemico fieri ſolet, citius tamen plerumque ab illo liberantur, quam qui corpus multis humoribus crudis & ad ſanitatem continuandam ineptis immerſum habent; id etiam in mutationibus aliis temporum advertitur v. g. dum Auſtrina conſtitutio repente ceſſat, & in aquiloniam mutatur, tum calida & humida, ſubito in frigidam & ſiccam fit mutatio, quæ reddit homines plurimos catarrhis, pleuritide aut

peri-

peripneumonia obnoxios, præſertim qui inconcoctis & crudis humoribus abundant, qui ſi præmature nimium moveri incipiunt, morbos facile progignere poſſunt, repentina enim mutatio morbum parit. Quare Hippoc. Aph. 51. Sect. 2. refert: Plurimum atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſive quovis alio modo corpus movere periculoſum, omne enim violentum naturæ inimicum, ſed quod paulatim futurum eſt, cum alias, tum, cum ab altero ad alterum tranſitus fit.

83 Inconcoctis & crudis humoribus autem abundant ii homines, qui necdum digeſtis prioribus cibis, ſe iterum novis & multis implent, quomodo enim poſterior repletio ciborum digeretur, ſi prior cibus nondum reſolutus fuerit: ita primus cum ſecundo crudus manet, & varias obſtructiones & cacochymias producit, morbisque viam pandit, non itaque conſultum, ut prius cibus alter ingeratur, antequam prior non reſolutus fuerit, & nos fames incitaverit.

Fames

84 Fames autem eſt appetitus cibi, dum ſucci acres & vellicantes ventriculo inſtillant, unde ob motum membranis & nervis inductum, phantaſia ſeu imaginatio cibum in remedium appetendi oritur, quo aſſumpto particulæ illæ ac res obtunduntur, involvuntur & diluuntur, tandem vellicatio famis ceſſat. Fames vero ſolummodo ſedanda non ſatianda eſt ſecundum monitum Eccleſiaſt. cap. 31. *Utere, quaſi homo frugi, his, quæ tibi opponuntur*, & Proverb. 11. *Juſtus comedit & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſatiabilis.*

Cum vero moderno tempore in morem introductum ſit non uno & ſimplici cibo uti, ſed pluribus & varie præparatis, ii vero ſint complexioni, ætati, tempori atque in quanto congrui, & bene maſticati, quia ſolidiores & ſicciores, quatenus ſaliva imprægnati & in partes dentibus diviſi facilius in ſtomacho di-
85 minuuntur. Neque tutum eſt uno eodemque cibo aſueſci, ſi non continuari poteſt conſuetudo, ab altero enim non aſveto cibo facile alteramur & infirma-

mamur, ideo ſtricte una re uti, eamque non poſſe continuare, conſultum non eſt, quod ſi verò pluribus congruis aſveti ſimus, non tam cito alterabimur vel infirmabimur, dummodo quantitas obſervetur, conſvetudo vero ſi bona ſenſim fiat vel incipiatur.

Non minus quisque cibos & potus complexioni & ætati, temporique anni, appetituique valde adverſos, vel in
86 quadam qualitate peccantes fugiat, ut
v. g. multos acidos, ſeroſos vel pituitoſos, vel biliosos aut ſalſos cibus &c. quibus interitus naturæ brevi cauſaretur, ſed contrarium & diverſorum ratio habenda atque temperaturæ ſuæ cibum & potum convenientem & notum eligere oportet. De quibus ſingulariter infra.

87 Appetitui tamen quandoque aliquid concedendum, ita multoties & ferme ſemper ſanis ſunt omnia ſana (quod ſapit nutrit) dummodo ſobrie & probe maſticata aſſumantur in quanto debito. Cibi enim, quibus aliquis delectatur, præferendi ſunt cæteris, quibus aliquis averſatur, cibi nempe dictante appetitu ingeſti,

geſti, fermentum digeſtivum n.106. ſubigunt,& prompte transmutant: nam ex re intenſius appetita ſpiritus noſtri animales tum maxime ad concoctionem concurrunt,& ita corpori noſtro remedium&nutritio optima paratur. Attamen appetitui non ſemper fidendum,nec eis quæ gu-
88 ſtui grata eſſe videntur. Quia poteſt cibus præparari, ut appetitui ſapiat, in quanto autem non conducit, vel ſi fraude præparetur cibus, v. g. ſi cum melle, vel ſaccharo varia venena aut autimonium exhiberetur, ſaperet quidem ſed ſumma calamitate vitæ. Debet ergo appetitus eſſe reſtrictus & ad cibos naturales cognitus, in quanto quoque moderatus, etſi in qualitate non adeo bonus, minus nocebit, afferente Aphoris. 38. Hippoc. ſect. 2. Paulo deterior cibus & potus, qui tamen ſit ſvavior, melioribus quidem, ſed minus ſvavibus anteferendus; quia ſiquis cum aliquo faſtidio vel horrore inſolita & apparenter nociva ingerat, plus venenoſa & nocua ſunt.

89 Reperiuntur etiam mortalium cibis ſe ſe quotidie quidam ingurgitantes,

cra-

crapuliſque quotidie gravati, nihil ominus ſeneſcere. Sed ad quid ſunt habiles tales homines, multis pravis humoribus impleti, nec poſſunt ſine detrimento valetudinis, arduis mentis functionibus diu intendere: nam tota vis ſpiritum animalium concoctioni cibi aut potus impenditur, & etiam obruitur, ad animique actiones parum aut nihil habiles ſunt, & ſi corpore diu vivant, tamen animo, ingenio & Deo parum vivunt, qui ſi ſobrius vixiſſent, vitam adhuc longiorem adepti & ad actiones melius diſpoſiti fuiſſent.

90 Generalis quantitas ciborum determinari nequit, neq; omnibus hominibus ſalubres aut inſalubres ſunt; ſed pro diverſa eorum natura, vitæ genere & exercitiis quoſdam cibos aliquibus magis convenire, quoſdam vero aliis commodiores eſſe. Sic cui ſtomachi conſtitutio robuſtior & efficacior & corporis exercitia graviora ſunt, robuſtioribus & graſſioribus atque pluribus cibis opus habent. Propter quam cauſam agricolæ, bajuli, foſſores, nautæ, aliiq; artifices ac laborioſi craſſiore cibo indigent, quales ſunt panis furfuraceus non

re-

recens, carnes bubulæ, ſuillæ, infumatæ, caprinæ, hircinæ, legumina, caſeus antiquus, olera cruda &c.

91 Qui vero debilioreſtomachi conſtitutionis participes ſunt, aut qui ſtudiis & mentis aliis occupationibus deditì, horum ſpiritus animales concoctioni alias ſuccurrentes n. 107. & eam promoventes, per ſtudia & ſpeculationes profundas conſumuntur, impetuque faciente deſtituuntur tales delicatiores & leviores cibos aſſumere oportet in quantitate haud excedentes, quales ſunt panis ex puriſſima tritici farina confectus, recens bene coctus & fermentatus, oculatus. Caro vervecina, hædina, vitulina, caponum, gallinarum, pullorum, pipionum, perdicum, aliarumque avicularum montanarum. Merito ergo viri literati ſtipendiis magnificis honorandi ſunt, ut cibis delica-
92 tioribus frui, & reipublicæ ſcientia præeſſe poſſint, ita in Tract. 3. n. 18. quapropter eadem & exacta victus ratio omnibus hominibus æqualis eſſe nequit.

93 Diæta ab Hippocrate & Galeno in triplicem dividebatur, ſcilicet in tenuem, quæ

quæ vires imminuit, aut debili ſtomacho conducit, mediocrem, quæ vires conſervat, & plenam, quæ auget. Tenuis nunquam ſanis & firmo ſtomacho, ſed ægris & parum famelicis tantum competit; tum etiam iis, qui multis humiditatibus corpus habent repletum, alias ut Hippocrates ait lib. 1. Aph. 5. tenuem victum, eumque admodum exquiſitum paulo pleniori eſſe periculoſiorem; quia facilius eſt cauſis replentibus ſubvenire, quam exhauſtas partes ſolidas & exhauſtum humidum primogenium reficere.

94 Modernis vero temporibus minime diæta obſervatur, ſed indifferenter nimia ciborum quantitas ingeritur, præſertim a ditioribus, qui non paucis & ſimplicibus alimentis contenti, ſed diverſis & multis cibis noviter excogitatis, naturæ vero multum pernicioſis ſe onerant, quibus tandem nihil aliud ſperandum eſt, niſi ſanitatis interitus vel ipſius vitæ finis. Ex multitudine enim ciborum prava ſequitur concoctio. Ut venerandus Seneca refert, diverſa ſive multa cibaria corpora

plus inquinare & gravare, quam alere & ſublevare.

95 Tandem qualitas non minus obſervanda eſt, ſunt enim quidam temperati quidam intemperati. Temperati ſunt, qui in nulla qualitate excedunt, præcipue ſi quantitas jungatur; intemperati, qui in aliqua qualitate ſuperant. Sic vinum forte, piper, zingiber, cepæ, allium, in qualitate caloris manifeſte nos immutant; refrigerant vero aqua dulcis & ſimplex, panis ex hordeo, avena, acetum, lactuca, acetoſa, cucumeres, melones, &c. ita tamen ut ſupra n. 15. 19. 20. omnia acida & incraſſantia, quatenus motui minus apta, motui reſiſtunt, & calorem debilitant.

96 Quæſtio intervenit: utrum cibi ſolidiores vel liquidiores prius in menſa ſumendi ſint? Praxi & conſuetudine quotidiana edocti ſumus, potius tenuioribus & liquidioribus cibis iisque calidis incipere, hi enim fermento ſtomachico, & ſpiritibus animalibus citius ſuccurrunt & robur augent, frigidi econtra cibi plus diminuunt & incraſſant. Attamen aſſvetis uno vel alio modo non multum intereſt,

dum-

dummodo cibi ſolidiores bene maſticentur n. 102. & ſaliva imbibantur. Hoc tamen in multis jam ſum expertus, qui vel jejuni, vel vix fruſtum panis deglutiverunt, jam potu & quidem frigido ſe impleverunt, qui exinde in morbos periculoſiſſimos & lethales inciderunt, quia jejunus, bibens præcipue vinum, fermentum digeſtivum ſtomachi invertit, dein cibis ſolidioribus ingeſtis ac etiam liquidis perfecta concoctio impeditur, & cruditates gignuntur obſtructionum genetrices.

97 Tandem etiam concoctio in ſtomacho non ſolum a calore, ut vulgus putat, perficitur: ſed aliæ adhuc concurrunt cauſæ ad diſſolutionem ciborum perficiendam. Si enim calor ſolus ſufficeret, tum æſtivo tempore, dum corpora maxime fervent, aut in morbis calidis, ut febre ardente, vel in exceſſivo motu, plurimo egerent alimento, ſed contrarium apparet: imo non modo non bene concoquit, ſed nec appetitus ad cibos excitatur, quod ſi eduntur, ſtomachus plus gravatur, & corpora infirmantur. Sunt itaque alia et-

iam validiora requiſita ad concoctionem neceſſaria, quia, uti oſſa, lapilli, ferrum, nunquam a ſolo calore corrodentur aut ita diſſolventur, ut diſſoluta maneant, niſi addatur aut ſuccurrat aliud menſtruum reſolvens. Nonne in ſtruthio cameli ventriculo ferrum conſumitur, in gallinarum & avium lapides, in canibus oſſa & cartilagines? Iſta omnia ignis in tam minimas particulas diſſolvere nequit. Antequam ergo de concoctione dicam, reſtat prius conſtitutionem ſtomachi non omnibus notam explicare.

98 Ventriculus eſt pars membranacea cava, inſtar urticulæ luſoriæ, in abdomine ſub diaphragmate inter hepar & lienem ſita, quatuor conſtans tunicis, quarum prima communis nuncupatur, & a peritonæo deduci creditur, ſecunda carnoſa, tertia nervea & rugoſa, quarta ac intima cruſta villoſa, glandulas verſus nerveam obtinens, duo habens orificia, ſuperius ſiniſtrum ſtomachus, inferius dextrum pylorus dicta.

99 Copioſiſſima poſſidet vaſa ventriculus arterias a cœliacæ ramis tam dextro quam

quam ſiniſtro gaſtricas dictas, venas a venæ parte, quarum aliæ ex ipſo trunco, aliæ ex ramo ſplenico maxime emergunt, & nonnullæ, quæ ventriculo & omento quaſi communes ſunt gaſtroepiploicæ. Ex hiſce oritur aliqua vena major, quæ ventriculum ſecundum longitudinem fere totum cingit, & ideo coronaria appellatur, non autem plane ventriculum tangit, niſi valde diſtentum, ramosque per ejus membranas ſpargit; vena ſplenica etiam aliquos ſurculos ad ventriculum transmittit, qui ſurculi vaſa brevia vocantur, nervos habet a pari vago, plurimis etiam imbutus eſt vaſis lymphaticis. Ut itaque bona & exacta ciborum digeſtio ſeu concoctio in ventriculo peraga-
100 tur, & chylus laudabilis perficiatur ad nos alendum, decem exiguntur re-
101 quiſita ad eam perficiendam. Primum eſt, ipſe ventriculus naturaliter conſtitutus n. 98 & 99.

102 Secundum requiſitum ſunt alimenta bene maſticata & ſaliva permixta. Neceſſe certo eſt, antequam cibus exacte diſſolvatur, ut molitura quædam præce-

 dat,

dat, quæ cibum ſubſecuturæ fermentationi in ventriculo præparet. Illa præparatio vero fit, dum cibus in os ſumptus, mediantibus maxillæ inferioris, linguæ & labiorum motibus, & quidem durus dentibus caninis, molis inciſoriis, hinc molaribus facta agitatione imminuitur, cui ſe immiſcet peculiare quoddam menſtruum e glandulis faucium exſtillans, quod ſale ſuo, de quo participat, cibum ulterius diſcindit in minutiora corpuſcula, quæ ſalivæ ſeu menſtruo innatantia pro diverſitate motus, quo circumnatando fibras linguæ nervoſas afficiunt, ſeſeque poris linguæ inſinuant, varios conſtituunt ſapores. Omne exinde ſapidorum corporum diſcrimen ex varia particularum, quibus conſtat craſſitie, figura & motu pendet. Sic prædictas linguæ fibras alio modo agitari a ſale, alio ab aqua acida, alio ab aqua communi & dulci, & alio ab aqua vitæ; ita ut anima in cerebro Tract. 3. n. 73. præſidens varios ſapores omnino diſtinctos apprehendat, quia ſal conſtat particulis oblongis, duris & diverſimode angulatis, quæ linguæ fibrillas

pun-

punctim feriunt, & illud neutiquam inflexæ ingrediuntur. Aqua acida ſenſorio oppoſita, ipſum ſciſſim movet, & comprimendo nonnihil conſtringit, quia ejus particulæ in nervos ex obliquo influendo, tenuiſſimas particulas incidunt, in craſſiores autem impingentes, inflectuntur, & transverſim meatum ſubeunt. Aqua communis & dulcis dicta organi poros non ingreditur, ac proinde illud nullatenus fodicat, aut pungit, quia ejus particulæ, molliter ſuper linguam fluitantes, & ſemper in latera jacentes, ob facilitatem, qua flectuntur, vix guſtu ſentiri poſſunt; ac proinde inſipiditas illi adſcribitur. Aqua vitæ linguam mordet, & vellicat, quoniam ejus particulæ, omnium altiſſime pervadunt, & motu celerrimo concitentur, & ſic de cæteris ſapidis corporibus, quæ pro varia partium diſpoſitione diverſimode in guſtus ſenſorium agunt. Poteſt etiam guſtus diverſitas ab ipſiusmet organi contextu & diſpoſitione dependere, hinc qui organo ſunt delicatiori ſaporibus delicatioribus delectantur, & qui craſſiori & firmiori craſſioribus.

103 Sapores reperiuntur novem, ut acer, amarus, ſalſus, acidus, adſtringens, acerbus, dulcis, oleoſus & inſipidus, qui ad ſuperiores ſapores facile rediguntur, nimirum ad ſalſum, acidum, aquoſum, & ſpirituoſum. Jam ulterius de concoctione ciborum.

Dum in ore ſic præparatus cibus, nempe mediantibus linguæ & faucium muſculorum motibus, ad pharingem & abhinc ſuper rimulam laryngis ab epiglotide occluſam, ſpinctere ſe anguſtante fibrisque muſculoſis æſophagi motu periſtaltico ſe ſucceſſive contrahentibus, tandem in ventriculum detruditur, cui ſequentia concurrunt ad diſſolutionem ſeu concoctionem.

Tertium requiſitum eſt fotus partium circumjacentium ventriculi, fotus autem ſunt vapores varii ex viſceribus variis exhalati & per poros ventriculi ruunt foras introſpectantes, quæ ſolo motu perfici debent, ita Hippocrates omnia in corpore perſpirabila eſſe dicit. Contrarium ſi fiat in aliqua parte noſtri corporis, ſtatim pars dolet, anxietates circa

præ-

præcordia ſentiuntur, quatenus non datur vaporibus & halitibus liber tranſitus, ita, ut circulum ſuum continuare poſſint. Hinc impetum faciunt in poros obſtructos, fibras nimirum diſtendendo pariunt doloris ſenſum ſeu magnas anxietates, quatenus rumpuntur, aut ruptionis periculum incurrunt, dein hepatis & partium circumjacentium calor, unde etiam pinguius & carnoſius abdomen, magis quam macilentum ventriculum calore fovet.

105 Quartum requiſitum conſiſtit in varietate alimentorum in ventriculo contentorum. Duplex autem varietas, prima craſſior, ſecunda ſubtilior, prima in hominibus delicatioribus, qui ciborum varietatem amplectuntur, ſecunda in ſimplicibus alimentis, ſingula enim alimenta habent ſuum ſal, acidum, terram, aquam, oleum.

106 Quintum requiſitum eſt fermentum ventriculi, multum enim facit varietas fermenti, nam non omnia fermentantur ab omnibus v. g. Aurum fermentatur ab aqua regia, & non argentum: e-

contra argentum fermentatur ab aqua forti & non aurum: quia fermentum debet eſſe appropriatum alimentis coquendis. Hujus autem fermenti videatur origo, natura, operandi vis. Quoad naturam, magnam ejus partem conſtituit ſaliva alimentis maſticatis permixta, origo & ejus maxima pars tranſudat ex arteriis gaſtricis in cavum ventriculi, vaſa gaſtrica a cœliacis oriuntur, vis hujus liquoris conſiſtit in particulis ſalinis & acidis, quales erant in ſaliva permixti, & ut nullum prædominetur, alias morbum facit plus vel minus: uti v. g. ructus acidos, choleram, colicam. &c.

107 Sextum requiſitum eſt influxus ſpirituum animalium, ſeu ſuccus nervoſus & triplex eſt uſus, primus, ope illius conſtringitur ventriculus, ſecundo, fermentum ventriculi ab illorum impetu in actum deducitur, & altius in alimenti poros adigitur, reſolutionemque ciborum perficit, ideo ubi conſumptio ſpirituum vel per ſtudia & ſpeculationes nimias, vel per venerem exceſſivam, aut per reliquas fatigationes ſuperfluas corporis

appe-

appetitus modicus, languidus, aut plane nullus deprehenditur. Tertius uſus eſt ſpirituum animalium, ut fermentum ventriculi ab iisdem temperetur.

108 Septimum requiſitum ſunt reliquiæ chymi a priori coctione relictæ in rugis ventriculi, ut plerumque in rugis ventriculi reperiuntur chymi reliquiæ, niſi a cibis vel flatibus nimium diſtentus ſit, alias non ita arcte contrahi poteſt, ut omnem chymum excernat (chymus diſtinguitur in hoc a chylo) quod chymo adhuc inſint humores crudiores, cui recrementa etiam admixta ſunt: chylus vero jam a fæcibus ſeparatus & purior exiſtens, qualis in vaſis lacteis conſpicitur, & illæ reliquiæ ſucceſſive acceſcunt, & coctionem promovent.

109 Octavum requiſitum eſt potus debitus, aut aliud ſufficiens liquidum humectans, quod ſi nullus admiſceretur aut aquæ, aut vini, aut cereviſiæ, Coffe aut Thee, alterque potus aut aliud liquidum, ut juſcula tenuia, vix aliquid chili, niſi craſſi, produceretur & elaboraretur, ex ſolido tantum cibo parum aut nihil extrahi

trahi poteſt niſi mediante humido: idem videre eſt in compoſitione emulſionis amygdalatæ, quæ amygdala ſi ſola exprimerentur, ſolum oleum emitterent, ſi autem contundantur ac ſuperfundantur aqua, humor lacteus inſtar chyli fiet. Eſt quidem in alimentis commixta aqua, oleum, pinguedo; ſed cum non omnibus alimentis, præcipue ſolidis ſufficiens liquidum inſit, neceſſe eſt additio materiæ liquidæ ſuperius dictæ, ut chylus ſeu lacteus humor facilius efficiatur, & dein per pylorum in duodenum inteſtinum effluere & a vaſis lacteis abſorberi, a reliquisque excrementis ſecerni poſſit. Cibus vero ſolidus abſque potu difficile ex ventriculo truditur, ac etiam longiore coctione & humectatione indiget, & multoties prius acorem contrahit.

110 Nonum requiſitum eſt æther ſeu mundi materia ſubtiliſſima, hæc cauſa ſeu matrix eſt omnium Phænomenorum totius univerſi, & ab ea omnium rerum viciſſitudo & mutabilitas, ſine hac totus mundus coaleſceret in adamantinam duritiem, nec ulla daretur in mundo mutatio,

tatio, hæc, ignis eſt diſperſus per totum univerſum omne calefaciens & commovens, nullibi includitur nec excluditur, nullo in fixo ſtat loco, ſed fulminis inſtar quosvis corporum poros transmeat. De hac materia plura in Phyſica de Cartes reperiuntur. Iſte denique æther partes aereas elaſticitati inſervientes impellit, fermentationem & reſolutionem contentorum ventriculi promovet.

III Decimum requiſitum eſt diaphragmatis motus, qui mediante inſpiratione & exſpiratione ſurſum & deorſum movetur, cujus motu ciborum ac potus particulæ perenne ſurſum ac deorſum hinc & inde moventur, ac tandem digeruntur; eorundem digeſtorum ciborum exitum adjuvat.

Ex harum cauſarum concurſu ſequitur potens ventriculi concoctio, qualis ignis ope perfici nequit, quatenus duriſſima alimenta in noſtro ventriculo digeruntur & reſolvuntur, ut oſſa, vitra, teſtacea, oculi cancri, margarithæ, corallia &c.

Concurrentibus his requiſitis & transmiſ-

miſſis in ventriculum cibis, omnino
112 ſpongioſi & poroſi fiunt, quatenus ſpiritus æthereus, qui in eorum latibulis una cum aereo continetur, non ſolum propria energia, ſed calore foventis & amplexantis ventriculi excitatus ſe movere incipit, producitque in tota maſſa motum, quo motu ciborum poros antea anguſtos, dilatat: particulas ab amica unione disjungit, & in minutiſſima fruſtula diſcerpit, ſymbolum confert ſaliva deglutita &c. ut ſupra n. 102. donec tandem unus cibus mollior, tenuior, purior & melius maſticatus cæteris citius ad cremoris conſiſtentiam redigitur, & tunc chylificatio illa in ventriculo peracta eſt, tandemque ex ventriculo motu periſtaltico adjutatoque elatere ſucceſſive eliminatur.

Omni vero tempore cibaria ſumpturi, non nimium ventriculum onerent,
113 quibus reſolvendis nec hæc decem requiſita ſufficient, nam frequentiores epulæ cruditatum generant copiam; ſed in tantum ingerantur, ut ſapiatur fames, & corpus noſtrum non exhauriatur aut de-

debilitetur, aut humores ſe invicem aggrediantur & conſumant, unde multi affectus exoriri ſolent corporis, ut fatetur David Pſalm. 108. *Genua quidem mea infirmata ſunt a jejunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.* Hinc in gradu diſtinguitur jejunium ab abſtinentia; quoniam abſtinentia non inhibet in tanto famem pati, uti jejunium vid. n. 84.

114 Jejunium autem ſtricte ſumptum & nimium corpori noceri poteſt, referente Hippocrate Aph. ſupra citato 5. n. 92. quapropter jejunium moderatum ſumi debet, quod non præcipit ita famem pati ad interitum vel detrimentum naturæ; ſed in tantum abſtinere, in quantum corpori noſtro refocillatio ad breve tempus denegatur, & propterea non deſtruitur natura: imo potius innoxii humores
115 per jejunia moderata conſumuntur n. 81. qui alias morbum cauſare potuiſſent n. 82 & hinc elaſticitas roboratur, vita atque ſanitas conſervatur, per abſtinentiam enim multi morbi præſer-
116 vantur & curantur n. 82. animæque ſalus n. 80. conſequitur.

Ea-

Eapropter jejunium nihil aliud eſt, quam inſignis abſtinentiæ actus, vel cum S. Ambroſio Serm. de Elia & Jejunio,
117 quid eſt inquit jejunium, niſi ſubſtantia & imago vitæ cœleſtis. Jejunium eſt refectio animæ, cibus mentis, vita Angelorum, mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, gratiæ radix, fundamentum caſtitatis, nam ſine baccho & cerere friget venus.

In ſacris litteris legimus, multos mortales per jejunia ſeu abſtinentiam natu-
118 raliter ſublatam temporalem vitam conſervaſſe, tandem etiam æternam aſſecutam fuiſſe, *quia non in ſolo pane vivit homo* Deut. cap. 8. v. 3. & Matth. cap. 4. v. 4. Ita jejunio Ninivitarum interitus præſervatus eſt Jon. cap. 3. v. 5 & 7. Tob. cap. 12. v. 8. & Luc. 6.

A priori n. 96. quærebatur, utrum cibi craſſiores vel tenuiores in menſa
119 prius aſſumi debeant? & utrum liceat jejuno ſtomacho a potu paſtum inchoare? Inter Medicos quidem altercatio eſt, cum hauſtus jejuno ſtomacho fermentum invertat, & diluat, adeoque

an

an cœnam a potu incipere etiam competat? ut Poeta ſvadet:

Ut vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

Notandum eſt, ſi a prandio ad cœnam usque aliquis nihil adhuc biberit, nec liquidi comederit, vel in antecedenti prandio non ſatis biberit, vel ſe quis poſt prandium valde defatigaverit, tunc hic verſiculus moderate ſequendus, quoniam a potu & liquidis citius reſtauratio fit, annotante Hippocrate lib. 2. Aph. 11. *Facilius eſt refici potu quam cibo.* De hoc vide plura inferius n. 281.

Quæritur etiam, utrum cœna & pomeridiana ſive ferquentior cibatio præ-
120 ter prandium conducat, uti laborioſis & peregrinantibus, qui per diem tribus vel quatuor vicibus comedere ſolent. Per generalem quantitatem ituri facile reſpondetur huic quæſtioni. Nimirum neminem prius cibum ſecundarium ſumere oportere ſive in labore, itinere, alioque exercitio conſtitutum, niſi prior cibus concoctus ſit, adeoque ſequens paſtus eousque protrahendus, ut nos ſequentes verſus monent:

Sit victus tibi cura tui, ne noxia ſumas,
Neve nimis comedas, ſolet hoc mortalibus eſſe
Maxima pernicies, hinc plurimus ingemit æger.
Præſertim hoc caveas, tanquam lethale venenum,
Non novus in ſtomachum cibus intret, ſi bene nondum
Conſumptus fuerit prior, & digeſtus ad unquam.

121 Certa & abſoluta regula non tam facile ſtatuitur circa cibandi tempus, quoniam conſvetudo & fames ipſa aſſumendi cibos eo tempore nos monere ſolet, in quo ſumus aſſveti, & quamprimum prior cibus bene concoctus eſt, & alia ratio non impediat, novus viget appetitus. Alioquin non adventante appetitu ſatius eſt cœnam aut paſtum differe vel omittere, quam in ſaturum ſtomachum cibum multum ingerere. Quod ſi itaque conſvetudo, ut in laborioſis n. 90. exigat, & appetitus vigeat, iis ſapius cibum aſſumere licet, quia melius eſt talibus repetitis vicibus comedere quam ut unica vice

122 vice ſe nimium impleant: ita etiam pueris frequentior cibus in quantitate autem non excedens magis conducit. Stomachus eorum debilis & pauco fermento refertus eſt, cum vero, referente Hippocrate ſect. 1. Aph. 14. qui creſunt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus ab-
123 ſumitur. Hinc ſæpius ipſis cibus dandus eſt, eccontra ſenes non egent tanto alimento, nec ita voraces, quia natura eorum paucis contenta, quatenus calor & alia requiſita ad concoctionem robore deficiunt, adeoque magnam alimentorum copiam digerere haud valent, dictante Hippoc. ſect. 1. Aph. 14. Senibus parum calidi innati ineſt, paucis propterea fomitibus opus habent, quia a multis extinguitur, neque in ſenibus nutrimentum ita aſſimilatur partibus, vel tam cito conſumitur.

124 In communi autem ſatius eſt in ſingulis paſtibus quantitatem ciborum imminuere, quam unica vice ſe niminum implere, & paſtum a prandio ad cœnam & a cœna ad prandium diei ſubſe-

tis differre, eatenus melius vires inſtaurantur, nutrimentum deperditum reſarcitur, & ſuperflua ejiciuntur, quam ad ſemel in unico paſtu, vel prandio, vel cœna. Hanc ſupradictam binam modera-
125 tam cibationem Elias Propheta ſervus Dei ſervabat, quamvis alias abſtinentiæ valde deditus erat, attamen Dei juſſu penes rivum Carith corvi quotidie bis, nimirum ante meridiem pro prandio, & ad veſperum pro cœna panem & carnem ei adferre debebant, Reg. lib. 3. cap. 17. v. 6. Hæc bina cibatio a multis quidem adhuc obſervatur, cœna tamen minor prandio ſit, ut docet ſchola ſalernitana.

Ex magna cœna ſtomacho fit maxima pœna,
Ut ſis mane levis, ſit tibi cœna brevis.

126 Cœna etenim largior & potus abundans valde nocet, & quam maxime catarrhoſis & pituitoſis ſeu phlegmaticis aut ſtomacho debili præditis, quia in talibus humores cum larga cœna per noctem vix ac ne vix quidem concoqui & conſumi poſſunt, imo plus vapores & humores ſuperflui generantur, & augentur, quam minuuntur,

nuuntur, quod ſi vero prandium non adeo larga manu ſumptum fuerit, cœnatio modium plus eſſe poterit.

127 Prandium vero tempeſtivum & ſalubre inſtituitur, quando una hora ante meridiem fit, ſi ulterius differtur, tempus brevius ad cœnam ſit, ſi autem cœna tarde ſumitur, tanto etiam peior concoctio mox ingreſſo ſomno perficitur, & melius ſi omittitur aut tenuis & parca ſumitur, & melius ſi ſe tempori accommodare poſſunt: *Quoniam omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo* dicit Eccles. cap. 3. & cap. 8. *Omni negotio tempus eſt, & opportunitas.* Et cap. 4. *Ideo fili conſerva tempus.* Cum ergo omnia tempus habeant, ſit itaque tempus negotiandi, ſit tempus comedendi & dormiendi.

128 Opportuno & maturo ſat tempore prandii fermentum ſtomachicum optime viget, alias prætergreſſa hora cibandi, appetentia & fames præcipue hoc tempore aſſvetis dejicitur, ſpiritus etiam per varias mentis excurſiones multum conſumuntur, qui ciborum concoctio-

nem promoviſſent. Dein etiam corpus
non tam cito inſtauratur ad perficiendos
ulteriores labores pomeridianos. Ex-
perientia etiam docet, homines tempore
opportuno & conſveto meridiano
129 prandium ſumpturos longioris vitæ
participes fieri, quam qui tardiore
prandio utuntur.

Ciborum demum quantitas pro varia
corporis conſtitutione, robore & æ-
130 tate determinari debet; ſic alia con-
venit quantitas ætati floridæ, alia ſe-
nili, alia homini debili, alia forti: ita alia
debet eſſe qualitas, eaque pro diverſita-
te temperiei, ætatis, temporis & regio-
nis ſeu loci, quia calidioribus & ſicciori-
bus naturis cibi frigidiores & humidio-
res expediunt, ut etiam pueris molliores
quam juvenibus & viris, ſic æſtate fri-
131 gidiores quam hyeme. Alimenta
calidiora & copioſiora autem magis
hyemali tempore. *Ventres enim hyeme
& vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni
longiſſimi*, annotante Hippocrate ſect. 1.
Aph. 15. Hinc hoc tempore copioſiori-
bus alimentis utendum eſt. Vere cibi
de-

debent eſſe qualitate & quantitate me-
diocres, calidiores tamen & copioſiores,
quam in æſtate, minus vero quam in hy-
eme. Autumno paulo pleniore cali-
diore, ac ſicciore victu utendum quam
in æſtate: ſed in principio ab eo, qui æ-
ſtati conveniens eſt, parum declinet: in
fine vero ad hyemalem magis accedat.
Omnes autem mutationes ſenſim fiant,
ne natura alteretur a ſubito mutantibus.
Victus puerorum ad frigidum & humi-
dum inclinare debet, & ideo omnes ca-
lidi potus & cibi pernicioſi ſunt, præci-
pue vinum. Hippoc. Sect. 1. Aph. 16. re-
fert, victus humidus febricitantibus con-
venit, maxime vero pueris, quia exſic-
cantibus & calidis alimentis incremen-
tum inhibetur, cum enim creſcunt, ma-
xime humido indigent. Galenus de ſa-
nitate tuenda cap. 9. mentionem fa-
132 cit, ut quoq; Plato ſecundo de legibus
præcipit, ne pueris uſque ad duodevi-
ceſimum annum vinum comedatur, quia
ignis igni additur, & habitum eorum red-
dit furioſum, ad venerem præmaturam
ſtimulantur, nec eam aggredi verentur.

Et venus in vino, ignis in igne furit.

133 Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis, Libido gravis ignis eſt; & ideo non dentur illi alimenta luxuriæ. Paſciur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Magnus D. Gregorius lib. 5. cap. 14. inquit: abſtinentia ciborum contra hoc vitium fortiſſima eſt. Senibus vero victus calidus & humidus convenit, quia corpora eorum refrigerata & exſiccata ſunt.

134 Alimenta vario modo præparari ſolent, elixatione, aſſatione, torrefactione, cibi elixi facilioris concoctionis ſunt, quam aſſi, ſed ſubſtantia eorum nutritiva plurimum in juſculo latet, qui
135 autem aſſi ſunt, plus nutriunt, quia ſuccus nutritivus per aſſationem intus conſervatur, quæ in elixatione excoquitur, qua ratione etiam aſſa magis laborioſis, elixa minori exercitio deditis conveniunt, niſi, quæ aſſationi parantur, & ex natura dura ſint, piſtillo ligneo aut ferreo contundantur, ut coqui facere ſolent, vel bene dentibus comminuantur, tunc enim facilioris digeſtionis fiunt,

quam

quam qui ſimpliciter aſſantur, & dentibus non bene maſticantur, prout denique etiam cibus eſt vel tenior, vel craſſior, tanto facilior eſt concoctu.

Non minus obſervandi ſunt cibi tam elixi quam aſſi, ne nimium ſaliti aut acidi valde ſint; modicum autem ſubacida appetitum augent, & ideo non plane vitanda, præſertim æſtate calida, tantummodo abunde quis acidis & ſalſis non utatur,
136 quia humores totius corporis graviores fiunt, quatenus ab illis inſpiſſantur, tardiuſque periodum ſeu circulationem ſanguinis abſolvunt, unde plurimi morbi oriuntur, ut ſcorbutus, melancholia, nephritis, capitis dolores, &c.

137 Circa aromata, quæ inter cibos, tam guſtus, quam utilitatis gratia immiſcentur, non unicuique complexioni, tempori, ætati, ſexui, regioni conveniunt, præſertim ſi nimium excedant. Qui enim calidæ & ſiccæ naturæ ſunt, valde modicus eorum conceditur uſus, qui uſus ſi moderatus, & ſecundum diſtinctionem complexionum & ætatum ut ſu-

 perius

perius dictum n. 130. & 131. adhibetur, noſtros ſuccos in motu conſervat, & vitales ſpiritus recreat, aliqui quidem exinde ſe male habere conqueruntur: ſed hoc evenit, quod tales non ſint in ſtatu ſanitatis optimo, vel nimium utuntur, aut etiam non aſſveti & complexioni contrarius eorum uſus eſt v. g. ſi bilioſi aut ſanguinei, vel atrabilarii nimis de pipere, zingibere, charyophil: aromat. cinamomo &c. abutuntur. Quandoque etiam exinde morbi in pejus ruere videntur, quia in obſtructiones viſcerum repente agunt, calida enim nimium aut ſubito movent, ſuccos quoque magis premunt.

Exceſſus itaque & abuſus aromatum vitandus eſt, moderatus autem Medicina eſt, quia innoxii humores, craſſi, crudique reſolvuntur & attenuantur. Hucusque de alimentis in genere dictum eſt, jam de ſpecialibus dilucidandum, quæ quidem ex duplici regno, nempe vegetabili & animali ſe ſua bonitate commendant: ita ex regno vegetabili primo panis optime coctus, non recens quidem, & a clibano adhuc calens, qui ſtomacho valde

de gravis, multa incommoda pariens, ſed potius refrigeratus, & modicum ſiccatus eſt, de quo plura ſequens dabit §.

§. II.

De Pane.

Panis ex variis farinis ad corporis nu-
138 tritionem confici ſolet, ut ex farina tritici, ſiliginis, hordei, avenæ, milii, phagopyri ſeu frumenti ſarracenici, de quibus ſpeciebus inferius ſeparatim dicetur: de ejus molitura, depſendi modo & coctura, vix non unicuique jam nota erit, harum autem omnium panis optimus eſt, ex puriſſima tritici farina confectus, fermentatus, optime piſtus, levis & oculatus, ſufficiente ſale conditus, recens ante 12 vel 20 horas coctus.

139 Quid autem fermentatio ſit in lib. 1. inſtitutionum Medicarum audimus, eſſe motum inteſtinum particularum minimarum cum tendentia ad mutationem in aliud, vel ad materiam perfectiorem reddendam, vel ad deſtruendam: id autem utrumque mutatione figurarum ſuarum particularum peragitur. Cui motui econtra maxime inſervit æther, quoniam

pari

pari materiæ fermentantis conveniente ſale acido & alcali ita occluduntur, ut per eos globuli ætherei antea in poris contenti a materia ſubtiliſſima & intruſione cuſpidum ſalinarum expellantur: qua expulſione & intruſione materiæ ætheREæ ſubtilisſimæ corpora expandunt & bullas formant: hoc clare videmus in affuſione aceti ſupra oculos cancrorum
140 contuſos. Quandoque autem nullum intermedium corpus aliud v. g. viſcidum, aqueum, quod in aceto reperitur: intervenit, & duo iſta ſalia ſimpliciter & ſola in liquore congrediantur, tunc efferveſcentia exoritur: hoc videtur in affuſione ſpiritus nitri acidi vel vitrioli & oleo tartari per deliquium, qui quamprimum immiſcentur efferveſcunt. Jam de panis fermentatione

141 Fermentatio panis peragitur ſecundum normam piſtorum, nempe maſſæ aceſcendæ acetum, aut fæcem ſeu florem cereviſiæ, aut crudæ farinæ maſſam, quæ fermentum admixtum habet, adjuncto moderato ſale & aqua: ut acor eo citius inducatur: nam adiecto tali acido, cum

par-

particulis alcalinis in motum fermentativum mediante debito calore rapiuntur. Particulæ autem viſcoſæ & aqueæ conſcinduntur, & diſſecantur, & perplurimæ veſiculæ exoriuntur & elevantur: quia humidæ particulæ & ramoſæ propter ſuam tenacitatem ſibi invicem adhærent, & ab impulſu æthereo hinc inde commoventur, particulis aereis veſiculæ impregnantur, & ab extra premuntur, ne tam cito rumpantur. Veſiculæ iam plurimæ ad coctionem abſolutam panis uſque perſeverant, & panem oculatum levem efficiunt, quem vero calor moderatus excoquere debet, ne plus aut minus coctus evadat. Quo enim plures bullæ ſeu veſiculæ excitantur, latior & altior fit panis, inque majus ſpatium expandi debet, non autem in majus pondus; ſed levior exiſtit, quia plurimæ particulæ humidæ coquendo exhalant, & aere implentur, quia ſi prius panis rite non fermenteſcat, nec rite & bene coqui poterit, hinc gravior & minus ſanitati conducit, cui fermentationi & excoctioni primo panis triticeus repurgata furfuracea materia ſubjicitur.

Panis

142 Panis bene coctus dupliciter conſideratur: primo quoad ejus medullam & ſecundo quoad ejus cruſtam. Medulla nutritioni aptior eſt, quam cruſta, hæc ſola lympham ſeu humidum exſiccat, hinc humores aduſtos & melancholicos procreat, de qua ſchola ſalernitana canit:

Ne comedas cruſtam, choleram quia gignit aduſtam.

143 Modica vero & ſola ejus ſumptio præſertim in fine menſæ (modo non nimis exuſta ſit) conducit, quatenus humores ſuperfluos imbibit, & ventriculi fibras conſtringit, & firmiora reddit: ideo medulla panis una cum aliunde pauca involuta cruſta comeſta nullum adfert nocumentum.

144 Panis triticeus fermentatus, qui ſanior azymo ſeu non fermentato, hic moderate ſumptus propter ſuam ſubſtantiam glutinoſam optime nutrit, econtra nimium comeſtus in ſtomacho tarde aut non perfecte reſolvitur & digeritur, verificante Hippocrate, *omnis repletio mala, panis autem peſſima.* Quæ enim alimenta

in

in prima nequeunt, neque in ſecunda, nec in tertia concoquuntur corporis regione, atque ita obſtructionibus in glandulofis partibus corporis anſam dant. Superſunt adhuc de tritico quædam enarranda.

145 Triticum in ſe continet ſal volatile oleoſum, ſuave, ſpiritumque ſulphureum, hinc corpori nutrimentum & vires maximas contribuit. Pomponius Sextus, Princeps in Hiſpania Podagram ſibi ſanavit, inſedendo ſæpius ſupra genua in tritico, & ita liberatus fuit. Plinius narrat lib. 22. hiſtor. natural. cap. 25. teſte etiam experientia, quod farina ex tritico cum oleo olivarum parata in tumore mammarum cum fructu optimo adhibeatur. Item oleum tritici expreſſum in tinea & aſperitatibus cutis. Paratur etiam unguentum ex farina puriſſima tritici contra ambuſtionem, a re urente ignita productam, ut.

Rpe. Farinæ puris ſimæ tritici
Lythargyrii argent.
Ceruſæ albiſſ. vel
Sacchari ſaturni, aña, ſeu de uno quam alte-

altero unciam ſemis.

ol. Roſarum

Hypericonis, ana ℥iß idem ac unciam unam & ſemis.

Ceræ flavæ depuratæ unciam ſemis, fiat ſecundum artem unguentum. Cera in oleis lento igne ſolvatur, dein removeatur ab igne & miſceantur pulveres & farina, & ita fiat unguentum, & de hoc imponatur ſuper ambuſtam partem.

146 Panis ex hordeo raro ſolus conficitur, ſed ut plurimum pro conficienda ptiſana & coquenda cereviſia adhibetur, aliisque coquendis potibus inſervit. Farina hordei in ſe continet ſal volatile plus acidum & minus oleoſum tritico, minusque nutrit, viſcoſitas tamen ejus temperata, qua etiam abundat, tam pro medicamento quam alimento convenit, tanquam anodynum & mulcens acria quævis & ex his natos affectus. Juvenibus & ſenioribus conducit in coctione parata, mucilago ejus etiam valet in incaleſcentia ſanguinis nimia ut in febribus ardentibus, item in pulmonum affectibus tabidis, in alvi fluxu nimio, & hæmorrhogiis

rhogiis &c. acres enim humores temperat, motui reſiſtit, externe farina exinde laborata prodeſt in tumore & inflammatione mammarum, quoniam emollit, maturat, & anodynum eſt.

147 Panis ex farina ſecalinea paratus, vis hujus conſiſtit in minore ſale volatili & ſpirituaſcentia, majore tamen quam in hordeo, non minus in quadam viſcoſitate & terreſtreitate majore quam in tritico, inde etiam magis flatus procreat: bonum nihilominus alimentum præbet, operariis magis conveniens, quam ſtudioſis aut delicatis, extrinſece a farina ſecalis formata cataplasmata adhibentur pro emolliendis & ſupurandis tumoribus.

148 Oriza temperata eſt, ad calidum & ſiccum inclinat, in jure carnium vel lacte decocta bene nutrit, alimentum craſſum & forte præbet, unde multi hoc ſolo ſe ſuſtentant. Frequens illius uſus obſtructiones cauſat propter craſſitiem terreſtrem modicum adſtringentem, in profluviis præſertim ſanguineis, ut dyſenteriis, diarrhœis & reliquis affectibus, ubi in-

craſſatione opus eſt valde convenit, ſi ſtomachus adhuc digerere valeat.

149 Avena calidior ipſo hordeo eſſe cenſetur, plus enim olei volatilis in ſe habet, quam hordeum, eoque etiam levius, & facilius concoquitur, ſale ſuo volatili oleoſo urinam movet. Plebea gens pro pane conficiendo ejus farina valde utitur vel ſola vel cum cæteris frumentis mixta. Ptiſana ex ea parata prodeſt in capitis doloribus, tuſſi, phtyſi, diarrhœis, in febribus tertianis & quartanis, arenam quoque pellit. Jatrophilus Sincerus Practicus eximius de avena edidit tracta-
150 tum de cura avenacea, in quo refert, multos morbos per curam avenæ extirpaſſe. De hac etiam, in quibusdam morbis fidem tribuo, in qua bonum effectum expertus ſum, præcipue ubi diluentibus proſequitur negotium.

151 Frumentum Indicum ſeu Turcicum calidæ naturæ eſt, & plus ſalis volatilis & ſpiritus ſulphurei in ſe habet quam triticum. Ex hoc frumento in farinam redacto quidam placentas conficiunt, & etiam cæteris farinis immiſcent pro pane

ne coquendo. Ab Indis non ſolum pro coctura: ſed etiam pro diverſis decoctis potulentis paratur, qui potus exinde parati eximii ſunt in purgandis renibus & urina pellenda, arenam viſcoſitate obrutam diſſolvit & evehit.

152 Milium conſtat ſale volatili oleoſo temperato, & hinc bonum ſuppeditat nutrimentum, promovet inſenſibilem tranſpirationem, ſal ſanguinis acre temperat, præſertim ſi cum lacte præparetur. Nutricibus, quibus lac nimis tenue & paucum eſt, pulmentaria ex eadem farina parata, ſive decorticatum milium, quod ſupponitur, Hirſchbrein genand, cum lacte vel aqua confectum, ſumme prodeſt, pro ſubſtantioſiore lacte conficiendo, ſi ſæpius de eo alantur. Aqua deſtillata milii valet contra nephritidem, purificat quoque renes & veſicam a viſciditate.

153 Frumentum Sarracenicum ſeu Phagopyrum, dictum Häden, ſal volatile modicum in ſe continet, craſſam ſubſtantiam ad nutritionem ſuppeditat, panis exinde confectus duræ digeſtionis eſt, &

plus pro ruſticis & laborioſis uſurpatur, quibus nutrimentum forte eſt. Paratur etiam in lacte & juſculis decorticatum uti milium, & facilioris digeſtionis eſt quam in panem confectum.

154 Panicum ſeu meline melfrugum **Fench roter und gelber.** Non multum differt a milio, niſi quod minus calidum eo ſit, quia parumper ſalis volatilis ſulphurei oleoſi participat, & terreſtrem ſubſtantiam non parum continet, nutrimentum etiam craſſius quam milium eſt, conſtipat, generat flatus, panis raro exinde efficitur, bene autem pulmenta vario modo præparata, quæ craſſum generant ſanguinem.

§. III.

De leguminibus, fabis, piſis, ciceribus, & lentibus.

155 Inter eſculenta poſtremam facultatem poſſident fabæ, ſub cujus ſpecie recenſentur phaſeoli majores & minores. Prioribus plebei & vilioris conditionis homines majore ex parte veſcuntur. Ultimi autem, nimirum phaſeoli majores & minores in menſis etiam delicatioribus uſur-

pan-

pantur, tam elixi, quam frixi, qualitercunque deniq; præparati, malæ coctionis ſunt, flatus ac craſſos ſuccos generant, ventrem inflant, alvum adſtringunt, frigidæ & ſiccæ naturæ ſunt. Non minus pro uſu externo valent. Farina enim fabarum cum lacte in cataplaſma redacta utiliter adhibetur in tumoribus mammarum & partium genitalium.

Fabæ rubræ ſpeciei, ſi in pultem coquantur, mane & veſperi adhibita puls in dyſenteriis proficua eſt, cataplasma ex farina fabarum cum lacte vaccino paratum in ſuppreſſione urinæ a calculo multum valet, ſuperpoſitum regioni pubis, ac teſtibus tumidis & inflammatis. Non minoris energiæ eſt aqua ex corticibus fabarum deſtillata, quæ præſtanter calculoſis opitulatur, abſtergit, mundificat vias urinales. Eundem effectum præſtant cineres ſeu ſal ex corticibus fabarum confectum & ad formam lixivii decoctum; cujus decocti ℥iv aut V. mane & veſperi per aliquot dies exhiberi debent.

156 Phaſeoli multiplicis ſpeciei & coloris reperiuntur, qui aliquantulum diffe-

runt a fabis. Naturæ calidæ & humidæ ſunt, continent in ſe ſal volatile ſulphureum, nutriunt ut fabæ. Phaſeoli toſti a quibusdam inſtar thee uſurpantur, qui vero modicum effectum præter diluentem utilem exhibent. Eſt etiam aliqua ſpecies fabarum, quæ lupinus nominatur, unus ſativus, alter vulgaris, prior ſemine & flore
157 albo. Altera duplicis ſpeciei, flore cæruleo una, altera luteo, ſemine compreſſo vario conſtat. Sativus naturæ calidæ & ſiccæ particeps eſt: attamen propter majorem terreſtreitatem difficile digeritur, atque ſanguinem craſſum generat. Prægnantes mulieres facile ab horum eſu in præmaturos partus incurrunt. Eorum uſus magis pharmacus eſt, quam alimentoſus, atque etiam potius externe adhibentur, quam interne: datur quidem decoctum eorum in expellendis vermibus. Tutius externe paratur unguentum ex eorum farina cum oleo amygdalarum
158 amararum mixtum, dein regioni umbilicali infantum ſuperpoſitum. Vel etiam totus venter & umbilicus eo inungi poteſt, quibus vermes enecat. Decoctum

coctum lupinorum cum radicibus chamæleonis factum tineam pellit tam hominum quam brutorum. Und hilfft trefflich den raudigen Schaafen, ſi multoties eo laventur. Non minus aqua deſtillata lupinorum & horum florum nitorem formoſitatemque faciei abluendo mire conſervat & extollit.

Ad faciei conciliandum lævorem, & ſordium tam manus quam faciei abſterſionem fabæ in uſum commendantur extrinſecum. Ut recipiantur fabæ ordinariæ, diu nocteque macerentur in aceto, donec pelles abjiciant; exſiccatæ dein ad ſolem in pulverem contundantur, huic affunditur aqua frigida, eaque, antequam cubitum itur, facies, manuſque abluantur.

159 Galenus lib. 1. de alimentorum facultate cap. 21. aſſcribit, piſa omnibus leguminibus præferenda, & inter euchyma & cacochyma, eupepta & diſpepta media eſſe, atque ad medium temperamentum accidentia: in his frigiditas & ſiccitas aliquantulum prædominatur, præparantur viridia & exſiccata, utraque ta-

men craſſum generant ſuccum, & ideo melancholicis non ſalubres. Viridia ſiccis flatulentiora ſunt, ſi a corticibus ſuis ſpoliantur & inde pulmentaria conficiantur, facile digeruntur, cortices etenim adſtringunt & difficilius reſolvuntur. Extrinſece vapor piſorum decoctorum in faciem varioloſam jam cruſtaceam perceptus, fovearum genituram impedit.

160 Cicera majorem terreſtreitatem involvunt, quam piſa. Difficilioris quoque concoctionis ſunt tam in culina quam in ventriculo, longo ſat tempore prius macerari debent, antequam ad cocturam diſponantur. Decoctum ſeu jusculum eorum aut etiam pultes exinde paratæ eximie nutriunt, lac augent & ſperma. Cicerum nigrorum & rubrorum decoctum pellit arenam & calculum parvum. Promovent inſtantia menſtrua & lochia, vias urinales obſtructos ſummopere aperiunt, aliaſque vias obſtructas reſerant, ut in hydrope & ictero &c.

161 Lentibus omnium maxima terreſtreitas & oleoſitas craſſa ineſt, frigido & ſicco temperamento donatæ ſunt, diffi-

cul-

culter concoquuntur, flatus plurimos congregant, ſuccum melancholicum craſſum generant, obſtruunt; capiti, nervis & pulmonibus gravia ſunt & nociva, alvum adſtringunt, menſtrua & urinam ſiſtunt. Sed hoc annotandum eſt: Si lentium decoctum ſeu juſculum primæ coctura ſumatur, illud emollit & aperit, ſi vero primum decoctum colletur & in alia aqua aut juſculo coquatur, tunc decoctum ſecundarium ſeu juſculum illuderit magis adſtringens, ideo bene attendendum, quale in variolis adhibendum ſit. Pultes ex lentibus factæ facilius digeruntur, taliter etiam olim pro cibo optimo uſurpabantur, & in magno valore erat pulmentum lentium; ita quidem ut primam genituram pro pulte lentium vendiderit Eſau fratri ſuo Jacob.

Prædicta omnia legumina quo magis cocta & in pulmenta redacta, eo meliora & ad concoctionem in ſtomacho aptiora ſunt, calida non minus meliora, quam ſi condiantur aceto & frigida ſumantur,

§. IV.
De oleribus uſitatioribus.

162 Quemadmodum ab antiquis la-

ctuca cæteris oleribus pro generando ſanguine anteferebatur: ita etiam teſtabatur Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus cap. 40. nullam ſpeciem olerum corpori melius conducere, quam lactucam, ſua enim frigiditate & humiditate cholericos & ſanguineos, juvenesque refrigerat, humectatque, præſertim æſtate & fervente tempore, ſal in ſe complectitur volatile nitroſum, ſuccumque aqueum modica terreſtreitate immixtum. Lac generat, alvum emollit, ardorem ventriculi extinguit, & humorum acrimoniam obtundit, ſomnum blandum promovet. Qui autem ſtomachum frigidum poſſident, ne nimiam comedant, præſertim frigidam, crudam, aceto & oleo ſolum præparatam; ſed potius coctam in juſculo, aut ſiccam ſeu ſolummodo calido condimento ſuperfuſam, in juſculo carnium & una cum carnibus in ptiſanam redacta & comeſta conducit. Hoc etiam in lactuca advertendum, quod aliqui homines reperiuntur, qui frigidum ventriculum habent; attamen ſanguine calido & bilioſo ac acri abundant, quibus lactuca eatenus

tenus calida & cocta valde prodeſt, iisque alvum egregie ſubducit. Lactuca quotidie aut perſæpe comeſta, etiamſi aceto & oleo corrigatur, tamen oculorum claritati afficit, teſtante Dioſcoride, reſpirationem etiam difficilem reddit, protervas cupidinis delicias amovet, hinc maritatis, præſertim frigidis & ſenibus atque impotentibus ad venerem eſus lactucæ plane fugiendus eſt. Ethnici fabulabantur, quod Cypria virgo, Adonem, lactuca comeſta, & a rapido apre necatum, ſub lactuca ſepelire juſſerit; cujus cruorem in Anemonem transformaverit, & annua lugendi feſta inſtituerit: quatenus illum jam ineptum ad venereos amplexus indicaverit. Imperator Auguſtus, de quo narrat Plinius lib. naturalium hiſtor. cap. 8. ab illuſtri ſuo Medico Antonio Muſa per ſolam medicinam lactucæ ab immatura nece redemptus fuit. Aqua deſtillata lactucæ eandem virtutem exhibet, oleum ex ſemine lactucæ expreſſum, continuum ſeminis liberum profluvium cohibet, quod per aliquot dies in juſculo ſumitur, hoc etiam facit inunctio genitalium

um cum hoc ſucco addita quantitate camphoræ.

163 Endivia ſeu intubus præcipue aurei coloris temperate refrigerat, aperit, & abſtergit, in magna quantitate in Italia, & Germania plantatur, inque culinis tam cruda quam cocta paratur, ſua modica amaritie grata eſt ventriculo & ſalubris. Confert quoque eximie ad ſanguinem refrigerandum, bilem ac acrimoniam corrigendam, non minus ſitim, venerisque ſtimulum extinguit, in febribus ardentibus, capitis doloribus calidis, in ſoda ſeu ardore ſtomachi laudabilem effectum præſtat.

164 Portulaca frigida & humida eſt, continens ſuccum viſcidum, quapropter non adeo ſalubris phlegmaticis & frigidis morbis, ubi vero opus eſt refrigeratione ſanguinis conducit, ſic etiam in ardore urinæ, ſua tenacitate ſupprimit ſpiritus furibundos, ſanguinis effluvia ſuperflua, dyſenteriam & gonorrhœam.

165 Sicuti cætera refrigerantia, ita etiam acetoſa caloris viribus reſiſtit, gaudet modico ſale acido volatili potenter inci-

incidente & aperiente, bilem volatilem temperante, id non ſine magno fructu experimur in excandeſcentiis apud iratos homines, ſi loco vini vel alterius hauſtus decoctum radicum vel ſuccum herbæ acetoſæ & fragorum bibitur. Modice etiam adſtringit, exſiccat, parum nutrit, appetentiam a bile depreſſam excitat, cor in calore anxium exhilarat, venenis reſolutionem ſanguinis cauſantibus reſiſtit, ſitim impedit vel ſedat, acida enim incraſſant ſerum, ne e corpore tam cito exhalare queant, aperiuntque poros ſalivales. Quapropter qui æſtatis tempore peregrinantur cum ſiti magna afflicti, proviſi ſint ſyrupo, extracto, aut conſerva acetoſæ, quia non ubique laudabilis & proficua aqua reperitur, de quo uno vel altero ad gratam aciditatem aquæ immiſceri aut incoqui poteſt, quæ aqua exinde gratum ſaporem & ſanitati utiliorem recipit, atque vulcanum potenter extinguit.

166 Cichorium ſativum vix non in virtute endiviæ æquiparatur: multo tamen efficacius propter inſitam amaritudinem ape-

aperit & abſtergit, magis etiam ut endivia ſtomacho arridet.

167 Lactuca inter olera frigida ſecundi gradus ſtatuitur, apium vero ſativum calidis ſecundi gradus adnumeratur, germanice dicitur Sellerie. Hoc propter ſal volatile balſamico-oleoſum admixtum ſæpius in menſis apponendum eſt, præcipue mulierculis menſtruis & viris ſemine deficientibus, modice coctum facilioris digeſtionis eſt, & juſculis carneis vel piſculentis immixtum, vel modico aceto & oleo præparatum. Apium coctum ventriculum frigidum & laxatum confortat, crudum non ita. Apium generat ſanguinem balſamicum, eſtque aperiens in obſtructionibus jecoris, lienis & renum. Conducit pulmonibus viſciditate obrutis, Melancholicos exhilarat. Multum decantatur ſpiritus ſeu eſſentia apii ſativi & montani ſecundum deſcriptionem Paracelſi, virtutes præcipuas habens & verum eſſe cordiale ad confortandum cor & ventriculum.

168 Petroſelinum, cui qualitas calida & ſicca ineſt, virtutem habet aperiendi,

viſci-

viſcidum incidendi, pellendi flatus, urinam, arenam & menſtrua, quia continet in ſe particulas odoriferas fragrantes, ſubacres & aromaticas. Difficilis eſt quidem digeſtionis, nihilominus in juſculis coctum & extractum præſervat a calculo & colicis paſſionibus. Succus vero expreſſus ad uncias duas in juſculo ſumptus confert mixtioni cruentæ a ſalinis & acribus humoribus vel ab arenulis productæ. Econtra nutricibus & puerperis nocet, quia lac minuit & lochia promovet nimia: ita etiam gravidis mulierculis Tabernæmontanus ejus uſum prohibet, ne infantes epilepſiam vel motus convulſivos contrahant, unde multi epileptici ejusdem odorem non ferunt.

169 Si cæteris acetariis, ut lactucæ, endiviæ &c. pimpinella, eruca, nepeta, cherefolium, dracunculus hortenſis, borrago, immiſceantur, multam utilitatem procurant, ſal enim volatile oleoſum modicum participant, & corriguntur acetaria reliqua ab his.

170 Malvæ & altheæ folia pro uſu medico in juſculo aut aqua cocta vel infuſa

eali-

calida emolliunt, & alvum parum laxant, acrimoniam humorum demulcent.

171 Naſturtium hortenſe abundat ſale volatili alcalico, modico oleo & terreſtreitate, aperit, attenuat, & incidit, hoc idem naſturtium aquaticum cum acetariis uſurpatur. Succus hujus herbæ pro ſummo remedio antiſcorbutico habetur, ut etiam beccabungæ & cochleariæ, renibus & veſicæ etiam confert, incidit viſcoſitates ibi collectas, arenam expellit.

172 Beta varii coloris reperitur, ut albi & palleſcentis, viridis, rubri atque lutei, in virtute parum aut nihil differens, ſuccus ejus nitroſus & abſterſorius acri qualitate imbutus, aperit, emollit, alvum laxat; ulcera ac vulnera abſtergit. Succus betæ cum aqua majoranæ & melle roſarum mixtus, ad nares attractus, phlegmata copioſa e capite allicit, & per nares evacuat. Beta alba cum allio & rad. jallappæ in aqua vel lacte decocta potenter enecat & expellit vermes inteſtinorum.

173 Braſſica ejusque ſpecies, quouſ-

que

que foliis teneris circumdatur, poſtremis herbis ſalubres ſunt ſociandæ. Quæ integre conſiderata ad virtutem ferme betæ accedit, ſal acre nitroſum & abſtergens in ſuo ſucco continet ad emolliendam & laxandam alvum. Decoctum ejus primarium obſtructam alvum ſtatim ſolvit. Braſſica rubra magis vulneraria eſt, cæteroquin non adeo facilis concoctionis eſt in ventriculo, atq; melancholicos humores generat, quatenus craſſis & halituoſis ad caput delatis vaporibus ſpiritus incraſſat & turbat, ſomnia producit turbulenta et mentem melancholicam facit. Braſſica cauliflora non tam inſalubris, ſed bonum corpori alimentum præbet.

174 Olus priori bonitati non multum cedit, in Germania aliisque nationibus arte acidum redditur, non ingrati ſaporis, plurimis hominibus ferculum gratum, alimentum quidem corpori craſſum tribuit, modice ſumptum appetitum reſuſcitat & acuit.

175 Spinachia ſubſtantiam habet aquoſam & nitroſam, nec difficilis digeſtionis eſt, parum alit, pectori conducit, a-

ſperam arteriam lenit, tuſſi calidæ ac acri medetur, emollit, alvum ſubducit, adeoque cholericis & alvum ſuppreſſam habentibus effectum bonum pollicetur; corrigi tamen ſolet in coctione ſale & aromatibus, alias nauſeam & flatus multos procreat.

176 Cinora hortenſis ſive articocalus in ſua ſubſtantia ſal volatile balſamicum ſecum fert. Quæ bene cocta & præparata bonam corpori nutritionem communicat, ſemen auget, venerem excitat, obſtructis renibus & hepati ſalutaris, ictericis & hydropicis ſuccurrit, in gonorrhœa virulenta & venerea eſus illius conducit.

177 Aſparagus hortenſis ſive domeſticus mediocris temperiei eſt, tam pro cibo quam medico uſu inſerviens. Perſtat partim ſale nitroſo, partim ſulphureo, quæ ſalia in noſtro corpore cum ſalibus urinoſis commixti urinam fœtidam efficiunt. Aſparagi per ſe vel cum aliis ferculis cocti & comeſti inſerviunt capiti, oculis, pectori, jecori, ſpleni, pellunt urinam & ſabulum, hydropem exturbant. Propter multam ſalis quantitatem ſtomacho condu-

cunt

cunt, menſtrua & venerem provocant. Scorbuticis valde ſalubris eorum frequens eſus.

178 Fœniculum ſuo volatili ſale oleoſo non tantum fragrans eſt, ſed & ſalubre admodum, præſertim fæminis lactis penuria affectis. Fœniculum aliunde, cum plerumque in fine menſe jam ſaturato ventriculo primo apponi ſoleat, tutius eſt eo tempore ſolum illius ſuccum per maſticationem expreſſum deglutire, quam una cum caule devorare; ſucco enim ſolo non tantum gravatur ventriculus plenus, ſed magis concoctioni ciborum concurrit & flatus pellit.

§. V.

De radicibus edulibus.

Sub radicum genere complectuntur rapæ, napi, paſtinaca ſativa, lutea, tenuifolia & rubra. Radices betæ rubræ & albæ. Armoracia ſeu raphanus ruſticanus, raphanus niger & albus. Cepa, allium, porrum majus & minus ſeu ſectile. Bulbocaſtanum.

179 Rapæ rotundæ ſeu orbicularis & oblongæ figuræ e terra protruduntur, quæ

majores napis ſunt. Napi nihilominus guſtui magis arrident quam rapæ præcipue amaricantes. Rapæ vero dulces ejusdem virium fere ſunt uti napi, moderate ambo calefaciunt & humectant, ſal alcalicum ſvave in ſuo copioſo ſucco balſamico & nutritivo fovent ad humorum aciditatem arcendam: ſunt etiam ad augendum lac & ſemen, excitandamque venerem, fauces & pulmones leniendos utiles. Propter ſuam immixtam aquoſitatem urinam cumulant & pellunt, ejuſque ardorem inhibent. Flatus quidem procreant, quia copioſum aerem in ſe receptum tenent; quibus enim ferculis plus craſſioris aeris ineſt, flatuum majorem generant copiam, inflationemque cauſant. Quapropter aliquomodo corriguntur in coctione pipere, aut zingibere, aut aromate alio grato vel ſemine carvi, ut flatus facilius diſcutiantur. Crudæ & coctæ etiam magis quam aſſæ inflant, quia per aſſationem partes aquoſæ flatuoſæ magis reſolvuntur & disſipantur in tuſſi viſcida & ſalina. Doctor Crato ſummopere recommendat ſuccum expreſſum coctarum aut potius aſſatarum

raparum cum ſaccharo Candi præparatarum.

180 Paſtinaca tenuifolia ſeu ſylveſtris, & domeſtica, lutea, rubra, hortenſis habetur, prior pro medicina, ultima in culinis pro cibo potius paratur, activitatis mediocris tam caloris quam humiditatis particeps eſt. Craſſum & terreſtre alimentum tribuit, difficile concoquitur, potius pro operariis coquendá quam pro delicatis. Non tamen omni virtute ſpoliata eſt, ſale quoque volatili donata, ſine dubio chylo permixto modicum robur veneri languenti ſuppeditat, urinam & menſtrua provocat.

Paſtinaca rubra ſeu carota plerumque cum aceto præparatur, & loco acetariis utitur, ad augendum appetitum, ſanguinemque bilioſum refrigerandum.

181 Betæ radices albæ & rubræ cum carotis in viribus & ſapore vix differunt, & ita præparatæ alimentum benignum præbent, præſertim ſi cum carne aſſata afferantur.

182 Armoracia ſeu raphanus ruſticanus guſtu acerrimo præditus, ſinapi haud

milis, ratione ſui ſalis penetrantis & ſpirituoſi calidæ & ſiccæ temperiei eſt, juncto pauco acido volatili, ſalia ſilveſtria quævis, acido viſcido putritove muco immerſa tam per diureſim, quam per diaphoreſim educit: proinde in ſcorbuto ab acido raucido oriundo. Item in paraliſi & morbis ſaporoſis, & etiam in appetitu proſtrato ac aucto ſingularis virtutis eſt, inde minutim raſus, non tantum eſt condimentum ſapidum, aſt etiam ſalutare, præſertim cum carnibus & piſcibus modice coctus.

183 Raphanus niger vel albus ob inſitum ſal volatile alcalicum acre & modicam partem ſulphuream. Calidus eſt gradu tertio & ſiccus ſecundo; quando denique acrior, tanto calidior eſt. Raphani dulciores temperantiores ſunt & minorem copiam ſalis poſſident, nutrimentum craſſum & modicum tribuunt: coctionis difficilis ſunt, raſi tamen prius ſciſſis reſolvuntur, flatus procreant, & penes expellunt, ructus acidos pariunt: Menſes & urinas expediunt, arenulas renum & veſicæ a viſciditate liberant & extrudunt,

pectoris

pectoris viſcoſitates conſumunt, reſpirationem & tuſſim facilitant, hepatis & ſplenis obſtructiones reſerant, proclivibus oculorum afflictionibus propter ſal acre nocent; Dulciores tamen minus afficiunt. Succus raphani acris expreſſus ad uncias duas hauſtus per ſuperiora ventriculum expurgat: ſi autem ſuccus ſaccharo temperetur, de quo ſucco calido dulci mane & veſperi vel etiam interdiu unum alterumve cochlear plenum ſumatur, non ſolum reſpirationem a viſcoſitate cohibitam ſolvit & tuſſi medetur: verum etiam renum ſabulum viſcoſitate obvolutum dividit & expellit.

184 Allium verum aroma ruſticorum eſt & non inutile, qualitate dotata calida & ſicca in ſummo: in ſe includit multum ſalis volatilis alcalici ſumme acris, quod potius pro aromate ciborum, quam medicina inſervit, ab aliquibus tamen in defectu theriacæ, non ſine fructu pro quibusdam morborum generibus adhibetur. Coctum crudo parum debilius eſt, phlegmaticis naturis plus prodeſt, quam cholericis, has enim valde calefacit & exſic-

cat, capitis dolores excitat, frigido ventriculo conducit, ſudorem & urinas promovet, arenam evehit, viſcidum digerit, menſtrua & ſecundinas evocat, flatus attamen generat, & oculis nocet, vermibus econtra & veneno reſiſtit: ut confirmat Galenus lib. 12. Method. Med. cap. 8. in morſibus ſerpentum & canum rabidorum ſumme laudatur. Allium in lacte coctum vermes eximie decipit & enecat, infantibus unguentum exinde præparatur ſequens:

Recip. Allii contus. unc. ſemis
Aloes Epatic.
Fel bovin. ana ʒij.

Miſc. exacte: exprimatur ſuccus inſtar unguenti, cum quo umbilicus infantis bis de die inungatur, vermes modico tempore expetituros.

185 Cepa ejusdem ferme virtutis eſt ut allium, paucum quoque & pravum alimentum præbet, in coctione & aſſatione multo magis ejus ſal acre invertitur, quam allii. Præſtans emolliens & narcoticum per coctionem fit: hinc in pectoris affectibus, aſthmate non ſine exoptatu

fructu

fructu uſurpatur. Cepæ cum chamomillis in cataplaſma redactæ & ſuper pubem appoſitæ, urinam ſuppreſſam a viſcido aut a flatibus cauſatam cient. Ceparum frequens uſus venerem excitat, ut Martialis teſtatur his verſibus:

Cum ſit anus conjux, & ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam ſatur eſſe potes.
Qui præſtare virum Cypriæ certamina neſcit,
Manducet bulbos, & bene fortis erit.
Languet anus, pariter bulbos ne mandere ceſſes,
Et tua videbit prælia blanda venus.

186 Porrum ſimile ferme robur habet, uti cepæ, modicum tamen debilius, ob ſal ſuum acre urinam & menſtrua quoque expedit, venerem ſtimulat. Hinc Imperator Nero, ut Plinius lib. 19. Hiſtor. nat. c.6. narrat, certis temporibus porro ſe ſaturavit. Nimius porri uſus non minus ac cepæ oculos lædit, capiti nocet, ulceratisque renibus & veſicæ; pulmones & uterum vero ſua vi abſterſoria a viſcidis humoribus expurgat, & fæminas ad concipiendum diſponit.

187 Bulbocaſtanum calidæ & ſiccæ temperiei eſt, bonum largitur alimentum, ſemen auget & excitat, calide ſumptum alvum movet, frigide conſtipat.

§. VI.

De fructibus eſculentis.

Fructus dupliciter e terra erumpunt, aliqui enim fructus ſunt humi naſcentes, alii e fruticibus & arboribus proveniunt, humi repentes ſunt melones, cucumeres, cucurbitæ, fraga, myrtilli &c.

188 Melones variæ magnitudinis & figuræ ab hortulanis in hortis conſtruuntur, quibus etiam anguriæ adnumerantur, omnes vero frigida & humida proprietate gaudent, parce nutriunt, ſaporis dulcis & grati moderate editi cholericis & ſitibundis conveniunt, vel qui æſtuoſum ſanguinem habent, alias ſaccharo vel pipere aut ſale corrigi debent, ne tantum refrigerent, non minus urinam movent, qui itaque nimium iis delectantur, morbos pariunt, ut febres, choleram, diarrhœam, dyſenteriam &c. præcipue notentur, ne brevi poſt ſuperatum aliquem morbum comedantur, quoniam in

in priorem & graviorem morbum facile præcipitant, quia ſtomachus adhuc debilis exiſtens, illos bene digerere nequit, potiſſimum quamdiu vinum adhuc interdictum, qui alias illo aſſveti ſunt, alioquin etiam non incongruus aliquis potus generoſus poſt eorum eſum eſt v. g. vinum, ſpiritus aut aqua cinamomi &c. coctionem enim eorum adjuvat & a corruptione nocua præſervat. Semina melonum in emulſionibus annexa temperant, & obtundunt, ſalia quævis acria, eaque ad renes deturbant & per urinam propellunt. Conſtant hæc ſemina viſcoſitate, terreſtreitate & aquoſitate cum blando & pauco oleo, valent in febribus ardentibus, in linguæ ariditate, & ad temperandum calorem, & mulcendos dolores inteſtinorum a bile aut alio acrì humore productos, ſi una cum cortice contundantur melioris fructus & effectus ſunt, quam excorticata.

189. Cucurbitæ una cum ſemine ejusdem temperiei & virtutis ſunt, ut melones, paucum ſuppeditant nutrimentum, craſſius tamen quam melones, ſalubrius vero

vero quam cucumeres, in pultem cum dulci lacte vel aqua cocti & correcti mediocriter nutriunt. Corticum cucurbitarum exſiccatarum & accenſarum fumus omnia muſcarum genera ex cubiculo pellit.

190 Cucumeres frigidæ & humidæ quoque conſtitutionis ſunt, plurimo muco & facile corruptibili conſtant. Prius eorum taleoli ſciſſi ſale aſpergantur, ejuſque viſcidi humoris copia extrahatur & effundatur, antequam corrigantur pipere, macere, aceto, & dein primo comedantur, hominibus acido & viſcoſitate nimium laborantibus perparcus aut nullus eorum uſus concedendus eſt, quia nutrimentum pravum corpori relinquunt, & caſu quo in ventriculo non bene digeruntur, alvum ſuperflue movent aut vomitus cauſant & choleram, febremque excitant &c. Qui itaque ſtomachum debilem habent, ab eorum eſu abſtineant; ſemina cum melonum ſeminibus in virtute conveniunt. Cucumeres in aceto maceratæ & aſſervatæ cum carnibus parce editæ vix nocere poſſunt.

Fra-

191 Fraga inter fructus frigidos & humidos recenſentur, grata ſunt guſtui nec admodum inſalubria moderate ſumpta, prius lota condiantur ſaccharo, cinamomo & vino, taliter minus nocere posſunt, ſal eorum acidum incidit, aperit. Fraga ſitim ſedant, ſtomachum valde refrigerant, ideo male faciunt, qui ſtatim peracta cibatione fragis aut aliis fructibus frigidis abunde fruuntur, coctionem nimirum ciborum priorum in ventriculo impediunt, & corrumpunt.

192 Baccæ myrtillorum parum in uſu ſunt alimentoſo, ruſtici & paſtores aliique communiores homines iis pro alimento utuntur, ſuppeditant ſuccum crasſum & acidum, ſunt etiam virtute adſtringente & ſitim temperante præditæ, hinc etiam in febribus, vomitu & diarrhœis atque dyſenteriis utiliter adhibentur, ex iis etiam vinum rubrum & non ingratum efficitur. Jam arborum & fruticum fructus examinentur, de quibus primordium ſit de ceraſis.

193 Ceraſa varii coloris, magnitudinis & ſaporis reperiuntur, ut rubri, flavi, nigri,

gri, figuræ majoris & minoris rotundæ
& ovalis, acidi ac dulcis ſaporis. Ceraſa
matura, dulcia non ſuperflue comeſta
non nocua, parum quidem nutriunt, &
non ita refrigerant ut ceraſa acidiora, hu-
mectantque magis, fibras emolliunt, &
alvum laxant, in ſe ſpiritum oleoſum ſul-
phureum continent, qui noſtris ſpiriti-
bus vitalibus aſſociatus, corporis actio-
nes ſuſcitat & roborat, qua de re inter
cordiaca recenſetur. In apoplexia, para-
lyſi, epilepſia ſalubris. Ceraſa econ-
194 tra acida minorem activitatem calo-
ris habent, ſed potius adſtringunt fi-
bras, & inſpiſſant ſuccos noſtros; ideo
utiles ſunt in temperando calore, motum
& avolitionem ſpirituum & partium ſub-
tiliorum inhibent, bilem arcent; torre-
facta præferuntur recentibus, cocta ma-
tura incoctis. Omnes tamen fructus aci-
di in parca quantitate ſumantur, quia in-
credibilem in noſtro corpore aciditatem
relinquunt, & multis morbis viam pan-
dunt.

195 Poma ſeu mala varios præ ſe ferunt
ſpecies; quædam dulcis & acidi, quædam
mix-

mixti ſaporis ſingula frigidæ humidæ temperiei ſunt, acidiora tamen frigidiora & alvum adſtringunt: dulcia econtra magis nutriunt & temperatæ temperiei ſunt, alvum ſubducunt, ſubacida vero appetitum & ciborum reſolutionem in ventriculo adiuvant. Omnia poma matura recens collecta non adeo ſalubria. Diutius autem ſervata valebunt: quia in ulteriorem perfectionem & maturitatem ducuntur; cocta etiam crudis excellentiora, nam omnes fructus crudi flatus in corpore gignunt, non ita aſſi aut cocti.

196 Mala punica ſeu granata acido & dulci ſapore conſtant, pro alimento dulcia acidis præponantur: acida ſolum ad temperandum nimium calorem, ſitim & bilem corrigendam, vomitum bilioſum ſiſtendum, & ad acuendum appetitum proſunt: non minus ex horum ſuccu in Pharmacopoliis ſyropi conficiuntur ad id præſtandum.

197 Quemadmodum pomorum variæ ſpecies: ita quoque pyrorum in temperie ſolum ſecundum magis & minus differentes, acida ſunt auſtera & acerba,

quæ

quæ minorem gradum caloris & humiditatis habent quam dulcia, adſtringendique vi prædita ſunt. Dulcia & emollita potius humectant & ad excretionem excrementa diſponunt. Magis etiam nutriunt, quam poma. Larga tamen manu non toto aſſumantur; præſertim ſi inter prandendum vel cœnandum edantur. His enim temporibus, & in regionibus frigidis homines non ita fructibus aſſveti ſunt, ſicut olim, qui ſolis fructibus ſe alebant, per quos etiam illis dulcior & ſimplicior ſanguinis temperies inducta fuit, atque diutius a morbis immunes erant.

198 Ita Dominus Deus in creatione
univerſi primis hominibus pro alimento
ſolos fructus præter unam ſpeciem arbo-
ris edendos indicavit, ut Gen. cap. 1. v. 29.
& cap. 2. v. 16. hoc vero tempore cum
extra conſvetudinem devenerimus in
eſu fructuum, & non tam pro ſolo alimen-
to quam ſæpius guſtus gratia eos comedi-
mus; hinc inter cibos præcipue copioſi
immixti fructus & crudi impediunt
199 concoctionem ciborum aliorum
in ventriculo & una cum illis facile

cor-

corrumpuntur. Plerique etiam homines ventriculum habent frigidum & viſcoſitate obrutum, ordinario etiam plus cibis actu calidis & copioſis utuntur, quomodo tales fructus, qui in minimo gradu caloris conſtituuntur, & ſalia in ſe habent debilia & non elaborata ad reſolvendum, ciborum fermentationi ſeu concoctioni & reſolutioni ſuccurrere poterunt. Imo potius impediunt & cruditates in quanto generant, atq; ventriculum gravant, ideo ſentimus quandoq; in ventriculo ac ſi glacies vel lapis immotus in eo jaceret. Cruda itaque pyra quam etiam poma parce edantur, cocta vero vel aſſata ſaniora & leviora concoctu ſunt, ſingula tamen in quanto nocent n.78. etſi non in qualitate. Pyra exſiccata & cocta valent in alvi fluxibus ſupprimendis.

200 Cydonica terrena & adſtringenti virtute dotata ſunt, ſiccioris & frigidioris temperiei pyris. Cruda inſalubria, nec introſumuntur propter ſuam nimiam auſteritatem & cruditatem: meliorantur autem & uſu veniunt per ſe vel cum carne cocta. Uſus eorum modicus ſit pro guſtu,

ſtu, nimium enim adſtringunt & duræ digeſtionis exiſtunt. In vomitu & alvi fluxu a relaxatione nimia fibrarum proſunt, non autem ubi acidum & acrimonia peccat. Cauſæ etenim ſemper inquirendæ & reſpiciendæ ſunt, qui ſi ablatæ fuerint,
201 morbus facile tollitur vel ſanitas conſervatur, ideo empirici cauſas rerum minime callentes raro aut nunquam niſi fortuito remedium conveniens inveniunt, quo morbum tollant vel profligant, imo quandoq; & ſæpiſſime magis morbos exacerbant. Semina Cydoniorum auſteras & terreas particulas in ſe continent, hinc in fluxu alvi & ſiſtendo vomitu ac temperando æſtu adhibentur, eorum muci-
202 lago extracta quam optime valet in ardore linguæ & faucium, ac etiam ambuſtis partibus & inflammatis oculis medentur.

203 Citri & limones multos in uſus hinc inde plantantur tam odoris quam guſtus gratia. Cortices flavæ extimæ citri multum ſalis volatilis oleoſi ſucculenti potiuntur, quod ſal ſummopere attenuat, aperit, calefacit, flatus diſcutit, tormina

ſiſtit

204 ſiſtit &c. Cortices maſticatæ fœtidum oris halitum emendant, & nimiam ſpumoſitatem exſiccant, ideo ſpectatoribus perutiles, magni etiam in culinis pro condiendis cibis habentur. Pulpa ſeu ſuccus expreſſus, qui in citris non in tanta quantitate adeſt, ut in limonibus, ac etiam in acido limonibus cedit. Ambo hinc propter aciditatem & acrimoniam noxia ſunt, & ideo raro per ſe in alimentum ſolum offeruntur, quandoque tamen in taleola limones & citri ſecantur & ſaccharo inſperguntur pro guſtu ſolummodo ſatiando. Medentur quidem calori & ſiti nimiæ per ſe vel aquæ aut juſculo incoctæ vel expreſſæ, ac etiam ſanguinem tenacem, & nimiis ſalſamentis inquinatum ſeu ſcorbuticum ſæpe reſtituunt, quia valde incidunt tenacitatem gelatinoſam humorum, & ſalinam invertunt. Semen eorum vermes perimit.

205 Aurantia tam acidi, quam dulcis ſaporis nanciſcuntur, eorum uſus acidorum pro incraſſandis humoribus, tam in hæmorrhogiis, quam nimio menſium fluxu & ſiti ſallenda inſervit, nimius tamen

eorum uſus diarrhœam & dyſenteriam; febres atque cholicos dolores excitare poteſt. Dulcium pulpa magis alit & guſtui arridet, ſitimque reſtringit. Cortices acidorum aurantiorum ſale volatili oleoſo amaricante imbutæ ſunt, quod cale-
206 facit & convenit in obſtructionibus viſcerum & flatibus pellendis, viſcoſitatem incidendam & attenuandam. Ictericis & hyſtericis, ſtranguria & dyſuria affectis præſidet, v. g. Recipiatur pulveris corticum aurantiorum drachm. ſemis in aqua petroſelini aut fragorum aliquoties, vel aliquæ guttulæ olei deſt. aurant. vel citri, ubi affectus ab incraſſatione viſcoſitatis exoritur.

207 Mala perſica paucum ſuppeditant nutrimentum, frigidæ & humidæ temperiei exiſtunt, cum pane & vino exhibita vel cocta non ita noxia. Utrum autem jejuno aut repleto ventriculo magis proficua ſint? Bene perpendendus ventriculus eſt, an denique robuſtus & bene digerere adhuc valeat? quia omnis repletio, quamvis bonis cibis, tamen mala,

mala, ſi in quanto excedit; a potiori autem tales fructus poſt finitum prandium vel pomeridiano tempore aſſumi ſolent, quia jejuno ventriculo acidum in his fructibus infixum facile fibras ventriculi & inteſtinorum lædere, & ad præternaturalem irritationem ſeu motum incitare poteſt, ex quo dein diarrhœa, vel vomitus ſequitur, vel etiam ad ſanguinem deveniens hoc ſuperfluum acidum illum inſpiſſare, aut in peregrinam fermentationem & motum inducere valet, econtra ſi cum cibis vel poſt hi fructus moderate ſumuntur acidum illud corrigitur & læſio inhibetur.

208 Mala Armeniaca ſeu Armenia, eorum pulpa tenerior eſt, & facilius in ventriculo reſolvitur quam perſicorum, aciditatem vero vix non majorem in ſe habent: Cæteroquin temperiei & virtuti perſicorum æquiparantur, & non multum differunt. Oleum ex perſicorum nucleis a potiori exprimitur, quod eximie prodeſt in inflammatione inteſtini recti & etiam hæmorrhoidum.

209 Pruna recentia matura & exſiccata

ta atro cærulea potius quam flava in uſum trahuntur, mediocris nutritionis ſunt, eorum involucra acidum corroſivum continent, ideo hæc potius abjicienda: quo maturiora eo dulciora & ſaniora ſunt, præſertim calidis & ſiccis naturis, quod ſi vero quidam ventriculum debilem habeant, illis recentia pruna, præſertim non ſatis matura, facile febres, diarrhœas, dyſenterias, choleram adferunt. Pruna Damaſcena recentia alvum laxant moderate ſumpta, vel ſi ſiccata cum paſſulis etiam coquantur, alvum quoque emolliunt & ſubducunt, & tanto fortius ſi adhuc fol.ſenn. orient. addantur.

210 Meſpilla matura, mollia, majoris valoris quam exſiccata habentur, illa parum alunt, refrigerant, exſiccant; hæc vero ob auſterum terreum potenter adſtringunt; ideo utuntur frequenter exſiccata & cocta pro ſupprimendo alvi fluxu, vomitu, diarrhœa & dyſenteria, utraque ægre digeruntur & facile fermenteſcunt, ventriculoque nocent, decoctum exſiccatorum utilius adhibetur, quam crude comeſta.

Ficus

211 Ficus, cujus fructus tam recentes quam ſicci ſeu carici dicti perfecte maturi, ſat laudabile alimentum tribuunt, calefaciunt & ſiccant, acria quævis mulcent; quapropter in tuſſi, aſthmate, raucedine, nephritide, ardore urinæ, mictu cruento, & iſchuria valde commendantur, includunt in ſuo ſucco oleoſo viſcido ſal volatile. Hic ſuccus ſua viſcoſitate & oleoſitate, dentibus & gingivis adhærens, & non aqua dilutus, ſucceſſive acorem & cariem inducit; ideo male faciunt, qui dulcibus nimium delectantur, præ-
212 ſertim in juventute, & penes non abluunt fauces, hac ratione dein dentes et gingivæ eroduntur et corrumpuntur, quoniam ſeniores facti edentuli fiunt. Externe appoſitæ ficus in cataplaſma redactæ, maturant, emolliunt, leniunt, uvulæ et faucium tumores, inflammationes-
213 que tollunt. Nimius ficuum uſus tam vetus quam moderna experientia pediculos augere docet, hinc infantibus perparce concedantur.

214 Palmæ aut dactyli in Perſia, Syria, Ægypto, Æthiopia plurimum exoriun-

 tur,

tur, exinde ad nos ſiccati deferuntur, temperiei ſunt temperatæ & adſtringentis, cum amygdalis dulcibus editi bonum dant nutrimentum, fœtui etiam in utero conferunt, & laudabile alimentum miniſtrant. Propter ſuam adſtringentiam in alvi & ſanguinis fluxu bonum pollicentur effectum, atque ob vim mulcentem & temperantem acria quævis in corpore obliniunt, hinc in tuſſi, aſperitate faucium, raucedine vocis & catarrhis acrioreve lympha oriundis, in dyſuria & ardore urinæ eximie commendantur.

215 Siliqua dulcis ſeu ceratonia habet fructus oblongos, digito longiores, craſſos, pulpam carnoſam, ruſam, dulcem, viſcoſam, cingentes, temperantes acrimoniam ſalinam, acidam, et in ſpecie ſodam ſeu ardorem ventriculi ac urinæ. Sunt calidæ ſiccæque naturæ et modice adſtringentis, ſuppeditant bonum nutrimentum. De S. Joanne Evangeliſta referunt ſcriptores, quod ſe ut plurimum ſiliquis nutriverit, et ſuam vitam ſuſtentaverit ad annos 89. ita affimat Cardinalis Baronius Hiſtor. ad Ann. 101. Siliquarum

rum decoctum etiam conducit tuſſiculoſis et phtyſicis, vel ſyrupus exinde confectus, ejuſque pulvis ad 60. grana ſumptus.

216 Mora tam alba quam nigra, etſi in maturitate perfecta, tamen largiter non ſunt ſumenda, quoniam parum nutriunt et nimio abundant acido, refrigerant valde. Unde magis in caloribus minus valent, vel deoctum exinde conficitur, aut gargariſma contra inflammationes gutturis et uvulæ vel contra prunellam, vel ardorem palati. Aqua exinde deſtillata non minoris virtutis eſt. Mori folia augmentum et nutrimentum bombycum ſunt, ne vero madida ſint, quia mador bombycibus perniciofus eſt.

217 Cornus prima inter arbores et quidem ante proventum foliorum floret, qui flores vero nocui et mortiferi apibus ſunt. Corni ſeu fructus ejus tarde matureſcunt, refrigerant et ſiccant, modice etiam adſtringunt, parum nutriunt, acidum quoque in ſe continent, quare guſtui non ingrati ſunt. Electuarium exinde confectum, ut et ſyrupus et rob vel

condita contra alvi et ſanguinis fluxus bilioſos et acres eximium valent.

218 Rubus duplicis ſpeciei eſt, una adfert fructus majores nigri et ſubrubri, altera minores cærulei coloris, ambo raro in uſum alimentoſum trahuntur, niſi a plebeis et guſtus gratia. Calidis et bilioſis naturis non adeo inſalubres moderate ſumpti. Succus expreſſus et cum ſaccharo et vino mixtus, potum excellente et ſapidum efficit ad confortandum ſtomachum et cordis imbecillitates tollendas.

219 Rubi Idæi fructus duplicis quoque ſignantur coloris, nimirûm rubri & albi. Hujus fructus ſuccus ſubacidus refrigerat & modice adſtringit: quapropter in febribus ardentibus & aliis caloribus ad diſſolutionem ſanguinis nimiam compeſcendam uſitatus eſt. Aqua deſtillata non multum in virtute cedit. Levior etiam eſt ſtomacho quam ſuccus aut fructus.

220 Berberum fructus ejusdem virtutis ſunt, refrigerant & adſtringunt. Hi & ſuperiores fructus magis pro guſtu & refrigerio, ſitique temperanda ſumuntur, quam pro alimento, acidum in ſe habent

bent acerbum. In excandeſcentiis moderate ſumpti pro bilis & ſanguinis refrenando æſtu multum juvant.

221 Olivæ conditæ, ſi in parca quantitate aſſumantur non adeo inſalubres, urinam quidem reddunt fœtidam uti aſparagus. Oleum olivarum recens, & non raucidum ſeu vetitum in Italia, Gallia, Germania & vix non in omnibus partibus terræ tam pro uſu alimentorum, quam pro medi-
222 cina plurimum uſurpatur. Virtutem poſſidet emolliendi, laxandi, acrimoniam involvendi, nimium ventriculo nauſeam & vomitum parit. Unde in aſſumptis venenis prodeſt iis evomendis.

223 Cappares minores aceto conditi, non nihil reliquis cibis carnalibus & piſculentis addi ſolent pro acuendo appetitu & comminuendo cibo, ac etiam reſerandis obſtructionibus viſcerum, v.g. lienis, hepatis, &c.

224 Inter omnes hos fructus hucuſque nominatos principatum obtinent uvæ recentes, maturæ, dulcedinem ſufficientem adeptæ. Hæ temperiei calidæ & humidæ ſunt. Magna etiam differen-

tia in uvis deprehenditur, & in eadem bonitate in omnibus regionibus non creſcunt, nec in eadem vicinia, nam in una vicinia ſeu etiam monte acidæ, auſteræ, dulces reperiuntur: quare terra, ſituatio vineæ verſus ſolem. Regio, anni tempus diverſimode uvas matureſcunt. Maturiores & dulciores relictis pellibus ſaniores ſunt, parum quidem inflant, mox vero peracta fermentatione inflatio utcunque ceſſat & una cum reliquiis excrementorum per inteſtina cum flatibus eliminantur; dulces etiam magis nutriunt, & corpus humectant ac reficiunt, præſertim hectica & maraſmo conſumptum, quam immaturæ, acidæ, auſteræ, tales enim facile febres, ſcabiem, choleram, vomitum, alvi fluxus enormes, convulſiones cauſare valent. De ſucco uvarum expreſſo, dum de potu acturus ſum, plura referam.

225 De uvis paſſis, quæ majora & minora reperiuntur, nonnihil dicendum reſtat. Uvæ paſſæ majores exſiccatæ, depreſſæ, rugoſæ, calidiores ſunt, in ſe enim includunt particulas ſalino volatiles &

ſpi-

ſpirituoſas, in corpore bilem & ſpiritus augentes & excitantes, ob ſuam immixtam ſubſtantiam viſcoſam, ſubdulcem emolliunt, leniunt, alvum laxant, temperant. Propterea in tuſſi, raucedine, aſperitate conveniunt, & partibus nutriendis alimentum apponunt, ob ſalia volatilia aperiunt, & deobſtruunt adeoq; ſcorbuticis, cachecticis & hypocondriacis exemptis acinis approbantur, in acinis enim conſiſtit vis adſtrictoria. Hi in pulverem redacti vel ſi ex iis cum ſpiritu vini tinctura extrahatur, cum marte vel terra Japonica analogiam mirificam habet ad alvi fluxus ſupprimendos.

226 Paſſulæ minores vitibus quoq; innaſcuntur & præferuntur majoribus, foliis duntaxat non nihil majoribus conſtant, alvum laxant, acrimoniam hebetant, tuſſim mitigant, gravidis etiam conveniunt, quoniam alvum abſq; periculo lubricam reddunt, alias ſatis moleſtam. In officinis præparatur mel paſſulatum, looch de paſſulis.

227 Ribes vulgaris ſeu ribeſia alba, rubra, nigra, excreſcunt. Nigra ob ſuum

ſapo-

ſaporem ingratum ac juniperinum parum in uſu ſunt, rubra & alba autem magis tam condita quam incocta ſaccharo. Ribeſia utraque conſtant ſale acido volatili, refrigerant, ſitim demunt, appetitum excitant, modice adſtringunt. Ratione ſuæ aciditatis facile febres, diarrhœas, vomitus, choleram inducunt, præcipue ſi ultra quantitatem & jejuno ventriculo comeduntur.

228 Uva ſpina incocta cibis non ſolum appetitui ſatisfaciunt, ſed eum quoque inſtaurant.

229 Ex fructibus cynosbatus tam condita quam rob efficiuntur, modice adſtringendi virtute pollent, ventriculo non ingrata cibis immixta, quin etiam pulpa eorum ſitim ſedat, & ventris profluvia ſiſtit, urinam pellit una cum ſabulo arenoſo, grana in pulpa incluſa & pulveriſata arenam potenter expellunt in convenienti vehiculo ſumpta.

§. VII.

De Acrodryis.

230 Acrodrya ex arboribus quoque fructiferis naſcuntur, ita quidem, ut ex-

tra ſuam pelliculam proximam adhuc duris putaminibus involuta jaceant, & talia ſunt: nuces juglandes, nuces avellanæ, glandes, caſtaneæ, amygdalæ, nuclei pinei, piſtaciæ, &c.

231 Nuces juglandes a putamine excerptæ & ab interiore cortice glubitæ recentes, nutrimentum lacteum calidum & humectans idque bonum ſuppeditant, quo inter alia cætera ſperma virile potenter augent. Nuces ſiccatæ multum ſucci oleoſi & volatilis continent; hinc ejus oleum veneno reſiſtit & illud involvit, & a corroſiva læſione impedit, doloribus nimiis medetur, acrimoniæ vim deſtruit, qui juſto plus illas edunt, perſæpe veſiculas in lingua cauſant, partim a cortice interiore alba, partim a ſalibus volatilibus per maſticationem ab oleoſis particulis liberatis.

232 Nuces avellanæ non multum a nucibus juglandibus ſua qualitate differunt, terreſtri magis & crudiore ſubſtantia conſtituæ ſunt, quam nuces juglandes, hoc videtur in expreſſis & exſiccatis, inde etiam craſſum porrigunt alimentum & diffi-

difficulter reſolubile, aliquatenus propter ſuam copioſam terreſtreitatem, ali-
233 quatenus etiam propter oleum. Oleoſa omnia ad pondus nimium ſumpta ventriculi fermentum inhibent, & a ſua activitate orbant, hinc contenta in ventriculo deſtituto fermento difficulter reſolvuntur, & quidem vix prius, antequam oleum diſſolvitur & ex ventriculo diffluit. Exinde etiam ob tam longam moram & gravitatem caput gravant, quoniam ſextum par nervorum ad ſtomachum tendentium & conſenſum trahentium opprimitur. Nephriticis econtra ſalubres deprædicantur, quantum a ventriculo reſolvi poterunt. Hæc etiam jejuno ventriculo ſumi debent, alias cum cibis ſumptæ vel poſt paſtum ſtatim. Oleum horum nucum in ventriculo ciborum reſolutionem impedit, ut ſupra primo dictum, hac de re flatus, vomitus capitiſve dolores creantur. Nuces vetuſtæ a particulis volatilibus oleoſis in auras miſſis & depauperatis raucidæ fiunt, quæ pulmonibus & gutturi noxiæ ſunt. De virgula hujus arbuſuclæ P. Athanaſius

Kir-

Kircherus. S. J. L. 3. mund.magnet. part.5. cap.3. deſcribit, naturali curſu ſua flexura demonſtrare exiſtentiam metallorum in terris abſconditam.

234 Glandes quercinæ perraro in uſum alimentitium trahuntur, niſi tempore urgentis famis & quibuſdam morbis, porcis vero & quibuſdam avibus in hyeme optimus paſtus eſt, ſuo ſale vitriolaceo & terreo potenter adſtringunt, hinc in alvi, ſeminis, ſanguinisque voluntariis fluxibus eorum uſus commendatur.

235 Caſtaneæ, quamvis ſua ſubſtantia terreſtri & oleoſa paucum ſal volatile includant, attamen calidæ moderate comeſtæ copioſum præbent nutrimentum. Ventriculo vero debili non adeo conveniunt; frigidæ præſertim difficulter digeruntur, quamvis coctæ aut aſſatæ ſint. Hæ etiam flatus producunt plures & alvum conſtipant.

236 Amygdalæ dulces recentes ſuis particulis terreſtribus impletam habent copioſam ſubſtantiam oleoſam moderate calidam, qua non exiguum præbent alimentum & utilitatem ad ſalinas parti-

culas involvendas: hinc pulmones ab infarctu liberant, bronchiorumve aſperitates leniunt, urinam acrem corrigunt, ſomnum adferunt, alvum lubricant, ventris tormina ſedant, difficulter digeruntur, ſi non decorticatæ eduntur Amygdalæ, cortices alvum adſtringunt.

237 Piſtaciæ, nuces pinei amygdalarum naturis adjunguntur, modicum tamen ſubtilius exhibent alimentum, pauciore etiam terreſtreitate conſtant, plus autem oleoſitate & ſucculentia, lac ſemenve augent, detergunt, humectant, impinguant. Quapropter phtyſicis & tabidis, aut ſenibus maraſmo conſumptis conducunt ſuo oleo abundante ciborum reſolutioni in ventriculo odioſæ ſunt. Electuarium exinde confectum ſenectæ naturæ ſummopere nutrimentum & robur tribuit. v g.

Rp. Ol. Piſtac. expreſſ. ℥j.
Vitel. ovor. rec. no. 4
Ambræ gryſſeæ gr. vjjj.
Sacchar. cand. alb. ℥ß.

M. ſuper cineres ignitos ad Electuarii

con-

conſiſtentiam, de quo ſæpius cuſp. cultri de die capi poteſt.

§. VIII.

De Condimentis.

Sub condimentis intelliguntur etiam aromata varia, ut & butyrum, oleum, ſaccharum, mel, ſal, acetum, laurus, rosmarinus, ſalvia, thymus, ſemen coriandri, aniſi, carvi, quæ uni alterive cibo ad ſaporem amœniorem reddendum, &ad quoſdam cibos corrigendos, eorumq; digeſtionem promovendam immiſcentur.

238. Inter fortiora aromata recenſetur piper, quod triplex ex India orientali adfertur, ut piper album, longum & nigrum, ſed nigrum cæteris magis vulgare, quod groſſo modo contuſum felicius admixtum ciborum reſolutionem in ventriculo adiuvat, ſanguinisque circulum auget, nempe tranſmittendo aromaticam ſuam virtutem in ſanguinem, quam minutius tritum, hoc enim, ſi in ſubtilem pulverem redigitur, membranas ventriculi & inteſtinorum aliquando inflammat. Sua qualitate calidum & ſiccum eſt gradu tertio, & ob ſalis ſui penetrantiam viſcida

&acida, potenter penetrat & reſolvit, flatus diſcutit, hinc ſtomachicum & anticolicum eſt, in febribus intermittentibus, præcipue ſi fomes eorum in ventriculo ſit, hoc mox ante paroxyſmum ſæpe cum fructu datum fuit.

Piper album & longum non differunt ratione plantæ, ſed ratione fructus. Album, quod naturale & factitium non eſt, gratius & laudabilius nigro, utrumque tamen, tam album quam longum ſale aromatico acerrimo pungente gaudet, fixo potius quam volatili cum pauco oleo ſubtili. Longum piper rotundo, nigro & albo ingratius eſt; & ideo plus in officinis pharmaceuticis quam culinis uſuale, virtute quidem fortius eſt, & etiam ad ventriculi cruditates reſolvendas, atque in ſaporoſis affectibus ad excitandos ſpiritus præſtantius ac ad venerem ſtimulandam potentius, quam piper rotundum.

239 Zingiberis variæ reperiuntur ſpecies, quæ tantum differunt ratione fibrarum: quo pluribus conſtat fibris, eo ignobilius, quo minoribus, eo præſtantius. Zingiber calidum, acre &

ex-

exſiccativum eſt, melancholicis & colericis largior uſus nocet, quia humores nimis exſiccat & ad motum ineptiores reddit. Ob ſuum ſaporem aromaticum & acerrimum fervidum ventriculum roborat, flatus diſcutit, inappetentiam a viſcoſitate ortam curat, & mire præſertim in morborum declinatione appetitum reſtaurat, ubi nullus calor metuendus eſt.

240 Caryophyli ſuo ſale volatili admodum penetrante, ſubtili & oleoſo noſtris ſpiritibus analogo, ut hos torpentes, vel craſſis, viſcidisve humoribus involutos exſuſcitent & ita regenerant. Unde in morbis ſaporoſis, apoplexia, paralyſi palmam merentur: eandem ob cauſam in primarum viarum muco incidendo, a quo vomitus aliaque mala oriuntur, nulli facile cedunt.

241 Cinamomum eſt ſaporis acris ſvaviter pungentis, ſubdulcis & aromatici odoris fragrantiſſimi, ſuo ſale volatili ſpirituoſiſſimo noſtris ſpiritibus valde homogeneo, junctum habet ſubdulcem blandumque lentorem, hinc præter cardiacam & analepticam virtutem, in tuſſi

frigida & pulmonum muco laudatur, ac etiam in menſium & lochiorum, urinæque viſcoſa ſuppreſſione. Concoctionem ciborum ſublevat, attenuat, incidit, flatus diſcutit, parteſque leviter adſtringit, & corroborat.

242 Nux moſchcata ſub triplici involvitur cuticula, quarum prima viridis & craſſa, media aureo flaveſcens, quæ macis nomen habet, tertia tandem dura, ſub qua immediate interiacet medulla nucis Moſchcatæ. In Inſula Banda ſuperflue creſcit, & in uno anno tribus vicibus fructus adfert. Macis ſal volatile aromaticum oleoſum incluſum tenet, & ſuas operationes blanda vi anodyna & adſtringente abſolvit, in colica, vomitu, alvi fluxu ſedando, frigidis cerebri, nervorum, & uteri affectibus, menſibus & flatibus pellendis ſpecifice recommendatur. Nux Moſchcata Maci reſpondet, ſolummodo temperatior eſt, & ob terreas adſtringentes partes, & craſſum oleum vim potentiorem habet anodynam, ad indolem denique opii quodammodo accedentem, hinc anodyna eſt & hypnotica, ſiſtens nimium

ſpiri-

ſpirituum motum, & in vomitu, colica, dyſpnæa, ſtranguria elegans eſt. In cardialgia, paralyſi ſingularem adfert opem. Nux Moſchcata per torrefactionem ſalibus aromaticis orbatur, & tota terrea, adſtrictoria, anodyna & hypnotica fit, quemvis ferme fluxum cohibet, aduſta vero vix alterius valoris eſt, quam dentifricio pulveri admixta in purgandis dentibus.

243 Nux Indica multo ſale volatili aromatico gaudet, quo non ſolum vim calefaciendi, verum etiam confortandi, viſcidum incidendi poſſidet. Recentes ſuccum bonum dulcem ac nutritivum habent. Conditæ autem, ſolum ad nos delatæ, egregie caput & ventriculum roborant, ſpiritus & ſemen augent, atque urinam & arenam pellunt.

244 Sinapi in frigida & humida ventriculi intemperie corrigenda, viſciditatemque illius rugis tenaciter adhærentem detergendam, & exinde coctionem læſam adjuvandam & appetentiam excitandam valde utilis deprehenditur, ſuo tamen ſale acri oculis nocet.

245 Crocus tam ſuo ſale fixo quam volatili fragrantiſſimo & penetrante juncto blando oleo, aromaticus & anodynus eſt, diſcutit mirifice, & in tuſſi, dyſpnæa, aſtmate convulſivo, in phtyſi (unde anima pulmonum nominatur) ac etiam roborandis ſpiritibus, in menſium lochiorum & fœtus remora, ut & in ictero magni habetur, item in ſyncope & palpitatione cordis. Immoderatior tamen croci uſus vitandus eſt, quia ſtuporem, ſomnolentiam, & aliquando etiam amentiam adferre ſolet.

246 Laurus, roſmarinus, ſalvia, thymus, ſemen aniſi, fœniculi, carvi, coriandri, cibos reddunt gratos, bene olentes, & quam maxime ſalubres, pelluntque flatus, & viſcidos humores corrigunt.

§. IX.

De ſale communi & aceto.

Corpora, quæ e terræ viſceribus fodiendo eruuntur, generali nomine
247 foſſilia nuncupantur: inter hæc corpora foſſilia ſal adnumeratur, ex tribus conflatum, nimirum ſulphure, quod ratione caliditatis, & igneæ ſubſtantiæ eſt;

Mer-

Mercurio, quem ratione humiditatis continet; ſale, de quo in ſummo participat ratione ſiccitatis terreſtris. Triplex in natura cognoſcitur ſal, quatenus ex triplici regno elicitur, vegetabili, mi-
248 nerali, & animali. Sal commune, ſeu minerale triplicem in hoc orbe habet ortum, unum dicitur fontanum, aliud marinum, aliud vero montanum minerale; fontanum & marinum arte, minerale vero a ſola natura mediis in montibus coquitur & inſtar lapidis evellitur.

Sal inter ſe diverſi coloris invenitur, ſcilicet rubrum in Dania, nigrum in Norwegia, croceum in Cappadocia, purpureum in Hiſpania, cineritium & album in noſtra Germania. Salis nomine ſuccus acer intelligitur, ex ſolis teretibus & rigidis particulis conflatus, quæ in terræ interioris meatibus interceptæ, caloris vi ad modum gladiolorum contunduntur. Nam ſicut rotunda ferri candentis virga, crebris malleorum ictibus, in oblongam laminam complanatur; ſic particulæ illæ, in duo craſſiſſimæ terræ pororum latera alliſæ atque affrictæ, eorum figuram indu-

unt. Ipſa obſervatio varias ſalis communis refert proprietates; quoniam talis eſt ſalis neceſſitas, ſine quo homo naturaliter diu vivere nequit: proinde hoc uſurpato conducit. Sal etenim naturæ balſamum eſt, & non ſine cauſa quid divinum vocavit Homerus. Quod corruptionem arcet, calidi ſulphuris cum humido Mercurio, ex quibus homo eſt compactus. Ejus conſervationis virtus in eo maxime conſpicitur, dum carnes demortuas a putredine diutiſſime conſervat, quanto magis ergo vivas præſervabit. Sal eſt ciborum correctio, quod ſi non intervenit, in his nulla eſt etiam correctio, quos quidem eſto ventriculus receperit, rite decoquere minime poterit. Præterea latet in ſale facultas reſolutiva, oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi, ac per reſolutionem per urinam expellendi; nam urina cum ſit ſal cruoris tantum, id eſt, ſal duntaxat ex ſale naturali, quod naturale cum ſale microcoſmico aſſociatum per conjunctionem, ſimul ambo maxime faciunt ad excrementorum expulſionem: hinc ſudor, lachrymæ,

mæ, ſaliva, & quidquid ex humano corpore expulſionem recipit, ſalinam indolem redolet.

249 Sal ubique locorum ſecundum majus & minus reperitur, a quo etiam ejus fertilitas & fœcunditas dependet, quia compertum habemus, terram omni ſale orbatam, ita ſterileſcere, ut ſemina & plantæ minime in ejus gremio germinent & creſcant, omnis namque fœcunditas a ſale oritur. Hac de re ſal quoque genitales partes generationi deſtinatas ſtimulat & roborat, ad fœcunditatemque diſponit; hinc qui ſalſamentis, carnibusque ſale maceratis veſcuntur, alacriores ad venerem redduntur, unde plerumque ſalaces veneri ſunt dediti, propterea venerem Aphroditim, e ſale ſeu ſpuma maris natam finxerunt Poetæ. Ob id Ægypti canes inertes ad coitum ſalſamentis, carnibusque ſale maceratis ad venerem ſtimulabant & alacriores reddebant.

Quamquam vero ſal ſummæ & ferme neceſſariæ utilitatis ſit, larga tamen quantitate ſumptum, multos morbos parere ſolet, quoniam plurimi ob ſalitorum car-

niurn

nium & piſcium nimium uſum in vix ſanabilem illapſi ſunt ſcorbutum, adeo ut pedibus neque ſtare neque incedere potuerint. Calculi quoque rudimenta ſtruit nimius ſalitorum eſus, pruritum parit; ſcabiem inducit, impetiginem accerſit, aciem oculorum obtundit, genituram nimium ſtimulando tandem enervat & minuit. Bilioſis & melancholicis ac potiſſimum iis, qui ſedentariam amant vitam, nocet, & demum totum ſanguinem coinquinat & acrem facit.

Cibi ſale conditi duriores & concoctu difficiliores fiunt, quia nativa eorum humiditas abſumitur, unde ſubſtantia eorum compactior & durior efficitur, per hos etiam ſal nimium tamquam per vehiculum in noſtros humores irruit & dictos effectus parit; ideo caute & parce cibis his utendum eſt.

258 Qualem autem acetum nobis utilitatem vel incommodum pariat, varius hujus uſus diſcernendus eſt, vel enim eſt culinaris pro immiſcendis & corrigendis cibis, vel eſt medicus pro refrigerando & refrenando nimio calore, &

com-

compeſcenda nimia hæmorrhagia &c. vel pharmaceuticus hujus uſus eſt; nimirum pro extrahendis, ſolvendis, invertendiſque mixtis partibus: ut dum efficitur ſaccharum ſaturni vel ceruſſa, minium &c. opium extrahitur, ammoniacum diſſolvitur &c. medici hic & pharmaceutici uſus de facto non ordinis nec temporis eſt, idcirco de ſolo uſu ejus culinari ad diætam ſpectante, ſeu quale acetum cibis immixtum adhiberi ſolet, dilucidandum venit. Quid ſit acetum ferme omnibus patet, qui illo utuntur.

251 Acetum eſt liquor quidam ex aliquo vegetabili ſucco poſt fermentationem abſolutam effectus: ut ex vino, cerevifia, tritico, ex ſucco pomorum, pyrorum &c. elaboratus. Quare poſt fermentationem peractam; tunc enim primo ſulphureæ ſeu oleoſæ & ſpirituoſæ concretorum partes, a motu illo inteſtino diu per fermentationem continuato & aucto, magis diſſolvuntur ac expanduntur, unde in auras abeunt, quædam ſubdiliores, quædam autem craſſiores ſupprimuntur, quamdiu viſcidum & ſpiritus oleoſi

leoſi in ſucco tamquam per gluten ſimul cohærent, tamdiu ſubdulcis & gratus erit ſuccus, dum vero oleoſæ per fermentationem & acutum calorem a phlegmatico ſolutæ a tartaro in fluorem redacto avolant, acidæ fiunt, & ita ſalinæ partes attenuantur atque exaltantur, acetumq; componunt.

Quæ vero utilitas culinaris ex uſu ejus tam in- quam extrinſeco emergat, varia conſtant experimenta, per acetum multa extrinſece, partim a putredine conſervantur, partim digeruntur & corriguntur, partim etiam facilioris concoctionis conſtituuntur, ut carnes tenaces & duræ, piſces &c. olera, cucumeres a corruptione in diuturnos uſus con-
252 ſervantur. Acidum & acetum, quod notandum, non ſunt idem, quia non quivis acidus liquor acetum eſt, ut ſuccus citri, aurantiorum, ribium, berberum; aut agreſta, vel ſuccus pomorum immaturorum & acidorum, ſed ille liquor acetum eſt, ut ſupra dictum n. 251. ſcilicet liquor ex ſucco fermentato factus, ut ex vino, cerevíſia &c. amboque tamen liquores conſtant particulis longis, rigi-

dis

dis ac inflexibilibus gladii inſtar ſecantibus, iisque acutis. Differt acetum a ſe virtute, unum eſt nempe debile, aliud forte, quo enim fortius eo potentius & utilius ad uſus extrinſecos, ut nonnulla dicta a corruptione præſervet, fortiſſimum autem debet eſſe acetum illud, quo condiuntur res ad longum tempus conſervandæ, alias nimis aquoſum & debile acetum condita plane inepta facit ad conſervationem, imo prius putrefacit & fœtida reddit. Quoad uſum intrinſecum autem acetum refrigerat, partes refrænat ſulphureas, ſpiritus figit, ſanguinem una cum lympha condenſat & incraſſat, hinc a nimio aceti uſu ſucci noſtri inſpiſſati, & incraſſati per vias ſuas circulantes impediuntur, obſtructionibusque apti fiunt; unde tanta dein morborum ſcaturigo.

Si quis ergo ſuam vitam ſalubriter transigere vult, moderate aceto & ſale fruatur. Laplandi quidem non multo aceto nec ſale utuntur, in regionibus vero calidioribus & naturis minus frigidis acida tuto ingeruntur, notum enim eſt, in quibusdam

mor-

morbis conducere, ita non minus in ſanitate conſtitutis temperaturis fervidis conducet, præcipue ubi conſumptione opus eſt, ut in pinguibus & robuſtis naturis.

§. X.

De butyro, caſeo, oleo, ſacchara & melle.

Cum hucusq; de his nihil adhuc dictum fuerit, & quaſi e condimentorum genere excluſa appareant; quapropter per præſentem §. de his quædam adjicientur; & primo quidem butyro. Unde & quomodo autem fiat, non opus eſt hic declarare, quod ancillis & plebeis jam notum eſt; cujus autem efficaciæ ac utilitatis ſit, brevibus declarabo.

253 Butyrum ſuis partibus ſulphureis calefacit & immixtis quibusdam particulis ſeroſis humectat gradu primo, & teſtante Avicenna ad naturam olei olivarum accedit, magis tamen humectat quam calefacit. Butyrum plurimis cibis admiſceri ſolet, quo recentius eo ſalubrius, cujus butyroſæ partes ramoſæ acidum & ſalſum rigidis conſtans particulis comprehen-

hendunt & involvunt, hinc acidum & ſalia his involuta in corpore noſtro parum aut nihil mali producunt, & ita butyrum per ſe impediendo partes conſumptivas in noſtro corpore nutritioni ſuccurrit, impinguat, tuſſi obnoxias ſublevat, nimius tamen illius eſus tonum ventriculi diſſolvit, nauſeam parit, appetitum aufert: proinde vitare illud debent, qui laxiore gaudent ventriculo, bilioſis complexionibus quoque noxium, quia bilem adauget. Qui eo ſolo delectari volunt, vacuo ventriculo potius aſſumant, quam poſt cibos ingeſtos, his enim fermentationem & reſolutionem retardat aut plane impedit, alvum quidem laxat, multum vero ſumptum, ut omnia pinguia & oleoſa, vomitum ciet.

254 Ex olivis maturis exprimitur oleum, quod recens & dulce calidæ & humidæ naturæ eſt, ut n. 253. æqualia in virtute ſunt, hoc ut butyrum emollit, laxat, lenit, acrimoniam contemperat, lumbricis inſidiatur, & veneni vim illudit, vetuſtum & rancidum exulat, quod plus damni quam commodi adfert, imo tale me-

lius lampadi quam corpori inſervit.

255 Condimentis etiam caſeus adnumeratur, qui in multiplici bonitate elaboratur, hinc etiam eandem naturam & temperiem haud habet. Animalium alimentorum ratio multum quoque caſei variat bonitatem; ac etiam ipſiuſmet caſei ætas, odor, ſapor, cæteræque circumſtantiæ illum multum immutant. Caſeus antiquus propter acrimoniam calidior eſt, & quo antiquior, eo acrior, calidor ac ſiccior, concoctuque difficilior, calculoque gignendo aptiſſimus fit, præcicipue ſi ſal eminet in illo, tunc urgentem producit ſitim. Recens vero caſeus & mollis, non minus difficilis concoctionis eſt, & flatuoſior vetuſto, multam humiditatem & oleoſitatem in ſe adhuc quidem continet, hinc minus ventrem ſiſtit: attamen calculum, obſtructiones viſcerum alioſque effectus gignit, putridus & fœtidus omnium noxioſiſſimus. Caſeus a butyro privatus, oculatus, macer omnium longe inſanior; quia difficulter concoquitur, & nutrimentum craſſum præbet, obſtructionesque plurimas

in

in partibus parit. Plura de caſei qualitatibus ſequentia carmina patefaciunt, qualis bonus & magis ſanus ſit, nimirum talis.

Non Argus, cygnus, non Magdalena, Mathuſel,
Non Habaccuc, Lazar, caſeus ille bonus.

256 Saccharum & quæ condita ſunt ſaccharo larga copia aſſumpta non admodum utilia animadvertuntur, corroſiones etenim fibrarum cauſant. Saccharum naturæ calidæ & ſiccæ eſt, putredinem arcet, ſalia abſtergit, hinc ſtomachi phlegma detergendo eluit, renibus & veſicæ ſubſidet, arenam ſalinam abſtergit, urinam promovet, pectori prodeſt, quia tenues humores incraſſat & ſalinos ad ejectionem promovet. Dentibus ſaccharum valde carioſum eſt, ideo illi laudandi, qui poſt ſaccharata & mellita edulia & caſeum os aqua bene colluunt. Quo magis ſaccharum album & compactius, eo ſanius eſt, quia ſaccharum commune ſeu nigrum multum viſciditatis parit, viſcidum vero obſtructiones. In concoctione ſaccharatorum apparet, nigrum magis ſpumoſum & viſcoſum eſſe, quam album. De-

fertur ad noſtras partes tam ex India orientali quam occidentali: ubi agri probe aratro perfoſſi conſeruntur articulis cannæ ſacchariferæ, exſurgunt hinc arundines digitis quatuor circiter craſſæ, quæ dum ad altitudinem hominis aſcendunt, revelluntur a radice, dein in conſtitutas vehuntur molendinas, ibidemque ſuccus omnis ex iis exprimitur, qui ſi intra 24. horas non excoquitur, aceſcit, nec ulla arte amplius in priſtinum ſtatum reduci poteſt, cito vero coctus infunditur in vaſa conifera & exponitur ſoli, ut indureſcat, & in longinquas regiones deferri poſſit. Indi coquunt in aqua ſaccharum cum pauxillo farinæ, & ita ſe nutriunt.

257 De melle multæ in ſcriptis antiquorum inveniuntur controverſiæ, nimirum: Utrum mel ab aere puro & ſimpliciter proveniat? & herbis floribusq; adhæreat? dein ab apibus primo colligatur? vel utrum ex plantis & floribus ipſis, & ſolis mel proveniat? & apes exſugant? cui ultimæ quæſtioni aſſentiri ſvadet ratio & experientia, quia perſæpe mel qualitates plantarum refert, quas in aere induere nequit, quas in thymo

mo mel demonſtrat, & thymum redolet. In Sardinia mel amarum provenit, ubi magna quantitas abſynthii creſcit: in Ponto mel venenatum reperitur propter redodendron. Mel itaque omne ex floribus & herbis ſpecialibus primario generatur & ab apibus colligitur, quod ſi ab aere ſolo prodiret, hinc inde ab eo ſub diverſo ſapore deponeretur, & ab apibus inveniretur contraria qualitate imbutum mel v. g. in roſis amarum, in abſynthio dulce & gratum. Hoc autem experientia contrarium fieri docet, quia videmus, apes in ſpecialibus floribus & herbis mellis majorem copiam colligere, & alios flores melle privatos nec attingere, quibus ferme ſingulis noctibus cum rore ab aere mel deponi deberet ſub diverſa qualitate ſi in aere tantum mel generaretur. Contrarium etiam docent agri, in quibus floret phagopyrum n. 153. vel roſæ in hortis, hæ, quamvis ab omni rore decidente & aere muniantur, in vitro incluſæ attamen mellis ſaporem & odorem ſpirabunt, quæ evidenter ex ſe natum mel declarant. Implicat denique ſoli aeri

 natu-

naturalis geneologia mellis. Non quidem nego, in aere volare etiam poſſe mellis particulas, quod prætereundo agros & hortos ſufficienter ſpiramus, ſed hæ odoriferæ particulæ in aere volitantes e floribus & herbis primario genitæ, & per motum ſolis rarefactæ in auras tandem elevatæ fuerunt, quæ condenſatæ rurſus una cum rore decidunt, & per noctem corrumpuntur, ideo ab apibus nunquam amplius colligi queunt, quia noctis tempore hinc inde non volare ſolent, ut illud cito colligerent. Mel autem eſt ſubſtantia liquida, craſſiuſcula, ex albo flaveſcens, quod cum ſaccharo convenit, aſt temperatius, ſpirituoſius & magis anodynum eſt, quo magis color ejus albus, eo melior, calido & ſicco temperamento adſcribitur. Flavum calidius & ſiccius eſt, præſertim dum apes ex calidioribus herbis & floribus extrahunt, ut ex thymo, lavendula, roremarino &c. plurimum autem mixtum deprehenditur, quo enim acrius & odoratius, tanto etiam potentius eſt, quod magis utile ſenibus & frigidioribus

natu-

naturis, nocet bilioſis & juvenibus, æſtatisve fervido tempore.

Mel demum alimentum & medicamentum eſt, quatenus multæ bonæ & laudabiles præparationes ex melle fiunt; magnum robur perficientes, a quibus functiones corporis omnes acuuntur & reſtaurantur. Hinc Plinius mel divinum nectar nominavit. Mellis uſu ſuppo-
258 no moderato ſuam vitam contraxerunt ad annum 90. centeſimum & ultra, Pythagoras, Antiochus Medicus & Thelephus Grammatices, quidam Pollio Romanus, Democritus & multi adhuc alii, præſertim aſſveti, ut Atheneus refert, Cyrnios, qui Corſicam Inſulam inhabitant, ideo eſſe longævos, quia mellis cibo aſſidue fruuntur, cujus ingens copia ibi colligitur. Semper tamen reſpiciendum temperamentum hominis, ætas, & quantitas mellis, ne fel in corde fiat, adhibetur etiam ad extrinſecos uſus varios ut in gargariſmatibus & ſuppurandis tumoribus.

§. XI.

De cibis, qui ex animalibus petuntur, & præcipue de carnibus quadrupedum & ferina.

259 Caro, quæ ex quadrupedum genere deſumitur, diverſæ ſpeciei, bonitatis atque uſus eſt. Animalia etiam ætate differunt, hinc animal juvenculum carnes multo ſalubriores & ſub actu faciliores, quam vetus habet, cujus carnis fibrillæ tenaces ſunt; ſic etiam recens præſtat infumata aut ſalita; infumata etiam ſalitæ præfertur, quæ digeſtu facilior eſt, quia ex fumo plurimas recipit particulas volatiles. Animalia ferina, quæ incedendo, currendo aut laborando ſeſe commovent, meliorem longe præbent carnem, quam quæ continuo in ſtabulis ſaginantur, nec in paſcuis ſe ita commovent. Facilioris etiam digeſtionis caro pinguiorum animalium quam macilentorum, ad hoc reſpicienda venit regio & prata, ubi aluntur animalia, quo caro pinguior, eo melior ac ſalubrior; ita tamen, ut caro ſubpinguis tantum ſit, nimirum pingui ſucco repleta & maxime, quæ oſſibus proxi-

ma adjacet. Nimis pinguis caro aut pinguedo ventriculum gravat & nauſeam parit. Supra ennarratum fuit de concoctione ciborum, quod non unicuique promiſcue cibi optimi, ſaluberrimique ſint, ſed quilibet cibus ad quemque ſeorſum conſiderandus ſit, an conducat nec ne: ita etiam non omnis caro cuilibet convenit, nam qui ventriculo debili gaudet, aut vitam deſidem agit, melioribus & delicatioribus carnibus veſcatur vid. n. 90. ut vitulina, vervecina, hædina & agnina, recenter nata ſeu juniore &c. bajulis vero, foſſoribus, & nautis, aliisque laborioſis & majori exercitio deditis caro craſſior & durior, fumo indurata & ſalita convenientior eſt, ut caro bubula, ſuilla &c.

260 An vero caro aſſa elixæ præferenda ſit? ſupra dictum §. 1. n. 134. quod ſuccus cujuscunque carnis in toſtione magis remaneat, quam in elixa, ex qua magis excoquitur, & virtus nutritionis ad juſculum deponitur, quo plus cocta facilioris digeſtionis in ventriculo eſt, aſſa autem difficilioris. Carnium jus potentius nutrit, quam excocta caro, hoc

manifeſte videtur quod jus perſæpe inſtar gelatinæ concreſcat, illudque decumbentibus magis conducat, quam ipſa caro.

261. In ſpecie veniunt enarranda caro bubula tam bovina quam vaccina, uſitatior quidem inter cæteras carnes, qualitate tamen differens, quo enim caro eſt pinguior eo etiam humidior, & quo ſenior eo calidior & ſiccior, quia fortius ſal volatile ſuppeditat caro ſenior quam junior, hinc etiam magis caro ſeniorum animalium calefacit corpus noſtrum, alit vero mediocriter, concoctu in ventriculo non facilis, alvum ſupprimit, ideo, qui alvi ſuppreſſione ſæpius laborant, non multum veſcantur carne bubula, quin etiam, qui debiliore ventriculo gau-
262 dent. Caro vitulina econtra concoctu facilior, & magis nutritiva delicatioribus naturis, & exercitio minus deditis convenientior, quam bubula caro.

263 Caro porcina tam aprina quam vulgaris in plurimis ferme locis uſitatiſſima & humanæ carni ſecundum opinionem Galeni analoga eſt. Variæ quidem ſpe-

ſpecies porcorum referentibus authoribus in quibusdam terræ partibus reperiuntur, ſic in Æthiopia porcos inveniri quatuor cornua geſtantes. Ælianus meminit porcorum alatorum. In Provincia Daracin prope Mare in media Americæ parte, ubi Mexico ab Inſula Peru dividit, in conſpectum provenire ſues absque cauda. In Macedonia mutos absque clamore. Progredior jam ad uſum carnis porcinæ, quæ recens cocta aut aſſa non ingrata ſapore eſt, & potenter nos nutrire ac humectare facit, corruptioni vero valde prona eſt ob ſuum nimium humidum. Lardum, adeps & pinguedo ejus in culinis ad condiendos cibos familiaris ferme & non exiguæ utilitatis eſt, emollit & ſalia oblinit, alvumque laxat, nec non in ſanandis ulceribus utilis reperitur.

264 Juniorum autem porcellorum caro præhumida & nimis mucoſa reſtat, plurimam gignit pituitam, non tantum nutrit ut ſuilla. Aſſata etiam non tantum malum efficit, ſi modus ſervatur in quantitate, & guſtui libertas non nimia comeditur,

ditur, in juſculis & gelatinis non ita ſane præparatur.

265 Caro vervecina, ovilla, caprina, hædina, omnes ferme æqualium virium & bonitatis ſunt, niſi horum ſeniorum caro magis dura & concoctu difficilior eſt. De recens natis & agnina carne facilior & non inſalubris nutritio ſumitur.

266 Carnium eſus olim hominibus non erat ita in uſu, ut nunc, imo quibusdam plane ignotus. Ut Pythagorei carniûm eſum horrebant, putantes, illorum animalium mores & ideas per eſum hunc contrahi. Fuit quidem primum inſtitutum divinum, ut ſolis herbis & fructibus vitam alerent homines & non carnibus Geneſ. cap. I. v. 29. & cap. 2. v. 18. & 19. ſic videmus, infantes naturæ ductu impenſius in fructus, quam in carnes ferri. Homines etiam, ſi fructibus & herbis veſcuntur, multo firmiores fieri, quam a carnibus nutriti. Nonne bruta, qui herbis & fructibus tantum ſuſtentantur, vitam ſuam ultra centum annos protrahunt, ut cervi, cameli, elephantes, hi plane ad trecentos annos vivunt, natura enim in negotio digeſtio-

geſtionis durarum rerum, uti caro eſt,
multum debilitatur, & ventriculi tonus
ſeu elater deſtruitur, quoniam longiore
digeſtione carnes opus habent. Sacræ
quoque hiſtoriæ carnium uſum non niſi
longo poſt tempore toleratum fuiſſe fe-
runt Gen. cap. 9. v. 3. qui vero carnium
eſus non natura duce, ſed per depra-
vatos effectus hominum introductus
fuit, qui poſtmodum humanitatis obli-
ti, non modo carnivori ſed antropophagi
effecti ſunt. Demum carnis eſus ita in
conſvetudinem devenit, ut etiam modo
abſque cibis carneis multi homines vi-
vere non fidant, hinc omni die in horum
uſu continuant, & ventrem ſuum iis
ſuperflue replent, *ducuntque in bonis di-*
es ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt,
non perpendendo, ſi gulæ cauſa et-
267 iam violent jejunium eccleſiæ. Ex-
poſcunt quidam ab authoritate ec-
cleſiæ privilegia, diebus abſtinentiæ car-
nes vorare; dummodo autem non levis
ratio ſit v.g. flatus vel morbus levis ſine
periculo. De jejunio vid. n. 116. & 117.
Primum præceptum erat abſtinentia ad-
huc

huc in paradiſo datum, ne comederet de arbore boni & mali. Quod ſi obſervatum fuiſſet, in æternum vixiſſemus. Hoc ne nobis ex inobedientia jejunii vel abſtinentiæ contingat, jejunemus & abſtineamus, & ſervemus præcepta. Jejunium enim non eſt ſuperſtitio & novum inventum, atque primo noſtris ſæculis inchoatum, ſed jam fuit quam ſtrictiſſime primis quatuor ſæculis poſt paſſionem Domini obſervatum, præcipue jejunium quadrageſimale. De quo a Valente & Gratiano dein Honorio & Theodoſio illis ſæculis florentibus memoratum fuit in eorum lege lata.

Cum itaque de facto carnes in omnimodam conſvetudinem introductæ ſint, & aliam jam naturam effecerint, temperanter diebus licitis eis utendum eſt, ne ventriculus & tota natura exinde lædatur. Carnium etiam diverſitas ex narratis obſervetur, quales magis ſalutares ſint & quo tempore. Hinc pergo ultro ad carnem cervinam.

268 Caro cervina vetuſtior non multum melior carne bubula eſt, junior ve-

ro alimentum ſuppeditat præſtantius, faciliorisque digeſtionis. Bonitas ejus in tantum prævalet bubulæ quatenus cervi ex variis melioribus herbis nutriuntur, & per commotionem etiam majorem incedendo aut frequentiore curſu meliorem carnem acquirunt. Rupi capri in ſa-
269 nitate ſuperant carnem cervinam, ita tamen, ut bene caro præparetur, alias difficilioris digeſtionis caro eſt.

270 Leporina caro a potiori adſcribitur temperamento ſicco & melancholico, ſed non ſolum iſta, verum de potiori caro quævis quadrupedum & ſeniorum animalium; ſiccior & fumo indurata melancholicos producit humores. Junior vero delicatior, et facilius digerens et magis nutriens caro ſanitati et delicatis conducit n. 90. & 91. Hoc idem de cuniculis tam adultis quam junioribus dici poteſt; carnem habent delicatam, in chylum laudabilem convertibilem.

271 Interanea & extremitates animalium, ſunt quædam fortioris, quædam levioris digeſtionis. Fortioris ſunt ventricu-

lus

lus, cor, pedes, tardioris adhuc digeſtionis partes téndinoſæ, levioris vero ſunt pulmones, hepar, renes, lien ac lingua. Pinguedo & adeps pauci ſunt nutrimenti & potius ciborum condimenta quam pro cibis adhibentur. Medulla & cerebrum melius nutriunt, ſanguis concoctu difficilis eſt, alvi & ſanguinis fluxum potenter cohibet, parum nutrit. Quædam animalia ſolo ſanguine aluntur.

272 Cibi ex volatilibus deſumuntur gallinæ, capones, anſeres, anates, perdices &c. facile principem habent locum præſertim juniorum caro, ob partium enim mollitiem & teneritudinem in ſuccum chyloſum liberaliter commutantur, & bene nutriunt. Anſerum & anatum caro, præcipue vetuſtiorum difficulter digeritur, & craſſum præbet alimentum.

Perdices, columbæ, turtures, phaſiani, fulicæ, coturnices, alaudæ, & omnis generis aviculæ montanæ, turdi, merulæ, ficedulæ, fringillæ, ac etiam pavones &c. maximi ſunt valoris, nec non ſalubres ad nutriendum. Jam de aquatilibus.

§. XII.

§. XII.

De cibis piſculentis.

273 Piſces in genere frigidæ & humidæ naturæ ſunt, hoc ex ſanguine illorum patet, alii plus, alii minus, quare piſces etiam plus conducunt ſanguineis, bilioſis ſeu cholericis temperaturis, quoad humiditatem quam maxime melancholicis. Quoad ſubſtantiam aliqui duriores, pinguiores et viſcidiores ſunt. Duæ priores ſpecies præ reliquis laudabilem generant ſuccum. Piſces econtra in limoſis, ſordidis, ac aquis ſtagnantibus deliteſcentes inſaluberrimi ſunt. Qui vero in ſaxoſis aquis, fluminibus limpidiſſimis vagantur, optimum præbent alimentum: ita etiam piſces ex altiori mari alati meliores & ſaniores reperiuntur, quam litorales, quia mare in litore impurius, atque in minori motu eſt, quam in alto mari, ubi motu continuo fluctuat. In ſpecie autem recenſentur meliores ex mari recenter alati & præparati, ſaliti & exſiccati jam non tam bonam ac ſalubrem nutritionem parant, ſed potius morbos producunt, tales ſunt haleces, qui recentes

noſtras has partes deferri neqeunt, quamprimum enim ex mari proveniunt & extrahuntur, moriuntur ſtatim. Qui tamen recenter parati ſe in laudabilem & gratioſum ferculum offerunt. Ad longiores itaque partes potius deferuntur piſces ſaliti aut exſiccati, ut ſunt aſelli, paſſeres marini, loligines ſeu calamaria, qui non admodum ſalubres, & parum nutriunt, præſertim delicatiores, quorum ventriculus digerere haud valet; nihilominus robuſtis & exercitio deditis conveniunt ſalmo ſeu eſox, alauſa & aloſa, carpio, ſturio ſeu accipenſer. Hi recenter parati gratum & bonum dant alimentum, & marinis præferuntur, quia in fluviis degunt dulcibus. Inter præcipuos etiam recenſentur perca, lucius, huſo, tinca ſive tencha, rubicula, barbo. Cibi multiplices exinde parantur tam frixi quam oleo conditi vel butyro cocti. Inter laudabiles etiam recenſentur cibos paratæ lampretulæ, ſquillæ fluviatiles & marinæ, anguillæ, muſtellæ, funduli, craſſuli, lampretæ &c.

274 Cibis piſculentis etiam adjungun-

tur

tur teſtudines, ranæ, cancri ſeu gammari, conchæ, cochleæ. Teſtudines variæ magnitudinis reperiuntur, ſunt etiam quædam in mari reperibiles, quædam in ſylvis & aquis paludoſis, quædam in fluviis. Ex mari capiuntur omnium majores: de quibus Geſnerus narrat, teſtudinem ex mari tantæ magnitudinis captam fuiſſe, ſuper cujus ſcutum teſtaceum tres viri circumire poterant, & in India tantas reperiri teſtudines, ſuper quarum teſtacea nautæ in aqua circumvehi poſſint.

Teſtudines a coquis variis modis parantur, ſubſtantiam habent carnis inſtar, odoris & ſaporis grati, refrigerant & humectant, tabidis & hecticis pro ſalutifero ferculo inſerviunt, & pro antidoto verſus venenum & epilepſiam illarum ſanguis habetur.

275 Ranæ ſunt quædam aquaticæ, quædam terreſtres, quædam amphibiæ. Aquaticæ omnibus præferuntur, præcipue quæ in fluviis aut fontibus puris tuentur, & hæ ſunt virides. Rubetæ, quæ in lacubus perſiſtunt, ut pernicioſa rejiciuntur. Dioſcorides ranarum eſum, paratum o-

leo, ſale vel butyro contra omnium ſerpentium venena pro antidoto haberi voluit: ita etiam cocta in juſculo vel aqua adverſus tendinum inveteratos rigores. Refrigerant & humectant magis quam teſtudines, alimentum præbent paucum & tenue. Verno tempore a plurimis tam in Germania, quam Italia & Gallia pro cibo tam frixæ quam elixæ aſſumuntur.

276 Cancri ſeu potius gammari tam fluviatiles, quam marini habentur, inter cibos refrigerantes & humectantes recenſentur, figunt ſpiritus volatiles & feroces, hinc in æſtate fervente, febribus & morbis calidis cum magno fructu adhibentur. Duræ ſunt quidem ſubſtantiæ, mediocriter nutritivæ, ſtomachum requirunt robuſtum & adhuc validum, ut eos digerere valeat, ideo debilitatis potius ſuccus eorum expreſſus vel excoctus præbeatur. Phtyſicis & tabidis egregie conducunt ſanitati. Cancri ſi comburantur in dyſenteria valent, Galenus etiam laudat horum combuſtorum cineres proficuos eſſe adverſus canis morſum.

ſum rabidi, ſi cum radice gentianæ aſſumantur.

277 Oſtreæ, muſculi conchis incluſi, quo minus crudi ſumuntur eo meliores, ideo mediocriter toſti & oleo vel butyro parati præſtantiores ſunt. Conchæ ſeu teſtacea pro vario uſu in officinis pharmaceuticis traduntur. Oſtreæ multum ſalis acris in ſe continent, hinc pro hujus temperatura in eſu ſuccus limonii aut aurantiorum acidorum admiſcetur, & plus guſtus quam nutrionis gratia in uſum veniunt.

278 Demum de cochleis adhuc dicendum reſtat, cochleæ tam teſtaceæ, quam nudæ in conſpectum ſe ſiſtunt, quædam in mari, quædam ſuper terram ſerpentes. Cochleæ nudæ pro eſu intrinſeco non ſunt, & marinæ terreſtribus præferuntur, dein quæ in locis apricis & vinetis reperiuntur & tempore authumnali teſtibus occluſæ ad uſum conſervantur. Quod ſi hæ in juſculo coquantur vel cum aceto & oleo edantur, alimentum ſapidum & bonum miniſtrant, acidum quoque in corpore noſtro ſuo muco ſalivoſo & glu-

tinante potenter domant, refrigerant penes & incraſſant humores, conſolidant, leniunt, pulmonibus & nervis conveniunt, hinc in tuſſi, phtyſi & homoptoe utiles. Bene maſticatæ facilius in ventriculo digeruntur, quia duræ ſunt digeſtionis, præcipue in juſculo paratæ. Marinæ cochleæ magis ventriculo conveniunt, magis etiam alvum commovent, quam noſtrates ſuper terram tantum ſe trahentes.

CAPUT III.

De potu in genere.

279 AD vitam noſtram reſtaurandam & ſuſtentandam ſali cibi ſolidi ſufficere nec prodeſſe queunt, niſi liquor aliquis conveniens jungatur ad cibum ſolidum diluendum & deferendum partibus corporis, ſine hoc enim ſiccitas mera & ingens ſitis ad interitum vitæ oriretur. Cum autem liquor ſumptus nomen ſit nimis univerſale, nec etiam quivis liquor congruus ſit ad deferendum cibum omni liquido orbatum ad ſuſtentandam vitam, neceſſarius & ſolus ſufficiat liquor humidus, qui nulli præter aque-

aqueum tribuitur, quia aqua eſt generale univerſæ generationis principium, humidum ſcilicet radicale, gluten maxime neceſſarium inter ſulphur & ſalem n. 23. ubicunque illa perfluit, ſuo madore inficit & lubricat.

280 Aquæ uſus autem dupliciter conſiderandus venit, unus intrinſecus, alter extrinſecus. Omnia vegetabilia mediate vel immediate intrinſece & extrinſece pervadit, irrorat & advehendo particulas nutritivas ſuſtentat; econtra omnibus mineralibus extrinſeca tantum appoſitione & augmentatione ſuccurrit. Ad corpus vero noſtrum pervenit vel per potum vel etiam per cibum liquidum & humidum, hinc omnis ſubſtantia liquida & humida ad ſitim ſedandam, cibum deferendum & diluendum, & ad reſtaurandam humiditatem, quæ a calore noſtro nativo indeſinenter abſumitur atque diſſipatur, neceſſaria & conveniens illa ſola eſt.

281 Potus itaque in hunc finem inſtitutus, optimus ille & ſaniſſimus eligendus eſt, qui bonas & utiles conditiones habet, non ſit glaciatus vel per ſe valde

frigidus, non ſalſus, amarus, pinguis aut fœtidus, non turbidus, fœculentus, craſſus, ventrem inflans, atque chylificationem turbans, non acidus, auſterus, aut non probe fermentatus vel defæcatus, in moderata tandem etiam quantitate aſſumptus ſit. &c.

282 Quæritur jam an potus vel cibi exceſſus magis noceat? dico uterque ſi in quantitate excedat. Ambo morbum inferre poſſunt, quantitas etiam ſola qualitatem vitioſam infert. Fertur quidem diutius bibones, quam comedones vivere, attamen prout ſubjecta capacia id tentant. Sic videmus fratres in unum apud potum præſertim generoſum citius unum præ reliquis ſuam naturam deſtruere &
283 ad interitum diſponere. Qui itaque multum potant, haud famelici eſſe poſſunt, quia eorum fermentum ſtomachicum nimium diluitur, fibræ relaxantur, & flacceſcunt, per quod difficulter priſtinum tonum ſeu elaterem acquirunt. Unde ventriculus & digeſtionum ſtatus & natura per nimium diluentia & ingurgitantia fluidorum liquidorum debilitatur & proſtruitur

itur, hoc autem præcipue in commeſſationibus ſeu tractamentis ſplendidis contingit; vel etiam dum corpus nimium calefactum a quacunque cauſa, tunc ſubito & nimium potu reſarcire volumus liquidum. Ex qua cauſa fluidorum curſus in nobis tardus redditur, hinc ſæpiſſime apoplexiæ aliæque concretiones lethales, coagulationeſque liquidorum & plane obitus repentini aboriuntur. Et ſi hæc quandoque ſubito non contingant, ſufficit, ſi ſtomachus nimium relaxatus a potu a cibis ſolidis ſtatim dolorem, aut plane averſionem eorum ſentiat, et præter potum vix ferculum unum amplius aſſumere poſſunt, ut ipſe tales patientes novi ante hoc potui ita deditos, qui præter potum nil niſi parum de pane ſumpſerunt, tandem quidam hydropici, quidam phtyſici, quidam apoplexia tacti obierunt. Natura ſemel huic malo aſſveſacta, nullo modo aut difficillime amplius in meliorem flecti ſe ſinit. Verum eſſe quidem, potum citius ſuas vias quamvis longinquiores percurrere & exonerari quam cibum: nihilominus nimius

potus ſua relinquit damna. Optimus adeoque & ſaniſſimus potus, ſi ſolummodo tantum de eo hauritur, quantum ad cibos comeſtos diluendos, reſolven-
284 dos & naturam humectandam ſufficit. Præſtat quoque potius ſæpius & parum bibere, quam uno aut duobus hauſtibus potu ſuperfluo ſe ingurgitare. Eatenus potus ſæpius ſumptus & modicus alimentis rite commiſcetur & digeſtionem magis promovet. Nec etiam perparcus potus ſit, uti namque in præparatione emulſionis, ſi non ſufficiens liquor additur, emulſio confici nequit: ita etiam cibi defectu liquoris ſufficientis non bene reſolvi & ad ſanguinem vehi queunt.

285 Cum itaque ſæpius & parum bibendum ſit. Quæritur jam an potatio poſt prandium, (intelligo) peracta circiter ſemi digeſtione ciborum, conveniat? cum potus aliunde citius ſuas percurrat vias, conſequenter citius e ventriculo propellatur, antequam tota digeſtio ciborum peracta ſit, conſequenter etiam novo & diluente vehiculo indigeat. Reſp.

ſi len-

ſi lente & in juſta quantitate potus ingeſtus ſit, eatenus non ſtatim ſolus e ventriculo exit, ſed una cum cibis mixtus exitum quærit, vias percurrendo & humectando partes: ſed ſi cibi in prandio non ſat liquidi facti ſint per potum ſufficientem, ut dum plures ſolidi & ſicci vel plus juſto ſaliti cibi aſſumpti fuerint, tunc licet & neceſſarius eſt etiam potus poſt prandium una alterave hora ſumptus, quo fermentatio & diſſolutio ciborum non impeditur, ſed plus promovetur, imo ſine ſufficiente liquido ad perfectam diſſolutionem & diſtributionem devenire nequit, humoresque ſpiſſi redduntur, alias potio pomeridiana, quatenus liquidum ſuperfluum ingeritur, & fermentatio rita impeditur, qua deficiente, cruditates & flatus oriuntur, majus damnum parit.

Qualis autem potus ſanitati optime conducat, dico ex omni potus genere, a-
286 quæ potus ſaniſſimus cenſetur de quo plura in ſequenti §. quia omnia potulentorum genera, quæ quocunque modo in ventriculum ingeruntur, facile aceſcunt, quæ ſuo acido tum occulto tum mani-

manifeſto noxam inferunt. Inter ſingula autem minime & rariſſime aceſcit aqua, quæ ſe ſola aut immixta vino multum proficit noſtro corpori, præcipue qui ea conſveſcunt. De hac in ſpecie ſit ſequens

§. I.

De potu aquæ & ejus qualitate.

287 Inter generales potus aqua primum ſibi vendicat locum, nam cæteri potus mediante aqua & ex poſt exorti ſunt, quod vero prior tempore etiam aqua fuerit, probat Geneſ. cap. 1. v. 2. 6 & 7. *terra autem erat inanis & vacua & tenebræ erant ſuper eam: & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat* &c. an vero ſanitati optime conducat ut ſupra dictum, & quoad qualitatem unicuique naturæ conveniat. Dico quod ſic & merito: niſi extra conſvetudinem venerit, cæteroquin omnibus naturis eſt conveniens, & vix non ubivis reperitur. Potus quoque aquæ multo tempore poſt creationem mundi ſolummodo in uſu erat, quapropter ſi adhuc juvenes a teneris in potu aquæ perſeverarent ſaltem ad virilita-

litatis usque ſtatum n. 132 & 133. tunc multo ſaniores & diutius viverent, eorum enim conſtitutio tam mollis eſt, ut facile a vino lædatur, hinc præmaturi etiam varii eorum morbi. Reliqui potus, qui etiam deinde primo exorti & introducti ſunt ut cereviſiæ, mulſæ, ſydræ &c. & in quibuſdam tandum regionibus uſuales ſunt, per ſequentes §§. dilucidabuntur. Quæritur adhuc prius quid ſit aqua?

288 Aqua eſt elementum humidum, fluidum, conſtans particulis oblongis, fluidis, flexibilibus, laxo nexu invicem unitis, jugiter inter ſe agitatis, glabris, teretibus, & anguillarum inſtar lubrice volubilibus, cum terra unum globum conſtituens, quæ dum organo tactus immediate applicatur, ſenſationem humiditatis efficit.

Quod ſint oblongæ, fluidæ, teretes, tenues, leves, flexiles, lubricæ, ſic enim facile fluunt, & a ſubtili aere & æthere continenter agitantur, idque eo facilius, quo ſunt tenuiores. Ideo aqua fontana pura non tam facile in glaciem concreſcit, quia ejus particulæ tenuiores ſunt, quam

aquæ ſtagnantis, quæ citius a globulis æthereis premuntur.

289 Quæritur, ſi aqua ſtagnans, quatenus propenſior ad condenſationem & coagulationem, frigidior eſſet, cur ergo æſtatis tempore aqua fontana & fluida frigidior deprehenditur, cum quo major motus, major calor exoriatur? Reſp. dando diſparitatem, quia aquæ ſtagnantis particulæ ut craſſiores fluentibus a rectilinio motu ſolis vehementius & ſenſibilius in æſtate invicem agitantur, quam in hyeme, idcirco citius in hyeme a globulis æthereis comprimuntur & coagulantur, quam fontanæ. Ratio eſt, quod aquæ fontanæ particulæ per motum regularem ſolis ad motum citaturæ a motu progreſſivo ſeu fluente ſuo impediantur & refragentur. Alioquin motus ſolaris motum inteſtinum adauget, & calorem ſenſibiliorem efficit: econtra in hyeme, ut ſubtiliores particulæ & progredientes aut fluentes motum diutius ſervant, ne coagulentur quam ſtagnantes aquæ particulæ, quæ craſſiores & ad quietem potius inclinant. Quo enim ab æthere ſubtili

magis

magis vel minus inteſtine moventur, eo etiam ſunt calidiores, & quo recentius & fortius fluit aqua, eo etiam frigidior, quia motus inteſtinus reſtringitur. Invenitur etiam quidem aqua fontana una frigidior altera, quo enim affluxum impetuoſiorem habet per poros & meatus majores vel minores terræ, tanto erit calidor vel frigidior, unde plerumque ex majoribus & altioribus montibus aquæ proſilientes frigidiores & tenuiores levioresque prorumpunt, quam ex plana & declivi terra.

290 Præcipua fluiditatis cauſa tam aquæ quam aliorum liquorum eſt partium exiguitas, figura, textura, & motus ipſe ab æthere vel mediante aere vel humore intercurrente profectus. Sic ipſa metallorum fuſio nil aliud eſſe videtur, quam partium commixtio, reſolutio & commotio, quæ igne reſolvuntur & liqueſcunt vel in aquis ſtygiis diſſolvuntur v. g. aurum in aqua regia vel mercurio, argentum in aqua forti, ita quidem, ut penitus evaneſcere videantur. Eorum enim partes in exiguos atomos aut particulas pene com-

minu-

minuta in fluorem rediguntur: ita etiam ſal, ſaccharum in aqua aut aere humido reſolvuntur & liqueſcunt, quaſi evolare videantur, hoc autem fit, dum aquæ particulæ tenuiores in poros ſalis aut ſacchari ingreſſæ ipſius particulas ſeparant & diſpergunt, unde aqua ſalſa aut dulcis fit, ſingula vero iſta citra motum fieri nequeunt. Clariſſimus Doctor Boyle in ſuis tentaminibus fluida a duris corporibus diſcernit, quod eorum partes duræ omnino quieſcant & ſe ipſas immediate tangant, nec ulla intercurrente materia dirimantur: unde corpora ſuis contenta terminis non effluunt, cumque una pars pellatur, reliquæ omnes huic motui reſiſtunt. Econtra in fluidis partes tenui ſubſtantia dirimuntur, nec forſitan ſe ipſas immediate tangunt, ſed in continuo motu verſantur. Hinc corpus fluidum magna facilitate dividitur, partes etenim vario & indeterminato motu diviſioni non obſtant, & loco facile cedunt. Aqua liquida proprie dicitur ex eo, quod in plano, & declivi fluat, unde medium nacta inter ea, quæ dura dicuntur, & inter ſpirabilia.

Aqua

291 Aqua facile aliis corporibus adhæret, minus tamen politis, ratio eſt, quo enim corporis ſuperficies ſcabrior & aſperior eſt, quas præcavitates facile humor ſubit, tanto plus adhæret, quo vero levior ſuperficies cujusdam corporis eſt v. g. vitri, metalli politi, minus adhæret, non enim tam apte & proportionate vitri poros aqua ſubire poteſt, & ſic aer ſe inſinuat inter vitrum & aquam, quam deprimit. Ita etiam pennis multarum avium, ut anatis, anſeris &c. immediate adhærere nequit. Cur vero non adeo pertinaciter adhæreat aqua panno aut aliis corporibus, ut pennis & vitris, lapidibuſve politis, ſicut oleoſi & pingues liquores, cum oleoſæ & pingues particulæ ramorum inſtar arboris, quæ tenaciores ſunt; ideo oleoſæ & pingues partes ſuis ramulis tam firmiter, minimis etiam poris & cavernulis corporum adhærent, ut vix avelli queant: ubi econtra aquæ particulæ ſimpliciores & tenuiores, flexiles, oblongæ ac læves ſunt ramisve carentes, facilius extricantes ac ab aere deprimentes, quam ramoſæ oleoſæ, quæ aquoſæ citius

etiam dividi & decidere poſſunt.

292 Cum oleo aqua difficulter aut vix miſceri ſe permittit, & hoc propter lævorem ſuperficiei, niſi alicui ſali immixta ſint, ut in ſapone liquet, qui ex ſale fixo & oleo ſeu pingui materia nempe ſevo conſtat: ſic etiam quando cardiaca a medicis præſcribuntur, quibus oleum aliquod v. g. cinamomi, chariophylorum &c. nonnunquam ingreditur, tunc oleo tantillum ſacchari addunt, & ambo in mortario uniunt, deinde ſenſim aquam admiſcent, & ſic diſſolvitur oleum per ſal acidum ſaccharo inditum, & cum aqua mixtionem init.

293 Aquæ merito qualitas frigida & humida attribuitur, quamvis indifferens ſit ad ſuſcipiendam utramque qualitatem tam calidam quam frigidam, potius tamen ad frigus ſeu ad quietem natura ſua inclinat, quam ad proprium motum: ab experientia etiam habemus, calorem diminui ab aqua (ut ſupra Tract. 2. cap. 1. §. 2. dictum fuit) qualiter motus augeri & diminui poſſit, ex quo calor refrænatur. Quatenus particulæ aquæ ingreſſæ cor-

corporis calidi poros motum materiæ ſubtilis, aut etiam aliis partibus ſubtilioribus in corpore diſſolutionem & avolitionem ulteriorem & motum validum inhibent. Aqua eſt enim, quæ omnibus mundi corporibus juncta, veluti mundi quædam gluten & vinculum indiſſolubile omnia nectit, ſine qua omnia in pulverem converterentur: non tamen frigida aqua in ſummo eſt, alias foret omnis caloris expers, conſequenter ſine motu, unde neceſſario congelaſceret: notum eſt, frigus aquæ intendi, dum con-
294 creſcit in glaciem. Emolliendi vero vim habet, quatenus poris ſe miſcet, & ſua figura flexibilitatem infert.

295 Quæritur, utrum ſolum aquæ proprie humiditas conveniat? cum ob definitionem Ariſtotelis non eſſet humida, quia tenuis eſt, juxta quod ignis foret humidiſſimus, quia tenuior aqua; multo minus, quod ſit qualitas tactilis facile terminis alienis, difficile ſuis terminetur & adhæreat: quod ſi ita; tum omne fluidum, ut aer, ignis, metallum fuſum ſeu liquefactum, etiam argentum vi-

vum cum auro & argento, plumbo & ſtanno comparatum, humidum dici deberet, cum eorum meatus ſubeat, aqua vero ſi cum foliis braſſicæ aut corpore polito, ut vitro & anato, plumis conferatur, ut ſupra n. 291. Cum eas non madefaciat, humida non eſſet.

296 Reſp. ſolummodo aquæ proprie qualitas humida convenit, & omnia, quæ ejus immixtionem patiuntur; ſcimus qualitates organo tactus agnoſci, tandem ubi corpora dura aut mollia, ſolida aut fluida, humida vel ſicca, aſpera ac lævia, calida vel frigida, papillulis pyramidalibus nerveis, undique in cute copioſiſſime emergentibus applicantur, pro varia eorum figura & motu ſenſum imprimunt, intus hærentibus ſpiritibus, qui tactus uno verbo dicitur. Quæ afficiunt vero has eminentias objecta, non uno ſub nomine, ut in reliquis ſenſibus exprimuntur, potius cum ab illarum diſcrepante vel figura vel motu, alia aliave agitatio ſemper imprimatur noſtris organis. Quando enim corpus partibus firmiter ſibi compactis immobilibus & ad conta-

ctum renitentibus conſtat, dicitur durum; ſicut, quæ laxius adhærent, mobiliores & mollia ſunt. Solida denique dicuntur, quæ facile dividi nequeunt a tactus organo, uti fluida, quæ textura illorum ita ſibi connectitur, ut vel ſponte concidat, aut contactui non reſiſtat. Humidum vero vocatur, ſi cedat non ſolum tangibile; verum etiam tactus organo exiguis ſuis particulis adhæreat, ipſumque madidum reddat. Siccum, quod ſaltim nonnihil humiditatis in tactus organo relinquit, verum quandoque præſentem removet ac detergit.

Ad ſuperiorem illatam difficultatem dilucidandam, etſi aqua non adhæreat foliis braſſicæ, plumis, aut reſinis vel vitro, nec madefaciat. Mercurius vero adhæreat auro, ſtanno vel plumbo, nunquam vero madefaciat manus, ſatis eſt, ſi manibus, aliisque corporis partibus adhæreat aqua aut ejus humiditas ad pronunciandam & determinandam humiditatem. Spiritus & oleoſi liquores alcaliſati ſeu omni phlegmate privati, dum tactui accedunt non madefaciunt, ſed ſe ſtatim cum

particulis humidis in poris hærentibus jungunt, & quaſi madefacere videntur. Jam ulterius de aqua.

297 Multivariæ vero reperiuntur aquæ, ſpecie & bonitate differentes, quædam enim ſunt ſalinæ, ut marinæ, quædam dulces, ut fontanæ, quædam etiam ſupercœleſtes, de quibus mentio fit Geneſ. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Item Pſ. 148. *Aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini.*

298 Quæritur jam unde mare ſalſum, & quidam fontes quoque ſalſi deprehendantur. Reſp. ad primum, cum ſol & luna continuis influxibus per ventorum vaporumque copiam mare indeſinenter agitent, & quia fundus maris innumeris meatibus & voraginibus cribratus naſcitur: hinc fit, ut ignis ſubterraneus ſalſuginoſæ terræ ſpiritus calore excitatos, oceano omnibus in locis paſſim communicet & ſalſedine imbuat. Ad ſecundum, dum fontes per terræ cavernas ſat latas ſalſedinem marinam non deponunt, vel etſi per anguſtiores depoſuerint,per tranſitum

ſitum iterato lacum ſalinum ſecum arripiunt particulas ſalinas, ex quibus magis vel minus ſalſa fit aqua. Econtra dum in terræ cavernis ſubterraneis ignibus refertis aqua marina in vapores depoſita ex majori parte materia ſalina veluti in laboratorio chymico ſublimatur, qui dein a minori motu accedentibus pluribus globulis æthereis ad condenſationem rurſus preſſi in unum locum collecti, fontes generantur dulces. Inde ergo colligendum, fontes ac fluvios, undecunque veniant, originem ſuam ducere a mari per terræ meatus. Hoc comprobat S. Scriptura Eccleſ. cap. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat ad locum ſuum revertuntur, ut iterum fluant.* Videmus etiam a tot fluminum lapſu continuo oceanum non redundare, niſi ſupponatur, per venas ſubterraneas aquam fluviorum ſcaturiginibus reddere. Confirmatur etiam, dum æſtatis tempore, quandoque etiam ſicciſſimo nulla cadente pluvia quoſdam fontes nullatenus exſiccari: fit tamen etiam ut ab imbribus & fluviis fontes exoriantur & augeantur. Sicut

autem quidam fontes ſalini fiunt: ita etiam, ſi aqua per ſulphuris, vitrioli, cupri, ferri, nitri, aut aluminis venas tranſit, eorum particulas ſecum aufert & induit, hinc acidulas aut thermas conſtituit. Quorum mineralium ope, prout contraria magis conveniunt, effervefcendo quoſdam fontes calidos efficiunt.

299 Quomodo vero mixturæ aquarum cognoſci poſſint, qualia ſecum advehant mineralia, hæc per deſtillationem ignis tortura manifestantur, quoniam in his reperitur terra fatua, vitriolum martis, nitrum & alumen, ſulphur cum ſale aereo avolare videtur, ſin præcipitando analyſis inſtituatur, ſalia ſub eodem ſchematiſmo apparebunt.

300 Quæritur tandem, quænam aquæ tam pro potu quam coquendis cibis ſalubres, quænam inſalubres ſint? Dico, fontanas, fluviatiles puras ac pluviales præ marinis aut ſubſalſis præferendas eſſe, & quæ ſenſibili odore ac ſapore carent, calorisq; clari ac limpidi inſtar chryſtallini pellucidæ ac etiam leviores cæteris ſunt, citiusq; ebulliunt ac frigeſcunt, quæ demum frigi-

dio-

diores æſtatis quam hyemis tempore fiunt, hæ multo meliores quam ſi adhuc lutoſæ vel argilloſæ exiſtant. Dein quæ ad ſeptentrionem aut occidentem oriuntur, & ſolem averſum habent, utpote crudæ, graves, & tarde permeantes deteriores eſſe experiuntur.

301 Quæritur adhuc, quæ aqua ſalubrior fontana continuo defluens, aut ſtagnans ſeu cumulata, & putealis ex imbribus & nive collecta ut in cyſternis, vel
quæ varios vapores & exhalationes
302 terreſtres permixtas habet. Ut aqua
mineralis ſeu acidulæ, quæ per ſe vel cum vino mixtæ in prandio aut cœna non bibendæ ſunt, quia chylificationem turbant, & nutritionem ſufflaminant, & perſæpe morbis anſam dant. Nec pro medicina multum valent mane potæ, quas vituperat D. D. Dolæus in ſua Epiſtola ad Clar. D. Waldſchmid. datam, ita ajens: Miſturam acidularum ita in venis temperari non poſſe, ut ſingulis reſpondeat corporibus, & quam ſæpe mixtæ ex inconvenienti miſtura, reſolutione ſublimatione aut præcipitatione venenoſum quid indue-

 re

re valeant, quod quavis forte hora poſſibile non ſemper a medico, ſatis alias ſollicito & prudente, debite examinari & cognoſci poteſt. Nam quot homines experiuntur, quantum viſcera eorum (qui ex præpoſtera præſcriptione medici ad menſuras etiam acidulas potandas ſvadent) debilitentur, adeo, ut fibræ eorum nullis poſtmodum remediis ad priſtinum & meliorem ſtatum reduci posſint, & quod maximum damnum inferunt, acidulæ ſæpius potatæ & vix non quovis anno, pectori & pulmonibus experientia lethalis teſtis eſt, alias etiam raro pro vera cauſa morbi præſcribi poſſunt, & ut plurimum acidulæ merum vix non medicamentum empyricum ſunt, ex quibus vere accidentalis fortunate contingens effectus ſperandus eſt. Ad hoc, ut quæſtioni ſatisfaciam, dico, quod ſi aqua ſuperioribus conditionibus n. 300. dotata ſit, tunc illa optima fontana cenſetur, quæ continuo defluit, & ex montibus puris profluit, quæ multo ſanior & levior, quam illa ex fontibus in planitie aſſurgens, quæ plerumque ex vicinis flu-

viis

viis tranſportatur, et non tam longinquos ductus habet,ut in montibus,per quos ita tranſcribrari poſſit. In planitie etiam impuritates magis congregantur & per terræ poros imbibuntur, & aquæ immiſcentur. Ideo aqua ſtagnans & putealis raro exhauſta non ita ſalubris eſt. Quam ſi continuo fluat.

303 Omnis tandem aqua ſanitati offenſa eſt, quæ ex pravis & ſtagnantibus facile putredinem contrahens, ſecundum vetus proverbium:putreſcunt ni moveantur aquæ, aut quæ ex cænoſis aut turbidis locis, omniumque ſordes recipiens, & quamvis tranſtillans. Dein fluvii aqua raro pura reperitur,cum omnis generis ſpurcitiæ vel in eam injicientur vel ſecum deferat &rapiat,piſcium etiam ſapor,ubi multi dantur, in aqua ſanitati officioſus eſt.

304 Omnium autem peſſime notæ eſt aqua glacialis,&omnis potus in glacie valde refrigeratus, quia aqua glacialis valde cauſticas particulas in ſe habet. D.Stifferus ſufficienter probavit,quod nimirum aqua hæc glacialis vel nivalis in ædificiorum cæmento potentius reliquis pluvioſis a-

gat,

gat, nec non corium quamvis pinguedine munitum, a ſalium corroſivorum plurimorum iniuria alias liberum, in calceamentis nihilominus ambulantium adeo fortiter arrodat brevique dilaceret. Tandem etiam loco menſtrui cauſtici in diverſorum concretorum reſolutionibus eadem aqua ipſe author uſus fuerit. Borrichius Herm. Ægypt. & Chym. cap. 7. in aqua nivali & pluviali frigida ſalem pungentem cum ſulphure flammante & mercurio fumante invenit. Pluvialem tamen refert mitiorem nivali, roralem vero adhuc mitiorem & debiliorem ſuo ſale fuiſſe.

305 Verum enim vero quantum acida & frigida vitæ noſtræ nuſquam non offenſa ſint, experientia quotidiana lucet. Cujus periculi effectus plurimis etiam exemplis confirmari poteſt; quanta mala ex potu gelido oriantur. Ita erat vir præclare conditionis, qui pro temperando calore æſtivo potum valde frigidum cereviſiæ affatim hauſerat, dein dolore colico cum cardialgia dolorifica corripiebatur, quam febris ſtatim concitabatur, a qua non niſi longo poſt tempore convaluit. Ita

quæ-

quædam uxor laboribus domeſticis incaleſcens aquam copioſe frigidam hauriens, in atrociſſimos uteri dolores incidit. Alii duo in conviviis laute viventes & vino gelido utentes, dyſenteria funeſta affecti fuerunt & alii plurimi. Quamvis quidam homines conſvetudinem & naturam robuſtam habeant, ut frigidiſſimum potum tam æſtatis quam hyemis tempore continuo uſurpent, & ſe a plurimis morbis & incommodis præſervatos liberatosque glorientur. Nihilominus cum Job dicat cap. 14. v. 2. *Homo nunquam in eodem ſtatu permanet*, & natura mutetur, ac a ſuo robore deflectat, ſatius eſt his extremis non aſſveſcere, quæ nobis morbos lethales aut ipſam mortem accelerare queunt. Medio tutisſime itur. Reſtant adhuc quædam de aquæ utilitate proferri.

306. Aquæ utilitas non tantum deprædicatur, ut partes nutritivas advehat, & in corpore diſtribuat; ſed etiam ut a corpore noſtro tam ſordes abluat & lavet, quam per vias urinarias & ipſum ſudorem particulas acidas & ſalſas abunde exſiſtentes eliminet, quamvis proprie non de-

deſtruat, aut eas totaliter invertat, ſufficit, ſi reſolvat & comminuat ſalia quævis in minores particulas facilius ex corpore eliminandas, pituitam quoque fluidiorem reddat, bilem temperet, & quod maximum eſt, potus aquæ nunquam aceſcit, & omnibus ægrotantibus, modo frigus ejus non obſit n. 304. & 305 tuto porrigitur: ubi econtra alii potus magis incraſſant & humores vitiant tam vinoſi quam cereviſiarii. Notatur ex praxi per decocta ſeu potiones aqueas tamquam diluentia maſſam ſanguineam & in eo latitantia ſalia hoſtilia e corpore noſtro educi, & optimum effectum præſtare.

307 Cur autem multi a potu aquæ de ſtomachi & inteſtinorum dolore & inflatione conquerantur. Id experiuntur, qui a potu aquæ deſveverunt, & alios potus, ut vinum, cereviſiam &c. pro conſveto potu aſſumunt. Conſveta enim quamvis deteriora minus aſſvetis non ita nocent. De aſſvetis non fit paſſio; inaſſveta autem, quamvis ſalubriora, attamen ſtomachum mox alterant, præſertim etiam dum ventriculi adſit vitioſa diipoſitio,

tio, vel dum cruditatibus, vel cibis plus impletus ſit quam digerere poſſit. Tunc obſtructiones exinde ortas nec aqua, nec alius potus tam facile tollet & levitatem adferet. Unde vix non omnis potus, præcipue abundantior fluctuabit, diſtenſiones tam ventriculi quam inteſtinorum creabit; quod ſi enim pari obſtructi ſunt, liquores potulenti & juſculacei a contento aere illos tranſire cum impetu tendant, qui impediti, refluctuant & varios generant dolores; donec tandem materia cruda ſucceſſive reſolvatur, & per poros tranſcoletur n. 104.

308 Nullus dubitet, quin etiam potus aquæ ad digeſtionem ciborum quam optime conducat. Videmus nimirum homines ſolo potu aquæ fontanæ utentes, optimo appetitu vigere & digerere ad unguem, diutius quoque vivere, quam qui aliis potibus præcipue ſolis fortioribus fruuntur v. g. vino, cereviſia, mulſa, &c. quod ſi vero ab aqua ſola, quatenus ea non aſſveti ſunt, ſtomachi læſionem vel languorem experiantur, non incongrui erunt loco hujus alii potus ſpirituoſiores, ut vi-

vinum mediocre, bona cereviſia, vel aqua cocta cum quibusdam corticibus vel radicibus v. g. n. 310. ita tamen debent hi potus ſumi, ut aqua in omni potu prævaleat, tunc enim multo facilius plurimi homines in morbis ſanantur, quibus tempore morbi ſola aqua conceditur, & reliqui potus, ut noxii interdicuntur.

309 Quantum autem nimia potus quantitas officioſa ſit, experiuntur viſcera eorum, qui ſtomachum nimio potu implent, a quo adeo gravantur & debilitantur, ut dein fibræ eorum nullis remediis ad priſtinum vel meliorem ſtatum reduci poſſint. Et tanto magis, ſi potus multis particulis craſſis, tartareis, acidis, ſalibus acribus imprægnatus vel nimium gelidus ſit n. 304. qui magnopere maſſam noſtram ſanguineam alterare poteſt. Adhuc unum exemplum mihi incidit, ut addam de potu gelido, quamvis conſveto, quem quidam conſul Baſilienſis ditiſſimus hauſerat, quo quidem per plures annos n. 305. tam æſtivo quam hyemis tempore pro potu ordinario utebatur, nihilominus ab eo repente incidit in maximam

mam degluriendi difficultatem. Omnes
tales potus, ut & palluſtres & turbidi, vel
aceſcentes & ſumme auſteri variis mor-
bis facile anſam dant, ut febribus, phtyſi,
aſtmati, anginæ, colicæ, diarrhœæ, dy-
ſenteriæ, tabi, hydropi, gangrenæ, &c. de
his Hippocrat. ipſe lib.5.ſect.17. refert, fri-
gidum hæc adferre incommada: convul-
ſiones, tetanos, livores quaſique partium
denigrationes, & rigores febriles. Item
ſect. 18. Idem frigidum bellum indixit
oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, dor-
ſali medullæ: calidum vero his præſtat
adiumentum. Et ſect. 24. frigida, cujuſ-
modi ſunt nix & glacies, pectori ſunt
inimica, tuſſes movent, ſanguinis pro-
fluvia cient, catarrhos excitant.

Ad hoc itaque tam quantitas quam qua-
litas potus bene perpendenda eſt, quia etſi
conſvetudo in potu teneatur, nihilomi-
nus ſi in quanto vel quali excedatur, no-
cuum eſt: quatenus in quantitate & qua-
litate mediocri conſvetudo facilius, dum
tempus urget n. 308. variari poteſt, quam
ſi nimio aſſveti ſimus. Qui dein ven-
310 triculo debili pollent, & aquam re-

centem fontanam haurire non audent, hujus loco ſubſtitui poteſt aqua cocta ex paſſulis min. & crem. tartari vel ex liquiritia, avena & hordeo cum ſem. aniſi & fœniculi, vel ex cinamomo, vel galanga, vel caſſia lignea, &c. per quas coctiones aqua corrigitur, & gratior atque utilior ventriculo fit quam cruda fontana, præcipue ubi bonæ non extant aquæ fontanæ.

311 Quæritur, an aqua nutriat? Reſp. affirmative, ſed tenuiſſimam ſuppeditat portionem, a qua non diu vitam noſtram protraheremus, hoc etiam experimur in brutis ut & in piſcibus lagenis incluſis, inibi marceſcere, & tandem plane emori.

§. II.

De Lacte.

Non immerito lac inter potus genera refero, inevitabilis namque potus lactis eſt tenero in cunis ſine voce puero ab univerſali fonte pectoris fœminino ſcaturiens: imo in utero incluſo fœtui jam per ſanguinem ei advehitur & communicatur, illumque augmentare incipit.

Iſte

312 Iſte ergo ſpecioſus fons noſtræ fluentis vitæ, qui ſolus & unicus omnia animantia ſuſtentare & alere poteſt: non tantum in primordio vitæ; verum etiam dum adulti & decrepiti facti, multoties per longum temporis ſpatium nos conſervat. De quo multæ teſtantur hiſtoriæ ut ex ethnicis habemus, quamdam filiam matri ſuæ fame perituræ in gemebundo carcere ſe in nutricem ſubſtituiſſe; alia etiam filia patrem ſuum neci jam proximum in carceribus ob parſimoniam denegati alimenti ſuis uberibus nectareis illum lactaſſe ejusq; vitam prolongaſſe. Plutarchus revellat de Sallilſtrato, nullo alio cibo vel potu quam lacte vitæ curriculum abſolviſſe. Galenus de ſene quodam, qui centum annis ruri egit agricolam, illius plurimum nutrimentum lac fuiſſe. Quæro, quale etiam modernis temporibus aliud & melius ac frequentius condimentum & alimen-
313 tum plebeis ſit quam lac? Quid dicam de morboſis, qui per diuturnum uſum lactis non ſolum aluntur, verum etiam noviter ferme generantur & ſanantur. Salubris itaque ex uberibus proma-

nat fons omnia viventia potans.) Singulariter vero recens exhauſtus tam primogenitis quam valetudinariis ac aliis, &, quatenus lac butyroſa, ſeroſa & caſeoſa conſtat ſubſtantia, in potum & cibum ſimul ſe nobis offert, nec multa digeſtione & mutatione opus habet, quia lac recens non coctura in ventriculo opus habet, ſed levi ſeparatione & negotio vias chyliferas percurrit & in ſanguinem advehitur & vertitur, nutritionemque quam optimam largitur. Hinc hecticis & maraſmo affectis, podagricis & diarrhoſis, dyſentericis ſuo modo applicatum unicum ſolatium multoties deprehenſum fuit.

314 Antequam autem lac in uſum veniat inculpatum eſſe oportet, quia facile a pravo cibo & potu quoque depravatur & vitiatur: ita etiam ab iracundia, laſcivia, a forti corporis exercitatione vel labore, balneatione, frigore &c. optimum eſt, ſi noviter exmulctum & calidum propinetur, qualecumque illud ſit, ſi diutius aeri aut igni exponitur, aceſcit, dein citius in ventriculo in grumos abit. Oportet etiam ventriculum vacuum &

præ-

præternaturali aciditate liberum ingredi, alias profecto ab acido ventriculari in partes diſcedit craſſas & coagulatur, vel a cæteris cibis ſibi contrariis, v. g. dum acida vel ſalſa cum lacte aſſumere nobis placet, facile corrumpitur. Neceſſario itaque noſtri ſucci ventriculares contrarii prius præparandi ſunt, alias corpora impura, quo plus nutries, plus lædes, referente Hippoc. lib. 2. Aph. 9. & alibi lib. 5. Aph. 64. Lac cephalicis & febricitantibus exhibere malum: & quibus bilioſa ſecedunt cum febre aucta, &c. adeoque ſi lac ventriculo impuro ingeratur, a præternaturali acido ventriculari corrumpitur & aceſcit, ac dein frequentes excitat vomitus, ſingultus, tormina, vermes, febres, diarrhœas, epilepſias, quandoque convulſiones, multaſque necis inopinas occaſiones. Hinc etiam multoties infantulis ſunt hæc incommoda inevitabilia, dum miſelli lac vitiatum vel vitiaturum pro earum ſuſtentanda vita ejulatu mendicant, lactis peccata materialia, quæ infantuli a primo nativitatis die piare incipiunt, denique cum lacte morbos,

bos, morborumque occaſiones conſequuntur. Non denique omne fluidum, quod ex ſcatebris uberum propullulat, indifferenter ad alendos infantulos & ſanandos ægrotos aptum natum eſt: ſed bene examinandum, quale propinandum ſit, ne cum illis miſelli homunciones per id plus deſtruantur & torqueantur, vel plane ut ſæpiſſime contingit, occidantur.

315 Quoad humanum lac, oportet illud debita conſiſtentia eſſe imbutum & naturali colore, ſapore & odore conſtitutum, quod nec in quantitate exigua nec nimia excedit. Conſiſtentia ejus tunc laudabilis eſt, quando plus de ſero quam caſeo conſtat. n. 133. Ut autem lac bonum & ſanum tenello infantulo ſit, nutrix eligenda, quæ non diu pro priori lactaverit, quia ſemper craſſius & caſeoſum magis lac acquirit, quam in initio habuerit n. 133. Dein ſi nutrix eupepta larga manu ingerat, potum quoque & liquida parce ſumat, ex quo lac craſſius generatur: quam ſi potu debito & ſufficiente liquido partes gelatinoſas & butyroſas diluat, ex hoc lac tenue & fluidum facit.

Potiſ-

316 Potiſſimum color lactis albus eſſe debet, modicum tamen ad luteum & cæſium colorem inclinans, econtra ſi flaveſcat aut nigreſcat, vel virideſcat, aut rubrum vel ſaphirinum colorem oſtendat, tale ex corruptis humoribus exortum eſt, illudque contemnendum &
317 rejiciendum. Sapor lactis gratus eſſe debet, non ſalſus, nec notabiliter acido ſalſus, alias ſcorbuti geneſis, nec auſterum vel amaricantem, aut quemcunq; alium ſimplicem vel mixtum in lingua relinquat ſaporem. Salia enim talia aut acidum occultum latitans in lacte tenellulis facile aphtas, tormina ventris, epilepſiam, convulſionem, alvi fluxus, intertriginem, cruſtam lacteam, mictum accerrimum partes proximas excoriantia, alioſque infantibus morbos pro-
318 ducunt. Odor lactis nullus adverti nec eſſe debet, imo rejiciendus odor acidus ſeu putridus v. g. cujuſdam phtyſicæ. Per diætam erratam & ſumptus quoſdam cibos lac quoque depravatur, & odore quodam advertibili afficitur. Quod

etiam prius examinandum eſt, antequam ſugatur.

319 Non minus ab aliis diverſis animalibus lac ſugitur & etiam emulgetur, ut ab aſina, vacca, camela, equa, capra, ove &c. inter hæc uſitatius lac vaccinum, caprillum & ovillum eſt, reliquorum non ita ſeu potius in medicamentum quam in alimentum ordinarium aſſumitur. Ex horum animalium craſſiſſimum & pinguiſſimum lac vaccinum eſt, plurimum enim caſeoſæ ſubſtantiæ particeps eſt. Aſininum omnium tenuiſſimum & maxime ſeroſum eſt, ad refrigerandum, diluendum & detergendum aptiſſimum. Caprillo vero utendum, ubi potius ad nutriendum & reficiendum corpus opus eſt. Ovillum caprillo modicum craſſius eſt, quod etiam magis nutrit, de quibus, ſi plura ad curam placuerint, ad therapevticen transmitto.

320 Eſt denique lac in genere humor candidus & dulcis, conſtans partibus ſeroſa & alimentari ſecretis, & quantumvis lac dulci & grato ſapore conſtat: nihilominus, dum extra corpus uberinum

num ſervatur in loco quodam calido, facile aceſcit & præcipitatur. Quod præcipitatum in ſuperficie florem ſeu cremorem lactis ſeparat, cujus portio maxime ſulphurea ſeu oleoſa per artificialem quaſſationem ab aliis partibus ſeparata, tandem butyrum efficit. Relictis duabus ſubſtantiis, nempe ſeroſa & caſeoſa, quorum prima tenuis, fluida & aquoſa eſt, nonullis aliis particulis, maxime ſalinis intermixtis: altera craſſa & coagulata continens multas particulas terreas, ex qua caſeus confectus, valde macer eſt, nec nutritioni nec ſvavitati arridens, niſi ex majori perfectione cremoris admixtione perficiatur & melioratur.

321 Ex chymicis laboribus non minus patet, lac in ſe ſal continere acidum, fixum, occultum n. 317. dum ſcilicet ab oleoſis particulis, quæ antea cuſpides ramulis ſuis tamquam lacertis apprehendebant, ob ſubtilis materiæ motum continuum preſſionemque globulorum ab invicem diſrumpuntur & ſolvuntur, hinc acidæ ſui juris factæ, acidum ſaporem noſtræ linguæ imprimunt.

Quæ-

322 Quæritur utrum lac bilioſum ſit? Reſp. Quoad ejus partes butyroſas ſulphureas, bilioſum eſſe affirmo, ſed non magni momenti eſt, quia ſeroſæ ejus particulæ prævalentes vim ſulphuris diluunt & hebetant. Hinc a potiori frigiditatis gratia aſſumitur, adeoque lac ebutyratum ob prævalentem ſui aciditatem non adeo ſalubre. Niſi ubi ad temperandum calorem, ad alvi fæces & urinam provocandam, viſcerumque obſtructiones tollendas congruum judicabitur. Se-
323 rum etenim in eo contentum ſumme laudat Baulivius, eximius Doctor & ſummopere extollit in ſananda hydrope ſicca. Doctor Moræus illud etiam in febribus malignis recommendat.

Lac denique omne quoad conſiſtentiam non nimis craſſum nec caſeoſum, nec nimis tenue & ſeroſum eſſe debet. Recens multum ab animali bene paſto & habito petitum per ſe temperatiſſimum eſſe animadvertitur, omniumque ferme
324 alimentorum præſtantiſſimum: Cujus bonitatem & excellentiam ipſa ſacra Scriptura profitetur Exod. cap. 3.

Vidi

Vide afflictionem populi mei in Ægypto, inquit Jehovah, & clamorem ejus audivi propter duritiem eorum, qui præſunt operibus, &c. *educam vero illum in terram bonam, in terram, quæ fluit lacte & melle.* Item Cant. 4. *Lac & mel ſub lingua tua.* Et certo lactis defectum inter pœnas temporales ipſe Ezechiel cap. 25. retulit: ubi DEus cominatur: *Ecce ego tradam te filiis orientalibus, ipſi comedent fruges tuas, & ipſi bibent lac tuum.* Ipſe Salvator noſter ex Mariæ uberibus lacte nutritus fuit, de quo inquit S. Hieronymus, neque enim fieri poterat, ut quæ genuit maſculum & erat puerpera, careret lactis abundantia.

Recordentur omnes fœminæ verborum S. Ambroſii in illum textum, quis annuntiabit Abrahæ, quod Sara lactet fili-
325 um? monet omnes fœminas, meminiſſe dignitatis ſuæ, & lactare proles ſuas. Quam peſſime vero conſulant liberis ſuis proh dolor! prodigioſæ illæ mulieres, qui fontem ſuum ſaluberrimum corporiſque generis humani educatorem tantum ornanti pectoris non liberorum alendorum gratia a conditore ſummo diſtribu-

tributum fuiſſe Tr. I. n. 129. præſumunt, illumque areſcere & extinguere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant, & proles ſuas meretricibus lactandos porrigunt, quorum lac eſt cloaca omnium flagitiorum: imo quam ſpecioſas virtutes, inquiebat Doctor Greiſel, Medicus quondam Viennenſis, contrahent filii a tali aliqua nutrice exuſta, & mercuriali fumo exſiccata. Hoſpitalis ſ. Marci Alumna: quam generoſus ſpiritus in tali filio nutrito a lacte, in ſtabulo prope hircum & equos facto, generabitur.

326. Iſte vero primorum noſtrorum anteceſſorum potus ſcilicet aquæ & lactis, palato eorum non ita diu ariſerat, ut eo ſolo ultro continuaſſent, ſed alios adhuc temporis ſucceſſu invenerunt & excogitarunt potus, tam per expreſſionem fructuum quorundam, quam per excoctionem elaboratos ut vini, ſydræ, mulſæ, cerevíſiæ &c. de quibus §§. ſequentes agent.

§ III.

§. III.

De vino, ejuſque ſpiritu ſeu eſſentia.

327 Vinum nihil aliud eſt, quam ſuccus ex uvis expreſſus, & tandem per fermentationem defæcatum, nimirum uvæ dum ad maturitatis ſtatum deveniunt, porro in lacu ſeu cupa vinaria pedibus calcantur, vel ligneis inſtrumentis ſolummodo contunduntur, præcipue ubi haud perfectam maturitatem nanciſcuntur, vel non in magna copia vineæ & uvæ repeciuntur: & ita ſuccus exprimitur, ut dein nomine muſti veniat, poſt hoc ſuccus iſte recens doliis committitur & dum vel a motu fermentationis impeditur, dum intra vaſa lignea ſulphur accendunt, quo fumo vehementer acri acidoque impregnatur, effervеſcere non patitur, muſtumque perpetuum appellatur, ex quo paucus aut nullus ſpiritus deſtillatur. In ſtomacho nihilominus eluitur & nos inebriat, quia ibi prius fermentat. Quod ſi vero in doliis motus fermentationis & defæcationis admittitur & promovetur, per quem particulæ alcalicæ & acidæ ab invicem continuo recedunt,

& inter ſe moventur: ex quo major volatiliſatio & vini ſpirituoſitas exori-
328 tur. Quamobrem vinum fermentatum & ejuſdem fæces deſtillationi ſubactæ, copioſam dein ſuppeditant ſpirituum portionem, ſi vero uvæ nimis fuerint ad maturitatem ſuperfluam eductæ, & quaſi corrugatæ & inſpiſſatæ ſucco, in horum ſucco expreſſo fermentatio non tam cito & rite procedit, vel plane ſupprimitur, idque ob humiditatis inopiam & particularum ramoſarum copiam: qua ratione etiam illud vinum ſeu muſtum ex talibus uvis expreſſum, Außbruch genant, majorem obtinere ſolet oleoſam dulcedinem. Quare etiam ex illo minor copia ſpirituum deſtillatur, quam ex magis fermentatis. Quo enim vinum fuerit minus dulce & oleoſum & magis aqua immixtum, melius & citius fermenteſcit, majoremque præbet ſpirituum copiam deſtillando. Poſt muſti fermen-
329 tationem vinum indies magis & magis redditur pellucidum & clarum, nam quædam particulæ parietibus vaſis adhærent, tartarumque gignunt, quæ-

dam

dam ad fundum præcipitantur, fæcemque conſtituunt, in qua magna quantitas ſpirituum retinetur, & deſtillando extrahitur.

Muſtum aut vinum ex debito maturatis uvis componendum & exprimendum eſt, alias ſi non ad muturitatem pervenerint debitam uvæ, ex his potius omphatium exprimitur, quod ſumme acidum, nec ex ventre tam cito exit, ſed morando varias excitare poteſt paſſiones, nec per vias urinarias tam cito pede labitur. Phlegmata inſpiſſat & pectori nocet. Dum vero muſtum ex perfecte maturis uvis perficitur, ac per lentam fermentationem depuratur, multo ſalubri-
330 us eſt, quam ſi fermentatio retinetur. Non enim fermentatum muſtum aut vinum digeſtionem in ventriculo retardat, debilitat aut plane invertit, & multoties in fermentationem deductum per ſuperiora omnia vix non ejicit, quod ſi hoc non fiat, tunc inflat, obſtruit, bilem auget &c. dein etiam ſi ex non rite maturatis uvis vinum componitur, ut in quibuſdam partibus vinearum

rati-

331 ratione defectus coloris a ſole contingit: Ubi nimirum vineæ verſus ſeptentrionem vel inter occaſum & ſeptentrionem ſituatæ ſunt, vel in partibus frigidioribus vel demiſſioribus plantatæ, utcunque uvæ perfecte non maturatæ colliguntur, ex quibus vinum auſterum & ſumme acidum noſtræ naturæ pernicioſum paratur. Tales vineæ potius non plantari aut ſi plantatæ eradicari & in ignem rejici deberent. Quid enim prodeſt talis fructus, quæ non ad perfectam maturitatem pervenit, quid inde aliud ſperandum, quam morbi varii & præmatura mors. Potius itaque extirpentur dictante Matth. cap 3. v. 10. *Omnis arbor non ferens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

332 Varia igitur vina excreſcunt, quæ etiam differunt tam in colore, odore, quam craſſitie vel tenuitate, & ætate, qualitatemque diverſam induunt vel magis aut minus calidam vel humidam, quo enim plus ſpirituoſa & minus acida ſunt, calidiora, minusque humida erunt, quatenus minorem portionem phlegmatis ſeu aquæ

aquæ immixtam habent. Idcirco omne
vinum calidum & humidum quidem eſt,
gradu tamen a ſe differens, quod ab effe-
ctu demonſtratur, tam per uſus extrinſe-
cos quam intrinſecos. Unum reperitur
vinum album, aquoſum & minus potens,
econtra aliud generoſum & impenſe cali-
dum exſiccansque; uti vero vinum al-
bum fulvo & flavo minus calefacit:
333 ita ex rubro aliud magis aliud minus
generoſum, & quo nigrius & rubi-
cundius a potiori obſtructionibus gene-
randis aptum eſt, quatenus incraſſat hu-
mores, ſuaque ſalina & acerba terreſtrei-
tate adſtringit. Hinc in diarrhœis, & dy-
ſenteriis, ubi non febris adeſt, ſæpius
proficuum deprehenſum eſt. Tale
334 autem vinum rubrum alio modo ut
album præparatur, quod etſi ex rubris
& nigris uvis exprimitur, nihilominus
pellucidum & album evadit, niſi prius an-
tequam exprimantur uvæ una cum ſuis
retimentis ſeu folliculis fermentationi
committantur, & hoc modo ſuccus ru-
ber & niger evadit, quæ nigredo ſolis cor-
ticibus inerat, fermentando autem cum

folliculis vino ſeu ſucco communicatur.

Etſi vero vinum omnium vegetabilium princeps, menſtruum cœleſte, clavis philoſophorum (ad chymiam) bezoardicum vegetabile, nectar divinum, aurum potabile vegetabile, & aliis adhuc titulis a veteribus ſalutatum fuerit, nihilominus vinum, quodcunque illud ſit, ſive acidum ſive dulce, ſive novum, ſive antiquum, forte aut debile, ſuperflue vero po-
335 tatum n. 309. ſemper nocuum & naturæ noſtræ ac etiam animæ perniciosſum eſt, quoniam illud ſua quantitate fermentum ſtomachale nimium diluit, invertit & evehit, ſpiritus in ſuo motu confundit, & digeſtionem depravat, ex qua depravata tot myriadum morbi. Audiamus Eccleſ. cap. 19. v. 22. *Quam ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem.* Et ibidem. *Exultatio animæ & corpori ſobrius potus. Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas facit multas.* Nonne Genes. 9. *Vinum nimium Noe generis noſtri inſtauratorem inverecunde detexit.* Et ut Geneſ. 19.

legi-

legitur. *Vinum nimium Loth duarum ſuarum filiarum corruptorem effecit. Amaritudo denique animæ vinum multum potatum*, dicit Eccleſiaſt. cap. 19. v. 36.

Qui itaque amat nimis bibere, facile etiam perdit credere; nam Proverb. 31. v. 4. *Nullum ſecretum, ubi ebrietas regnat.* Hæc de quantitate. Jam etiam de qualitate vini quædam adhuc dicenda reſtant. Vinum omne præter ſpiritus ſalinos volatiles ſulphureos acidum ſimul occultum complectitur, a quo, ut abſtineant, plurimos ægrotos hortamur: acidum quidem benignum & non adeo infenſum ſanis, quamdiu moderate ſumitur, quod partim in ſtomacho, partim in inteſtinis ope fermenti fellei ſubigitur, invertitur, & in ſal ſalſum volatile redigitur, ni-
336 hilque detrimenti adfert; ſin vero quotidiano & familiari ejus uſu præſertim nimio vinci neſcio crudus & acidulus liquor, toto exierit ventriculo, aciditate corpori hoſtili in inteſtinis tormina, colicam, in artubus pareſes & contracturas, paralyſim, vel plane apoplexiam, vertiginem, epilepſiam, hydropem,

 ma-

maniam, præter adhuc alia mala ut arthritica & nephritica parturiet.

337 In omni vino acetum conſiſtit & quo potentius vinum, tanto etiam fortius & acrius acetum, quatenus ſalium fixorum major quantitas conſtituitur in aceto, ergo videtur, quod in vino jam occultum acidum lateat, & hoc per evaporationem ſalium volatilium oleoſorum, ſeu ſulphur per calorem exaltatum manifeſtatur, ut in conficiendo aceto fit, vel per coctionem quandam, vel in ventriculo poſt peractam fermentationem, unde ructus acidi. Hoc videtur in nimium impletis vino, quibus vomitum parit, hi non vinoſum, ſed acidum ſeu acetoſum inſtar humorum ejiciunt, quam dulciſſimum etiam antea fuerit vinum.

Eximius D. Williſius in ſua patologia ait: Quoniam chylus non niſi indige-
338 ſtus, atque particulis efferis, & inidoneis præditus, in viſceribus paratur: dein a largiori vini potu craſſamenta ſalſa, & fæculentiæ hederogeneæ, quæ alioquin in primis viis ſubſiſterent, nimis exaltatæ a vino in ſanguinem deferun-

runtur; quibus enormitatibus, ſi vita ſedentaria, otium & ſomni meridiani n. 459. & 461. accedunt, proinde, ut nec ſuperfluiditates exhalent, nec impuritates ſalinæ, quo minus circa articulos ſubſidere poſſint, ab exercitio difflentur, certe plus ſeminis hujus alçaliſati in uberem morbi articularis ſegetem conſeretur.

Enarratum fuit ſupra n. 284. ad perfectam concoctionem & diſtributionem chyli requiri ſufficiens diluens. Quo-
339 modo autem ſolo vino præcipue forti & generoſo, præter quod, nullum alium potum ſibi quidam eligunt, cibi in ventriculo ſatis diluentur, ſi moderate illud hauriri & in pauca quantitate aſſumi deberet, vel quomodo ſufficiens humiditas ſanguini largietur. Quod ſi vero ſufficienter & in magna quantitate potatum fuerit plus inebriabit & exſiccabit, adeoque optimum, ſi vinum mediocre pro potu ordinario uſurpatur, quod ſuo naturali phlegmate ſufficienter dilutum, aut alio addito vel aqua, vel leviore vino temperatum eſt, præcipue ſi nimis

forte & æſtatis tempore ſit, mero enim ſapientia obumbratur, ſi abundaverit in fortitudine & quantitate, prout deniq; regio, ætas, temperamentum, annum, tempus, victus ratio ſvaſerit, plus vel minus illo fortiore vel debiliore ſeu dilutiore utendum eſt. Inſpiciantur n. 61. & 96. & 132. ac 281. Acidum tamen & auſterum prævalens omnibus naturis pernicioſiſſimum:

340 ideo vinum nec in aciditate & auſteritate, nec dulcedine, nec fortitudine, quam maxime autem in quantitate prævalens, neq; nimis novum unius vel duorum annorum vel recens ſanitati conducibile eſt. Sed ex hoc medium participans quod nimirum ſitim delet, digeſtionem promovet, faciem levi quodam rubore perfundit, nullos capitis dolores procreat, quos autem utcunque non defæcata & non fermentata vina excitant, vel ſi plane ad ebrietatem uſque potantur.

341 Quanta autem mala ebrietas poſt ſe trahat, monent nos ſacri textus, ab ea averſionem habere. Ut Epheſ. cap. 5. v. 18. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et Oſeæ 4. v. 11. *Fornicatio & vinum*

&

& ebrietas auferunt cor. Etiam Joel. 1. v. 5. *Expergiſcimini ebrii, & flete & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore veſtro.* Quam enim abominabilis homo ebrius! Circe poculis ſuis Ulyſſis ſocios transformavit, ſ. Div. Chryſoſtomus homil. 58. in Matth. Ebrietas, inquit, ſues ex hominibus facit. S. Auguſtinus in ſermonibus de tempore. Si te, inquit, (amicitiæ ſcilicet gratia) vel alium inebriaveris, habebis hominem amicum, ſed Deum inimicum. Alio ſermone hanc inſaniam deplorans exclamavit: o infelicitas generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebrioſos, amplius quam oportet, cogunt bibere; & ante oſtium pauperibus petentibus, vel unum aquæ frigidæ calicem diſſimulant dare, tales ſimiles illi diviti (poſtea ſepulto in inferno) *qui epulabatur quotidie ſplendide; ad cujus januam jacebat Lazarus cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa ejus, & nemo illi dabat* Luc. 16. v. 19. ad menſam amicus ſapiens invitatur, & ſtultus domum remittitur. Quoties non ſanitatis pocula ſunt pharmacopolarum lucra! Po-

tius itaque ſequamur conſilium Proverb.
23. v. 20. *Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum* &c. & Petri. 1.
v. 5. *Fratres, ſobrii eſtote & vigilate.* Ul-
342 terius de ebrietate hæc ſcribit Palin-
genius:

Hanc igitur ſcito eſſe gulam, cui ſemper edendi
Eſt animus, nocte atque die, ſtudiumque bibendi.
Quam plerique Deam credunt, & prorſus adorant
- - - - - - at errant,
Haud dubie. Namque hanc nil eſt obſcœnius, & nil
Quod naturæ hominis magis adverſetur, & obſit.
At quicunque gulæ indulgent, & gaudia ventris
Sectantur, fiunt hebetes, fumoque ciborum
(Haud ſecus ac nebula ſol) offuſcatur eorum
Ingenium, & nequeunt veri ſpectare nitorem.
Præcipue quoties ſtomacho ferventia vina
Obtundunt, cæcaque premunt caligine mentem:
Nec ſtudiis ſaturo poſſunt incumbere ventre.
Unde fit ut minimum ſapiant, finemque relin-quant,
Propter quem terris illos natura locavit.
Nec plus cognoſcant, quam grex oviumve, bo-umve:
Immo etiam quandoque minus, quum vina cere-brum
Confundunt, geminasque putant ardere lucernas,
Et menſa & paries ſeſe motare videntur.
O fœda ebrietas, animi lethum: o vitiorum

Nu-

Nutrix ac ſcelerum! Quid non mortalia cogis
Pectora? quid per te non audent? Jurgia, lites,
Prælia dira moves, & gaudes ſanguine fuſo:
Per te occulta patent, animum linguamque reſolvis:
Te fugient metus atque pudor. Vitate, pudendum,
Hanc peſtem, o miſeri! quæ vos facit eſſe furentes:
Nec minus inſanos reddit, quam mater Oreſtem.
Sordidior quæ res, quæ bellua vilior eſt, quam
Ebrius? hic epulas, quas non multo ante voravit,
Evomit, atque mero putet: tremit ille, caditque
Sæpe caput frangens, oculosve, aut crura: loquendo
Balbutit, nec habent ullum verba edita ſenſum:
Multa facit, multa & dicit, quæ mox ubi nubes
Diſcuſſa eſt, rediitque jubar, damnantur ab ipſo
Autore: unde rubet factis, infectaque vellet.
Rex Macedum, quondam proles generoſa Philippi,
Ebrius in menſa (ut fama eſt) perdebat amicos:
Sed poſtquam furor ille animo deceſſerat, etiam
Sanus erat, tunc ſe arguebat, tantumque dolebat,
Ut fleret, cuperetque mori. Quid vana cytheron
Orgia, quid Thyaſos, deliraque tympana jactas?
Non Deus eſt Bacchus veſter, Cadmæa propago,
Nec Jove plena utero ſemele concepit: at ingens
Tartarus hunc genuit puerum, de matre Megera.
Non Deus eſt: ſed, nempe Deûm contemptor & oſor.

Nam divina parum curant, qui vina ſequuntur:
Nec bene tractabit vinoſus ſacra ſacerdos.
Quid memorare opus eſt, quot morbos quotque dolores
Diſpergit nimius potus per membra, cibusque
Obducit mentem, morbosque inducit, & ipſum
Enervat corpus, quoties ſine lege modoque
Sumitur, & nimium torpentes occupat artus.

Vinum itaque tam in quantitate quam qualitate excedens, & ſi valde vetuſtum, ſpirituoſum atque generoſum ſit, illudque per uſum quotidianum ſorbeatur,
343 ſanitati & longævitati vitæ quam maxime offenſum eſt, quia plus juſto calefacit & exſiccat n. 332. vino corrumpitur ætas. Econtra moderate hauſtum & temperatum vires noſtras roborat, ſpiritus generat & recreat, præcipue quibus ſanguis ſpiritibus per nimia ſtudia & labores, venereosque exceſſus depauperatus eſt, vel quibus aliunde ſpirituum ſufficiens deeſt generatio, ut in ſenibus contingit; ideo etiam ſenibus optime conducit, moderate tamen potatum, tam calorem quam humiditatem largiendo
344 ut Galenus cap. 5. de ſanitate tuenda aſſerit. Vinum ſenibus optimum eſſe,

vel

vel in quibus ſubjectis maſſa ſanguinea & ſpiritus ſuppresſi & obruti ſunt, ut in melancholicis & phlegmaticis, ſedentariamque vitam agentibus, quatenus vinum moderate ſumptum ſanguinem puriorem & ſubtiliorem ſpiritusq; activiores reddit: vel quorum ventriculus plerumque languidus deprehenditur. Quod ſi cibus & potus convenienti modo commiſceatur & fermentet, eximiam activitatem tribuit vini liquor ſtomachali fermento debili & enervato, cibosque concoquere adjuvat, hominesque floridos efficit, quia maſſam ſanguineam tenacem & mucoſam attenuat & corrigit, aquas ſuperfluas per urinam & ſudorem ſenſibilem & inſenſibilem expellit, (hanc virtutem præcipue habet pellendi urinam vinum Radkerſpurgenſe & Luetenbergenſe) recreat mentem; hinc dicit Eccleſ. cap. 19. v. 22. Vinum non ad ſatietatem ſeu ebrietatem ſed ad hilaritatem creatum eſſe, nimirum, *Vinum moderate potatum ſanitas eſt animæ & corpori.* Jam de eſſentia ſeu ſpiritu vini, qui nos inebriare ſolet.

345 Vinum conſtat ex eſſentia ſubtiliſ-

ſima,

ſima, incorruptibili, & adjecta copia a-
quæ inſipidæ corruptibilis, ac etiam oleo
quodam pauco, unctuoſoq; combuſtibi-
li. Tandem continet in ſe ſal corroſivum,
quod ex ejus capite mortuo in deſtillatio-
ne relicto extrahitur.

Vinum quo pluribus conſtat particulis
ſubtilibus ſeu ſpirituoſis volatilibus, eo
minus a frigore concreſcit, quia tam ſub-
tiles particulæ indeſinenter a materia æ-
therea agitantur. Cujus ſpiritus extra-
ctus quo magis rectificatus eſt, tanto ca-
lidior & ſiccior exiſtit, qui penetrantiſſi-
mus, incorruptibilis evadit, & putredi-
ni reſiſtit, talisque ſpiritus ſeu eſſen-
346 tia vini eſt ſumme cordialis, & maxi-
me analogus noſtris ſpiritibus; unde
etiam cordis tremori, ſive palpitationi ex
cauſa flatulenta & craſſa viſcoſitate con-
fert, ſpiritus vitales generat, ventriculum
roborat, vomitum ſiſtit, cruditates digerit,
flatus expellit, ſenſus acuit, comate op-
preſſos refocillat, tumores reſolvit, arcet
coagulationem ſanguinis in contuſionibꝰ,
aut ſpiſſionibus, cruorem reſolvit ac di-
ſcutit, ut ut omnibus his affectibus ſatisfa-

ciens ſpiritus vini, attamen nimium & frequenter hauſtus multos pravos gignit affectus, quoniam ſpiritus noſtros inflammat ſeu in nimium motum concitat, & ignis ad inſtar corpora exſiccat, nimirum humiditatem nimium reſolvendo & diſcutiendo in auras. Nocet itaq; bilioſis & calidis naturis, hepati quoq; & renibus, hydropem & Phtyſin gignit, obeſt apoplecticis, epilepticis, & pueris. Ita non minus de aliis ſpiritibus ſeu eſſentiis intelligendum eſt, qui non tantum ex vino, ſed etiam ex ceraſis, fragis, baccis juniperi &c. eliciuntur, qui ſpiritus mediante fermentatione & extractione atq; rectificatione facile parantur, ut etiam ex variis aliis fructibus & herbis.

347 Omnes vero ſpiritus, ſub quacunq; forma roſolii, aquæ vitæ &c. abuſive & ſæpius ſumpti, ſunt ſpiritus potius rores & aquæ mortis, quia humidum naturale exſiccant, & per poros corporis eliminant, relictis corporibus craſſioribus minus ad motum aptis, vita autem a motu. Quamdiu noſtri humores rite moventur & circulantur, tamdiu vivimus.

Spiritus iſti ſubtiles, quamvis a noſtro

ta-

tactu extrinſece frigidi ſentiuntur, nihil
ominus calidi ſunt, quia ſpiritus vini ab-
undat ſubſtantia æthera, ſulphurea & ſale
volatili, qua inflammabili; quod autem
348 calidi extrinſece non ſentiantur, imo
frigidiores quam ſi a glacie cutis tan-
gerentur, id provenit a magna illorum
ſubtilitate & fluiditate. (Quo rectificati-
or ſpiritus, eo ſubtilior ſupponitur eſſe)
Ab his ſubtilibus ſpiritibus partes ſolidæ
tactus, ut corpus craſſius, non tam cito
in motum citantur, ſed dum per poros
cutis ſanguini communicantur, & hi ſpi-
ritus vini particulis ſubtilioribus ſan-
349 guinis junguntur, motum illorum
adaugent, caloriſque effectum pro-
ducunt. Hinc calida in medicina numera-
mus, quæ humores & ſpiritus noſtros in
motum majorem excitant, frigida, quæ il-
los in motu impediunt. Jam
350 Quæritur, an vinum alat nec ne?
Potatores quidem interrogandi forent,
qui parum aut nihil comedunt, atta-
men pingueſcunt. Reſpondeo, vinum,
quo antiquius & fortius, minus alibile
eſt, hoc potius ad tempus naturam con-
ſervat

ſervat, largiendo nimirum ſpiritus, a quibus muſculi magis expanduntur, quam ut abſque cibo & perpauco ſufficientem nutritionem corpori præbere & exinde vere pingueſcere poſſit, quamvis quorundam natura paucis contenta ſit.

351 Quæritur etiam, utrum vinum actu calidum ſeu calefactum ſanitati conducat? Reſpondeo, omnino ab experientia confirmari hunc effectum, quia quidam ab actu frigido vino ſtatim alterantur & infirmantur, & a calido conſervantur ſani. Ita Riverius narrat, Coſtæum vini calidi uſum quibuſdam in ſequentem modum deprædicare: in potu ordinario vinum calidum ebibitum ventriculi imbecillitatem corrigit, non infrequens enim eſt obſervatio in illis, qui cum ventris flatibus, doloribusque ob malam coctionem perpetuum torquentur, ubi calido potu uti cœpere, omni prorſus ejusmodi moleſtia ſoluti, meliorem multos jam annos vitam vixere, quæ obſervatio modo etiam quibusdam prodeſt, conſvetudine autem ſervata.

352 Quæritur demum, quare vinum ſu-

ſuperfluum aliquos homines ſopidos & quietos reddit, econtra alios vigiles & inquietos, furibundos? Reſp. quia reperiuntur homines, quorum ſanguis viſcidus & tenax eſt, qui magis ad dormiendum n. 450. proclives, dum enim bacchi liquor tenuis cerebri glandoloſos acinos permeat, viſcidiores & tenaciores obſtruit glandulas & poros; unde nullus in cerebro excitatur motus inordinatus, quam econtra, quibus ſanguis eſt volatilis, & ſubtiliorum ſpirituum plenus, hi enim in ſomnum minus propenſi ſunt. n. 468. nam canaliculi hujus cerebri continuo expanduntur & inflantur, quia ſpirituoſi & volatiles ſucci eodem incitantur, qui per conſequens promptius per cerebrum & nervoſum genus incedunt, quam in viſcidioribus ſubiectis: hinc omnia eorum organa mobiliora fiunt, lingua loquacior eſt, manus & pedes fortiores, agilioreſque, veneris organa prurigine coeundi vexata, imo univerſa corporis machina alacrius movetur, dum vero ſucceſſive particulæ ſubtiliores vini hinc inde conſumuntur & in auras abeunt, re-

lictis

lictis particulis tenacioribus & phlegmate incraſſatis, tandem etiam inquieti ſapore obruuntur profundo, quandoque etiam perpetuo, ut in quibusdam apoplexia n. 336. tactis accidit.

§. IV.

De cereviſia ſeu Cereris vino.

Ex ænopolio officinam cereviſiariam adeamus, dum enim grando copioſe nimis de cœlo noſtris vitibus mittitur, & illas una cum botris contundit & frangit, aut ab aliave prava tempeſtate vineæ deſtruuntur, & uvæ deficiunt, vel in quibusdam partibus terræ aliunde non plantantur & reperiuntur, unde defectu hujus elaborati liquoris vinoſi, cereviſiam excoquí mortales excogitarunt, non tamen ubique in eadem bonitate paratur & ſervatur.

353 Componitur & elaboratur autem cereviſia ex aqua & frumento optimo non mucido aut corrupto, addito lupulo; debet etiam debite coqui & purificari per fermentationem, non bene fermentata & defæcata ſeu recens cereviſia obſtructiones parit & flatus, & quandoque

 tor-

tormina gravia præcipue ſubiectis teneris. Ita etiam corrumpit ſanguinem cereviſia, ſi nimium vetus, acida & horrida aut vapposa ſit. Pro potu itaque eligatur nec nimis recens, nec nimis vetus, nec nimis dulcis, nec nimium amara. Plinius lib. 31. cap. 3. aquas omnes nimis amaras rejecit, ut etiam Apocalypſi cap. 8. v. 10. & 11. *Multi hominum ab aquis interierunt, quod amaræ factæ eſſent.* Sed debite cocta, bene fermentata & purificata non nimium amara cereviſia ſalubris eſt, quæ vero in noſtris his partibus raro tam bona, ut in aliis provinciis elaboratur & reperitur, quod ſi vero bene parata ſit, chylificationem in ventriculo optime adjuvat, nec non una cum cibis in laudabilem chylum converſa, ſanguini æque gratus amicus eſt.

1354 Non minus cereviſia elaboratur diverſæ fortitudinis, ita ut ab una citius quam ab alia inebrietur homo, adeoque hæc etiam ſecundum conditionem temperamenti, ætatis, regionis, anni temporis &c. moderanda & caute haurienda eſt. De hac

Quæ-

355 Quæritur: an cereviſia vel vinum plus alat? & an vini vel cereviſiæ ebrietas nocivior? Reſp. cereviſia ut ex frugibus confecta & tanquam alimentum potulentum, extractum & excoctum nos magis alere poteſt quam vinum, quod etiam experientia optime confirmatur, cereviſiæ potatores ſæpius pingueſcere quam vini amatores: neque cereviſiæ ebrietas ita nociva, quamvis diutius perſiſtens ut vini. Vinum ob potentius acidum & ſpirituaſcentiam majorem & fortiorem læſionem vehementiorem infert, quam cereviſiæ vis & fortitudo, quæ conſiſtit in ſalis eſſentialis chryſtalliſati ſive granulati, & olei attenuati copia. Prout etiam ſubiectum & conſvetudo erit, magis vel minus ab uno quam ab altero, ut potu nimio & nocivo, læditur.

356 Mulſa ſeu hydromel ex aqua & melle conficitur & excoquitur, prout denique plus vel minus mellis adjicitur, fortior deprehenditur mulſa, quæ tamen non omnibus temperaturis convenit, deobſtruens quidem eſſe deprædicatur, pectorique grata ac utilis. De melle ejuſque

qualitate ſupra cap. 2. §. 10. n. 257. jam dictum ſufficiat.

357 Sydra autem ex pomorum aut pyrorum ſuccu fit, vel ex fructibus dulcibus aut acidis exprimitur, ante & poſt peractam fermentationem ex dulcioribus fructibus facta, potus valde gratus eſt: utraque tamen inſervit poſt meliorem defæcationem pro aceto. Prout autem de acidis & auſteris fructibus elaborata, tanto plus etiam frigidior & inſanior eſt, tormina ventris & alios morbos parit. Pro aceto tamen non incongrua, & in multis locis tantummodo pro aceto inſervit. Antequam vero aceſcit, & ex dulcibus pyris aut pomis elaboratur, potus gratus & nutriens eſt. Flatus ſumme generans, plebeis & laborioſis hominibus non ita nocuus.

§. V.

De Potu Coffe, Thee, & Chocolatæ atque uſu Tabacæ.

358 Multivarii hinc inde tractatus & deſcriptiones de his potibus in lucem eduntur. Cum autem non omnibus in manus

nus incidant, & unicuique ſuam liceat opinionem aperire: hinc non defui, de his potibus meam etiam addere. Quantum autem horum potuum fama indies creſcat, quotidie elucet, attamen maxima pars hominum, præcipue in noſtra Europa ſæpe præjudiciis occupata, hos potus calidos contemnit, & ut primo excogitatos rejicit. Sed ſi ex hiſtoriis antiquis illuſtraretur, potus calidos non noviter & primo excogitatos eſſe, ſed plus quam ante mille annos apud Romanos,
359 Græcos in uſu fuiſſe, ſaperet, apud quos potus calidi non curioſitatis aut guſtus, ſed ſanitatem conſervandi & vitam prolongandi gratia adhibebantur. Hinc ab Etymologia nominis teſte Varrone poculum calix nuncupatum fuit ab aqua calida. Ajente lib. 4. calix a calido, quod in eo calidus potus apponebatur, & calidum ex eo bibebant. Famoſiſſimus Seneca de ira mentionem facit lib. 1. cap. 12. iraſcuntur boni viri pro ſuorum injuriis: Sed idem faciunt, ſi calidus potus non bene præbeatur, ſi vitrum fractum, ſi calceus

luto ſparſus eſt; & alibi cap.2. de ira cap.22. parum agilis eſt puer aut quidam ſervus, aut tepidior aqua potus erogata, aut turbatus torus, aut menſa negligentius poſita &c. inſania eſt. Romæ propria hoſpitia erant, in quibus tam vinum, quam potus excoctus calidos pro pecunia vendebant. Sic Amianus lib 28. de Ampelio judice Romano meminit, qui prohibuit ænopolis, ne tabernas vinarias ante horam quartam aperirent, neve aquam vulgariam calefaceret quiſquam. Cajus Caligula unum ænopolam ad mortem condemnavit, qui in diebus illis, in quibus Bruſillæ funus celebraretur, aquam calefactam pretio dabat, tamquam ſcelus in Iſrael commiſſum. Philo lib. de vita theoretica potum calidum delicatioribus, & ſibi vitam longiorem ſervantibus adſcripſit. Unde videtur, quantum potum calidum jam priſcis temporibus veteres pro conſervanda ſanitate & prolonganda vita æſtimabant. Hæc vero tam ſobria potus calidi conſvetudo tandem aboleri cœpit, forſitan ex ea ratione, ut in Anglia contigit, ubi omnes potus calidi interdicti erant ex ea ra-

tione, quatenus homines apud talem potum convenerant, & occulta reipublicæ ingrata conſpirarent, & quia ſobrii apud eum manebant, hinc occultæ eorum conſpirationes non tam facile manifeſtabantur, uti apud potum vinoſum fit, bene attendentes Angli textus Proverb. 31. v. 4. *Nullum ſecretum, ubi ebrietas regnat:* adeoque tabernas vinarias & cereviſiarias atq; ſpiritum vini vendendum nullo modo prohibebant.

Sit ut ſit ratio quæcunq;, cur potus calidi aboleverint: nihilominus conſvetudo illa potus calidi tamquam oblita, rurſus in Japonia & China reviviſci & extolli per potum Coffe & Thee cœperat, & ad nos Europæos iterato traducta, & ita potus calidus noſtræ vitæ refloreſcere inchoavit. Primotenus quidem ſolum a nobilibus ditioribus ob ſummum pretium, quo vendebantur hi fructus & folia, hic potus uſurpabatur, jam vero etiam apud communes homines in uſum venit: & quidem apud multos in nimium & exceſſivum.

360 Vt itaque potus tam Coffe quam

Thee ſalubris ſit, in quantitate debita ſumendus eſt: ſicut e. g. medicina, quamvis ſuum auxilium ſummum adferat in debita doſi data, in exceſſiva autem venenoſa & exitialis fit: ita etiam Coffe & Thee potus exceſſivus peſſime audit, quo non tantum homines languidi fiunt, & cibum averſantes, ſed in certiſſimam mortem ſe multo ſæpius conjiciunt. Per aquam enim tam calidam continuo & frequenter ſorbendo ventriculi ſyſtema enervatur n.283. ejuſq; ſubſtantia quaſi coquitur & molleſcit, & quidem magis a potu Thee ut ſubtiliore & penetrante, quam a potu Coffe. Eſt ergo potus thee quam coffe nimius & exceſſivus nocivus, econtra debito tempore & quantitate moderata ſumptus magnam utilitatem vitæ noſtræ adfert, ſanitatem a multis morbis præſervat.

361 Semen Coffe, ut patet, & a D. D. Heningero deſcribitur, eſt euonymo ſimilis Ægyptica, fructu baccis lauri ſimili. Arbores copioſe naſcentes in Perſia, Arabia felici et jam etiam in aliis & quidem proximioribus locis, excreſcunt ad magnitudinem tiliæ. Semen ſeu nuclei

hujus

hujus arboris ſunt pallidi, faba paulo mi-
nores, altera parte convexi, altera plani,
inſigni ſulco notati, bini, ſibi invicem
cohærentes, tecti folliculo membranaceo
tenui, ex fuſco nigricante. Coffe crudum
more leguminum in farinacea ſubſtantia
favet ſal fixum dioreticum, quod in uſtu-
lato paululum extricatur, ut a ſuperfuſa
aqua fervente reſorberi vel imbibi poſſit,
hinc ſolum uſtulatum Coffe uſurpatur in
infuſo aquæ fervendiſſimæ. Sale con-
362 ſtat dioretico, ſed admodum blando
& non nihil volatili & temperato, pol-
let tamen majore, alcali fixi copia, quam
Thee, ideo acidum magis ſubiugatur ab
illo. Viſcidum quoque diſſolvit, & ad u-
rinam diſponit, ſuppreſſos torpidoſque
ſpiritus ſuſcitat, & ad obeunda munera
alacres reddit: potius obeſis & craſſis,
pituitoſis vel phlegmaticis conducere vi-
detur, quam bilioſis & macilentis, & quo-
rum ſpiritus inquieti & nimis agiles ſunt.
Quod ſi vero quibuſdam ventriculus mul-
ta viſcoſitate aut cruditate indigeſta obru-
tus ſit, præcipue qui multum ſolent vo-
rare & parum laborare, talibus ſummo-

pere conducere videtur, quibus digeſtionem melioremque diſtributionem & nutritionem promovet.

363 Optimum eſt Coffe infuſum, quod ex recenter uſtulatis granis eſt confectum. Perſiani ferme ſingulis diebus Coffe cremant tantum quantum pro diei uſu illis ſufficere videtur, & procraſtinare non ſinunt. Potum exinde confectum in majore quantitate hauriunt, quam nos haurire audemus, ratio climati adſcribenda & naturis, qui non vino & potibus ſpirituoſis adſveti, & vix alios, quam potum Coffe & Thee hauriunt, tranſpiratione etiam majore humiditatis in corpore per cutis poros in illis partibus calidioribus fruuntur, quam nos: hinc bene fit, qui poſt hos potus calidos corpus bene a frigore muniunt, ut dein levis ſudor facilius ſequatur, præcipue qui alias non multum ſudant. Cortices horum
364 nucleorum raro ad nos transferuntur, quorum infuſio multo potentior eſt, quam ipſorum nucleorum decorticatorum.

365 In uſtione autem horum nucleo-

rum Coffe bene perpendendum, ne nimium vel nimis parum urantur. Eatenus infuſum & exinde decoctum non forte paratur, vel plane nullius valoris. Sal enim volatile per nimiam uſtionem diſſolvitur & diſſipatur, vel ſi non ſufficienter grana uſta fuerint, ſal intus retinetur, & per coctionem reſolvi & extrahi nequit. Hinc taliter coctum nullius virtutis deprehenditur, & plus ventriculo ingratum & nocuum eſt.

366 Potus itaque Coffe ſufficienter & rite paratus non tantum ſanis, ſed etiam multis infirmis debito modo hauſtus conducibilis eſt. Hic in catarrhoſis affectibus tam capitis quam pectoris, in raucedine, tuſſi, & aſtmate valde proficuus: ita etiam in reſarandis obſtructionibus, in debilitate memoriæ, & capitis doloribus, in vertigine & morbis comatoſis atque apoplexiis, ſomnolentis etiam, qui occupati ſunt & a ſomno impediuntur. Prodeſt etiam ad ſobriendos ebrios, laudem quoque ſibi facit in phtyſi incipiente & confirmata potus Coffe cum lacte

co-

coctus. Prodeſt etiam in podagra & rheumatiſmo atque angina.

Præcipue equidem recommendatur moderatus potus Coffe ventriculo debili & languido, viſcoſitate & flatibus, atque aciditate nimia & exinde orta ſoda obruto, in vomitu & ventris torminibus, in calculo & arena renum & veſicæ quam utiliſſimus. Multi ſibi imaginantur, quod a potu frigido ſolum, ut in æſtate fervendiſſima fit, ſitis magna deleatur, ubi econtra videmus, quo plus bibuntur, plus ſitiuntur potus aquoſi præcipue frigidi, a po-
367 tu calido Coffe & Thee omnem ſitim
profligi ad multum diutius temporis ſpatium, dummodo ſaccharum in magna quantitate non additum ſit, quia hi potus, quo minus dulcificantur a ſaccharo ſaniores & virtuoſiores ſunt. Qui etiam eximii ad præcavendos & expellendos lumbricos, unde ſæpius prolibus concedendi ſunt.

368 Quo vero tempore ſeu ordine conducibilior hic potus Coffe eſt? Reſp. vix non quavis diei hora, attamen qui languidum & viſcoſitate vel cruditate obrutum ventriculum habent, poſt ſemidigeſtos

geſtos cibos vel adhuc melius mane hunc potum hauriant, qui vero ſtatim finita & ſumpta comeſtione, ut plerumque fit, plus delectationis quam neceſſitatis gratia aſſumunt, niſi alium potum in minori quantitate hauſiſſent; qui vero aliunde alium potum ſufficienter aſſumpſerunt, mox inchoante vel finito prandio non adeo utilis a plurimis expertus eſt, quia per nimiam ingurgitationem liquidi fibræ ventriculi nimium diſtenduntur & a ſuo tono enervantur, elater debilitatur, fermentum ſtomachale diluitur & obruitur digeſtio bona. Satius itaque eſt peracta ſemidigeſtione prandii, quæ per duas aut tres horas contingere ſolet, quatenus tunc jam partes liquidiores egreſſæ ſtomacho, tunc ad reliquias ulteriores aut etiam tenaciores partes ulterius reſolvendas, acidum & oleoſum ramidum, quod in quibusdam peracta menſa ſodam cauſat, domandum, viſceraque dein inteſtinalia ulterius reſeranda utiliter, ut hauriatur. Cum lacte vero mane aut abſolute peracta digeſtione ciborum, ſemper etiam ventriculi conſtitutio obſervanda eſt,

ne

ne ſit valde impletus vel cruditatibus viſcoſis, aut etiam bilioſis &c. gravatus, tunc lac plus nocebit, quam proderit. Illi autem tanto pejus faciunt, qui ſtatim abſoluta comeſtione Coffe cum lacte coctum potant vid. de lact. n. 314.

De potu Coffe obſervavit quidem DD.
Nentres, quod illis, pronis ad tremorem
manuum, vel nimium flacidos artus
369 habentibus, potus præcipue matu-
tinus Coffe tremorem cauſet & auge-
at, quatenus a potu Coffe fibræ adhuc ma-
gis molleſcant & relaxentur, hoc autem
ut plurimum fit, ſi corpus ſit valde calc-
factum & ſpiritibus diſſipatum. Quod
autem in quibusdam appetitum pro-
370 ſternet, id plerumque præparationi
non bonæ Coffe adſcribi debet, vel
qui nimium & multas plenas ſcultelas e-
bibunt, etſi duæ aut tres ſufficerent. Perpendendum eſt de potu tam Coffe quam Thee, quod a tam exigua quantitate particularum alcalicarum, quod Coffe & Thee in decoctione amittit, decoctum id exaltari nequit, præcipue ubi non major corporis motus ſequitur aut aliquod ſpi-

rituoſum modicum ſuperſumitur, ab illa enim copia magna aquæ non tantum primæ viæ, nimium abluuntur, ventriculi & inteſtinorum glandulæ obſtruuntur, vaſa lymphatica nimis replentur & diſtenduntur; ſed etiam prona ad rumpendum redduntur, vel ipſa textura vaſorum læditur ob gravitatem & lentorem ſuum & nimiam diſtenſionem.

371 Vapor ex Coffe & ſeminis fœniculi decocto ſuſceptus oculis, illorum inflammationem, pruritum ac dolorem ardentem & pungitivum, ac etiam lachrimalem effluxum, nec non debilitatem & hebetudinem viſus, palpebrarum grandinem, Augen-Gerſte, quam optime abigit. Jam de potu herbæ Thee.

372 Potus herbæ Thee non tanta præparatione opus habet, ut Coffe; recipiuntur enim folia Thee, quæ in aqua fervente infunduntur, quorum tinctura aut extractio ſorbendo abſumitur, pauco vel nullo addito ſaccharo. Ejuſdem virtus in ſale alcali balſamico volatili blando conſiſtit, quævis acida in noſtro corpore hoſpitantia diſſolvit & per ſudorem ac uri-

nam

nam eliminat, in ventriculi cruditatibus ſalinis, malo hypocondriaco, in arthritide & nephritide ac etiam corrigendo ſcorbuto ſummopere convenit, ſpiritus noſtros extricat & excitat ad majorem motum, ſanguinem attenuat, ejuſque circulationem & moram menſtruorum ac urinæ promovet, totumque corpus confortat. In affectibus capitis, renum & veſicæ ut calculo aut arena, in defluxionibus catarrhoſis, pectoris vitiis, tuſſi, aſtmate, atque palpitatione cordis mire conducit, ebrioſos ſobrios efficit. A Chinenſibus in comate tam ſomnolento quam vigili potus Thee multum laudatur & utilitatis magnæ expertus eſt. Infarctiones etiam deobſtruit, ſomnum prohibet, ſi
paulo ante cœnam vel etiam ante ſo-
373 mnum conſvetum bibatur. Auroræ
vero tempore eximio cum fructu ad
corrigenda enarrata vitia hauritur. In
profligandis febribus ante paroxi-
374 ſmum vel etiam in illo, dum ſitis
urget ſive in vel extra frigus in ſufficienti quantitate v. g. 2 aut 3 ſcultelæ

pau-

pauco aut nullo addito ſaccharo ſorptus elegans remedium eſt.

375 Chocolata potius inter ciborum quam potuum genera referri deberet, ſed cum illa plerumque in lacte aut aqua fervente diſſoluta in uſum introducta ſit, quamvis etiam in forma ſolida cibetur, ideoque merito inter potus genera reduco. Uſus & componendi modus ab Indis ad Europæos translatus eſt, conſtat autem & componitur hæc ex quantitate nucleorum excorticatorum Cacao, frumento Turcico & Vainigliæ fructu; modico ſaccharo (apud nos vero plurimo ſaccharo) in aqua appropriata ſoluto & in maſſam redacta cum & ſine aromatibus ac etiam ambra & moſcho. Vim habet nutriendi tam reſoluta & cocta quam torrefacta, & qui hac aſſidue fruuntur, vix ad alia alimenta appetitum habent, quia vis ejus conſiſtit in mucoſa blanda & oleoſa ſubſtantia. Potus exinde gratus, & cui ventriculo arridet & acce-
376 ptus eſt, pinguia reddit corpora, pectoris vitia ſublevat. Proficuus etiam recens nuptis ac macilentis, & qui alios

cibos difficulter digerunt. Cum enim facile digeratur & bonam nutritionem det, ſeminis materiam adauget, ſpiritus excitat, ſi aromatibus, moſcho vel ambra imprægnata ſit Chocolata, tunc plus ventriculum calefacit & roborat, ſanguinis circulum promovet & eundem attenuat, hinc etiam potenter menſes & urinam pellit, memoriam confortat, aſtmaticis prodeſt, melancholiam expellit, dummodo ſaccharum in pauco quantitate adſit.

377 Cum enim a potiori apud hos ſupra enarratos potus tabaca ſugi ſoleat & non immerito, qui ea adſueti ſunt; imo ſummo cum fructu a quibuſdam naturis ut phlegmaticis aſſumatur: hinc de uſu & ſuctu ejusdem quædam obſervanda veniunt, ex hac etiam multivaria adhuc alia commoda medica tam in- quam extrinſeca extrahuntur.

Ab hiſtoriis elucet, nicotianam nomen accepiſſe a Johanne Nicotio, Regis Galliæ legato, qui Ulyſſibonæ Zeelandiæ a quodam Belga e Florida allatam herbam in Galliam intulit Anno 1559. Tabacum dicitur a tabaco inſulam Floridam adja-

cente

cente in India occidentali, hujus herbæ uſus jam ferme in omnem regionem introductus & ampliatus eſt.

378 Fumus per fiſtulam, ex accenſis foliis per os ſugitur, in quo ejus plurima vis hæret, ac etiam latent particulæ oleoſæ & alcalicæ tam volatiles, quam fixæ. Hæ particulæ potenter incidunt, aperiunt & reſolvunt, nec non ventriculi & inteſtinorum ſuccos alliciunt; unde ſæpe matutino tempore alvum proritant, lumbricos enecant, ſalivam tenacem elutriunt, gingivas purificant, dentes dealbant et conſervant, diaphoreſim promovent, ſcorbuticis non minus hic fumus convenit, et quibus lenti in corpore ſucci ſeu qui frigidioris naturæ ſunt. Tabacæ etiam ſal volatile oleoſum mucoſitate junctum ſomnum accerſit, ſtuporemque inducit; maxime autem illis quadrat tabaci ſuctus, qui ſuccos habent frigidiuſculos ac viſcoſos, cujus ope perſpiratio per cutim magis promovetur, et eorum ſucci curriculum debitum ſervant, quam qui ſanguine et ſucco calido pollent, et perſpirationem ſatis copioſam habent,

præcipue tempore æſtatis calido et
379 ſicco, aut in provinciis calidioribus.
Juventus hujus uſu perparce delectetur, et unicuique modus in rebus ſit, omnia enim moderata durant et ſanitati non tam facile obſunt. Qui itaque valde abuſive et indifferenter tabacam ſugant, et ferme per totam diem et in ſeram uſque noctem fiſtulam accenſam in ore tenent, hi ſerius aut citius ſuæ naturæ interitum et perniciem experientur. Admonitos
380 tamen eſſe volo tabacæ fumatores,
quo per longiorem fiſtulam fumus excipitur, tanto utilior eſt: non enim ita ſuo calore actuali dentes afficit, melius quoque ſalivam incidit ac allicit.

CAPUT IV.

De motu & quiete.

PRo priori de cibi & potus ſervandi modo enarratum fuit, quo ſanitas hominis & ejus longævitas vitæ conſervari valeat, & a morbo immunis reddi, nempe per debitam & ſobriam ciborum & potus ſumptionem: nihilominus Ariſtotel. problem. 47. Sect. 1. motum & quie-

381 quietem debitam ad ſanitatem tuendam & morbum profligandum adſcribit valde eſſe utilem; ubi refert, non tantum ſalubre eſſe cibi menſuram non augere, ſed etiam laborem ſeu motum corporis non minuere. Et Galenus de ſuccorum bonitate & vitio c. 2. quamvis ſobrietas debite & ſtricte ſervetur, ſi vero motus exercitium corpori moderatum deſit, facile in morbum incidit. Hippocrat: quoq; 6. Epidem. ſanitatis ſtudium eſſe, non ſatiari alimentis & eſſe impigrum ad labores. Quam obrem quædam de motu & quiete moderato recenſebo.

§. I.

De motu in genere & in ſpecie.

382 Multivariis modis corpus noſtrum humanum moveri ſolet, cum enim illud ex tribus partibus integrantibus, ſolidis nempe, ſpirituoſis & fluidis componatur, & ſingulæ hæ partes aliter moveri ſoleant: ſolidæ enim partes ut Hippocrates diviſit partes in continentes, contentas & impetum facientes, ſub quibus non ſolum oſſa, cartilagines, verum quoque tendines, membranæ, fi-

bræ carnoſæ, nervi, venæ, arteriæ, lymphatica & lactea vaſa, & ex illis compoſita & decompoſita viſcera, cerebrum, medulla ſpinalis, cor, pulmones, ventriculus, inteſtina, meſenterium, omentum, epar, lien, renes, veſica, genitalia, glandulæ, muſculi, cutis, ungues &c. verbo inter quas ſingulas partes ſui motus diſcrepantia notatur. Sub partibus fluidis humores intelliguntur tam laudabilis, quam excrementitii. Sub primis ſunt chylus, ſanguis, lympha, ſaliva, liquor ſtomachalis ac inteſtinalis, ſuccus pancreaticus, lachrymæ, humores oculorum, bilis, lac, ſemen &c. Sub ſecundis, urina, ſudor, mucus narium, auriumve, &c. quæ etiam in ſuo motu variantur; denique ſpirituoſæ partes, ſeu impetum facientes ſunt illæ ſubtiliores active ac ſumme mobiles moleculæ, quæ in parentum ſemine latitantes primo communicatæ, dein per alimenta quotidie reſtitutæ, ac diverſimode in partibus variis alteratæ, imprimis vero per mehanicam cerebri modificationem determinatæ, motuum ac ſenſuum reliquorumque a-

ctionum, tum ſpeciei tum individui conſervationi neceſſariarum cauſa efficiens & authores ſunt.

383 Cum itaque ſpiritus Tract. 3. n. 46. per nervos ad fibras motrices immittantur & illas inflent, ſub harum autem fibrarum matricum omnes carnoſi villi ſubintelliguntur, ſive ſimul juncti ſeu in unum faſiculum collecti, ſivi diſperſi ſeu diſtincti ſint, hinc vel muſculi formati, vel non formati, appellantur. Formati ſunt, qui in univerſa corporis externa regione non minus, quam interiori ſub titulo muſculorum ſe ſiſtunt, qui communiter in caput, ventrem, & caudam, aut rectius in tendinoſas binas extremitates & carnem interpoſitam dividuntur, ſinguli vero hi muſculi non ſolum arteriis, venis, nerviſq; ſunt inſtructi, & per ſtamina exiliora ac tranſverſa filamenta membranacea diſtincti; verum etiam membranea quadam tunica ſatis firma inveſtiuntur. Non formati vero muſculi, ut in æſophago, ventriculo, inteſtinis cernimus, parum intereſt, num ſecundum longitudinem quam latitudinem extendantur, aut

ex ſimplici vel multiplici ſerie conſtant. Nulla attamen, quoad omnes has partes prærogativa formatis fibris competit, cum illæ cunctæ in his dictis non formatis ſeu diſperſis videri etiam poſſint, modo quis attente præparationem illarum aggrediatur. Idcirco in omni motu per harum fibrarum (in primis tamen formatarum ſeu collectarum) influentes ſpiritus ſua elaſticitate & turgeſcentia cauſa efficiens ſunt. Patet enim per experientiam factam, quod nulli fluido præterquam ſpiritibus, per nervos ad fibras motrices, tranſitus concedatur, quoniam reſectis aut ligatis nervis ſubito ceſſat hæc actio, propterea ab ipſis unice inflationem illarum perfici. Per mechanicum experimentum demonſtratur hæc actio: nam in brutis vivis detracta pelle muſculi a tali inflatione abbreviantur & curtantur, & inde motus localis annexarum partium producitur & propellitur. Hæc de motu corporis vario intrinſeco.

384 Solidæ corporis noſtri partes ſe ſolummodo inſtrumentaliter habent, cum non agant propria & intrinſeca ſua virtute,

tute, ſed a virtute matrice impetum obtinent & vigorem, univerſæ autem hæ ſolidæ partes, pro ſitus, figuræ, connexionis, texturæque diſcrepantia, uſibus quoque diverſis inſerviunt, nunc enim fluidas, jam ſpirituoſas partes continent, movent, depurant, digerunt, exaltant, variiſque aliis uſibus aptas reddunt, non tamen aliter, niſi quatenus perenni affluxu perruunt, ab illis ipſis incitantur, & actuantur.

Motus autem, an fiat ſola præſentia & impulſu animæ rationalis vid. ſuperius, dum de animæ actione dictum Tract. 1. cap. 1. §. 5. Ubi dictum, motus aliquos fieri in noſtro corpore independentes ab animæ concurſu, alios econtra immediate ab ipſa derivari.

585 Cum ergo corporis motus aut ejus exercitia, & his oppoſita, otium & quies non parum tam ſanitati, quam longævitati vitæ contribuant, morboſque propellant. Motus temperati utilitates, quas noſtro corpori præſtare ſolent, in eo conſiſtunt, ut mediante motu ſucci alimentarii, & ſanguis attenuentur, & ad

circulationem promptiores reddantur, qua internus calor promovetur, augetur & ex caloris augmento felicior nutritio fiat. Et ut corpus facilius perſpiret & excrementa per proprios ductus deferantur, unde membra atque artus roborantur & ſolideſcunt, tandem horum motus adauctus corpora ab externis injuriis ſeu cauſis ægrotare facientibus magis defendit, & contrario advenienti motui reſiſtit. Sub motu complura genera de-
386 prehenduntur, ut ambulatio, curſus, ſaltatio magnæ aut parvæ pilæ luſus, geſtatio, navigatio, vectio, equitatio. Venatio &c. plura ſimilia, quibus valetudo conſervari poteſt. Unde Aſclepiades pleroſque morbos victu moderato & exercitio medicori profligi aſſeruit.

Frictionem corporis quoque ad motus genus ſpectare voluit Cornelius Celſus, nam qui ſendentariam vitam degunt, & nullo exercitiorum genere utuntur, frictione quam maxime indigere videntur, ut calor excitetur, humores attenuentur, & perſpiratio major fiat, qua plures innoxii humores excernuntur, quam per

per alvi aut urinæ, ſalivæque & narium muci ſolius excretionem. Quæ autem frictio potisſimum ſenibus conducit, quorum orgaſmus excretorius aliunde jam debilitatus & enervatus eſt.

Sub motu denique intelligitur quodcunq; corporis exercitium moderate factum & ad ſanitatem conſervandam utilisſimum, habitu etiam reſpectu loci, modi, ætatis, conſvetudinis, ſexus, dignita-
tis, temporis &c. nec non panem lu-
387 crandi gratia, quoniam *in ſudore vutl-
tus tui panem lucraberis* (ſcilicet per laborem) ac etiam dignitates. Dominus Deus, dum hominem creavit, quæ intentio illius, hæc, ſic *mox ut conditus eſt homo, non ad otium, ſed ad laborem creatus eſt* Gen. 2. v. 15. & alibi: *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* Job. 5. v. 7. Item Proverb. 12. v. 11. *Qui operatur terram ſuam ſatiabitur panibus, qui autem ſectatur otium, ſtultisſimus eſt*, unde etiam quidam Poeta horum meminit, ita ſcribendo:

Mandere qui panem jubet in ſudore diurnum,

Non

Non dabit æternas absque labore dapes.
Poſtquam vero in ſeriis & fructuoſis quibuscunque laboribus ſive corporalibus, ſive ſpiritualibus tempus in bonum commodum ſui & reipublicæ tranſegerimus. *Omnia enim tempus habent*, dicit Eccleſ. non incongruum erit, ſi etiam corpus & animum curis publicis fatigatum debita hilaritate & motu ſeu exercitatione honeſta & debita per amœna & virentia ſeu alia jucunda loca cœloque ſereno & placido inſtituendo, vel ambulando, vel vehendo vel equitando, exagitemus & exhilaremus, illudque robuſtius ad actiones obeundas aptius reddamus, per hoc etiam coctionem & ſecretionem humorum utilium ab inutilium promoveamus, in cujus defectu obſtructiones oriuntur, & plurimorum morborum cauſæ efficientes ſunt.

Optimum itaque ſi corpus exerceatur ad ſudorem uſque, ut menſuram exercitationis ſtabilivit Galen. L.2 de ſanitate tuenda cap. ultimo, quam ad quatuor genera retulit, primo corpus quomodocunque moveri, donec intumeſcat. Secundo

do donec floridum apparet, illud autem in phlegmaticis & ſanguincis, in cholericis & melancholicis plerumque pallidum. Tertio donec corpus laſſeſcat. Quarto ad ſudorem debitum uſque. In multis enim obſervatur, qui continuo aut multum ambulant, laborant, currunt, curru ſat procul vehuntur, venationi incumbunt, multo ſaniores & diuturnioris vitæ eſſe quam qui tota die ſedent, aut ſat parum ſe commovent, & inſuper multum comedunt, aut bibunt, tales enim tarde currentem ſanguinem acquirunt, quo enim exercitium parcius corporis, eo magis particulæ ab invicem premuntur, quibus mutuo hærentibus, omnia membra quaſi rigeſcunt, & tardius moventur, unde hypocondriacis & phlegmaticis motus moderatus maxime ſalutaris, & quo frigidiora & humidiora corpora, tanto magis motus major & adacutior conducit, ita etiam hyemali tempore exercitia majora eſſe debent & corpus magis veſtiri, quam æſtatis tempore ad hoc, ut humores in motu ſuo debito conſerventur.

Poſt

388 Poſt ſumptum cibum levis facta deambulatio aut commotio utilis eſt, eatenus cibi citius digeſtioni incurrunt, & toti corpori nutritionem & robur facilius participant, ſuſpectus autem vehemens motus aut labor ſtatim a prandio ſuſceptus, ſi ſtomachus nimium cibis oneratus eſt, ubi natura ferme omnes vires digeſtioni & non aliis laboribus impendere debet, in quo caſu

Poſt prandium pauſa, nec ſtes, nec eas ſine cauſa.

Unde ſolebant veteres minus in prandio, quam cœna aſſumere, ut facilius poterant ſuis negotiis incumbere, & ut quamplurimi olim parcius in menſa & in diæta vivebant. Moderno autem tempore pauciſſimi, & potius prandium lautius ſumunt, quam cœnam, imo prandium ad ſeram usque noctem vel per multas horas continuant & menſæ inſedent, quaſi pomeridianum tempus ſoli gulæ impendendum eſſet.

Uti vero moderatus motus corpori noſtro ſumme neceſſarius & utilis ex-
389 peritur; ita econtra valde adauctus, ſive

ſive per ambulationem vehementem, ſive per curſum, ſaltum, vel cætera exercitia inſtitutus, vires reſolvit, ſpiritus diſſipat, vitalemque calorem imminuit, unde ſuperfluiditates excrementitiæ ſuperabundant, ſicut ex optimo vino per intenſum calorem & intrinſecum excitatum motum ſpiritus extrahuntur, phlegmate & capite mortuo remanente; ita nimius motus ſpiritus noſtros vitales, & ſolidarum partium ſubſtantiam exhaurit & diſſipat, coctionem præpedit, venas aliosque ſæpe rumpit ductus, unde vomitiones, expuitiones, ac mictiones ſequuntur cruentæ, motu etiam intenſe excitato ſanguis extra venas fertur, inflammationes excitantur, aut etiam ſanguis in venis nimium exagitatus & per arterias fortiter propulſus febres, cordis palpitationes, capitis dolores & apoſtemata, multosque alios languores producit, præſertim ſi penes corpus pravis ſcateat humoribus putredini maxime idoneis, qui valido agitati motu per univerſum corpus feruntur, & in imbecilliore parte tumores & ulcera excitant, ut docuit

Hip-

Hippocrat. 6. Epidem. Sect. 5. ſi impurgatus laboraverit, ulcera erumpent, ſi autem ad inteſtina vel ventriculum depoſiti, vomitus & alvi fluxus enormes protendunt, febres accendunt, aliosque plures morbos pariunt.

391 Dum ſumus ergo ab exercitio nimis fatigati & calefacti, tardi ad quietem nos componamus, prius nec bibendum nec comedendum prodeſt, donec ſanguis æſtuans refrigeretur, & ſpiritus deperditi per quietem reſtaurentur. Sit ergo de quiete

§. II.

De quiete.

Quemadmodum moderatus motus valetudini noſtræ ſummo eſt emolumento, ita moderata quies eidem plurimum confert, & poſt labores dulce lenimen, ut Hippocrates annotavit lib. 2. Aph. 48. in omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudine aufert, cui Poeta conſentit:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.

&

& idem:

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis.

Quidquid in noſtro corpore movetur, niſi reſtauretur, defatigatur, & ſuum
392 robur & elaſticitatem deperdit, illud autem fit, dum ſpiritus per cutis ſpiracula exhalant, unde in diuturnis exercitiis defatigamur & defatigati autem per quietem & alimenti & potus ſpirituoſi aſſumptionem cito reſtauramur, in quibus alias tanta diſſipatio ſpirituum, & particularum tenuiorum deperditio tam cito e maſſa ſanguinea ſuppeditari nequit. Ob continuam etiam agitationem vitiatur ſtructura muſculi, quatenus nimirum plus ſubſtantiæ ſolidæ deperditur, quam per nutritionem reſtituitur, evidens enim eſt, per laborem præcipue nimium non tantum laſſari corpus, ſed etiam emaciari adeoq; ſpirituum copia ordinaria major requiritur ad ſufficientem illarum inflationem & contractionem, contribuit etiam deperditio ſubſtantiæ ligamentorum & cartilaginum circa oſſium connexorum, quæ in magnis corporis exerciti-

is non parum atteruntur, ac conſumuntur, iſta vero ſingula per quietem revocantur, & per novam alimentorum aſſumptionem ſucceſſive reſtaurantur.

393 Etſi vero quies corpori defatigato ſolamen & lenimen adferat, nihilominus multi dantur, qui corpori nullatenus laſſato quietem nimiam tribuunt, & per multum temporis ſpatium parum aut nihil ſe commovent, quibus motus tamen ſumme neceſſarius eſſet. n. 395. Quæ nimia quies & ſedentaria vita omnibus naturis adverſatur, (nec multum juvat obambulatio in cubiculis, imo
394 quandoque plus capiti nocet) Nimia quies itaque corpus ſuperfluiditatibus, quæ non eliminantur, implet, ciborum coctionem, eorumque diſtributionem retardat, ſpiritus infuſcat, vires enervat, corpus obeſum ſegne & invalidum facit. Unde Ovidius:

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Uti autem per exercitia ſeu motum corporis complures morbi profliguntur, imo multi ad dies vitæ immunes a morbo

per

per motum debitum conſervantur:
395 ita e contrario nonnulli morbi ex otio aut quiete ſuperflua corporis progignuntur, ut arthritis, renum & veſicæ calculi, hydrops, ſcorbutus, catarrhi, hinc dicitur vita deſes & otioſa catarrhorum genetrix, præſertim, qui multum vorant, & parum laborant, eatenus enim excrementa ſeu vitioſi humores ex corpore lento pede eliminantur, alimenta non rite aut diu non concoquuntur, ideo crudum alimentum cerebro ſuppeditatur & variæ progignuntur ægritudines.

396 Imo quies ſeu otium ultra modum ſeu neceſſitatem protracta non tantum corpori, ſed etiam ipſi animæ immortali detrimentum adfert, adeoque nunquam in tali quiete corpus & mentem conſtituas, ut otioſus ſis aut eſſe dicaris, neque in inutilibus tempus tranſige, quæ nec animæ nec corpori commoda adferunt, quoniam per otium multæ malitiæ introducuntur. Eccl. 33. v. 29. David poſtquam in domo otioſus remanſit, laboravit adulterio, quamdiu autem ſe in militia exercitavit, non inſultavit ei luxu-

ria. Sic etiam otioſa Samſonis apud Dalilam commoratio, quæ ipſum interfecit. Salomon, dum occupatus eſſet in ædificatione templi, non ſenſit luxuriam; ſed mox recedens ab opere perſenſit inſultum luxuriæ; & deficiens (fæmina inſtigante) ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum. Hinc S. Hieronymus nos opportune monet Epiſtol. 4. facito aliquid boni operis, ut te ſemper Diabolus inveniat occupatum, mens ſaturetur meditatione aut lectione ſalutifera, corpus exercitio, & ſtomachus cibo.

Ne mireris L. B. me dictis theologum imitari, patet perſæpe, medicum & confeſſarium apud ægrotum convenire, ubi quandoque ſermo medici magis ægrotum ad animæ bonum reſuſcitat & commovet, quam confeſſarii. Contingit multoties etiam in defectu ſpiritualis medici, quod tam corpus quam animam medicus ad ſalutem diſponere debeat. Quod ſi itaque quidam otii damna non curet, quæ per hoc corpori nocent, ſaltem animæ ſalutem perpendat, quæ perſæpe per otium deperditur, & anima in

ge-

gehennam mittitur. Quid autem prodeſt homini (ſi univerſum mundum) ſeu omnes utilitates, puta ſanitatem, divitias, honores, regna mundi lucretur, animæ vero detrimentum patiatur: reſtat itaque quærere ſalutem animæ & ſanitatem conſervare corporis & reliqua ſequentur cum benedictione.

397 Eſt itaque quieti in tantum indulgendum, quantum laſſato corpori neceſſe eſt, non autem totam diem vel multis horis in otio tranſigere, & quidem non tantum domi, & in locis obſcœnis, ubi animam inquinant & ſanitatem ſuam privant, verum etiam ad locum honeſtiſſimum ſe conferunt, nimirum ad ipſam Eccleſiam non ad orandum, ſed ad aſpiciendas fæminas formoſas, ubi loco orationis, aut piæ vel utilis meditationis tempus inutiliter, imo peccatis gravibus applicant, non ſibi perpendentes, *Domum Dei & portam cœli eſſe* Gen. 28. v. 17. Dæmones credunt, Deum adeſſe: *Vere Dominus eſt in loco iſto* (ibidem v. 16.) *Et quidem Dominus magnus & potens & terribilis* (Deuteron. 10. v. 17.) *Dominus Excelſus, terri-*

bilis & rex magnus ſuper omnem terram (Pſ. 46. v. 3.) *Et qui habet claves mortis & inferni* (Apoc. 1. v. 18.) *Et Dominus in templo ſancto ſuo* (Pſalm. 10. v. 5.) *Cui millia millium* (*puriſſimorum ſpirituum*) *miniſtrant*, *& decies millies centena millia aſſiſtunt* Daniel. 7. v. 10. o quam grave malum! in templo non tantum fruſtra & otioſe, ſed & inani imo gravi peccaminoſo garritu & intentione tranſigere, quos Deus ipſe abominatur, *Tu ergo* (loquitur Deus ad Jeremiam Prophetam) *noli orare pro populo hoc*, *quia non exaudiam te*: *quia fecerunt malum in oculis meis*, *dicit Dominus*, *poſuerunt offendicula ſua in domo*, *in qua invocatum eſt nomen meum*, Jerem. 7. v. 16. & 30. S. Auguſt. Serm. 2. imitatur quoque hunc textum: Diabolo ductore ad eccleſiæ conventum pergitis, & cum eodem ad æterna tormenta properatis. Non aliter exclamat. S. Chryſoſt. homil. 24. in Matthæum. Ad formas mulierum aſpiciendas in eccleſiam veniunt, non ad orandum. Non quieſcamus ergo ultra modum, neque tempus inutilibus & inanibus rebus (quod idem eſt

ac otium imo multoties pejus.) Perpendamus, ne per quietem nimiam ſanitate deſtituamur, & æterna quiete privemur.

CAPUT V.
De excretis & retentis in genere.

398 CApite 3. enarratum fuit de debita reſtauratione & conſervatione corporis humani, ſcilicet per moderatam cibi & potus aſſumptionem; ut ut autem ea, quæ ingeruntur, non ſingula in reſtaurationem & aſſimilationem corporis applicantur; ſed quædam utilia ab inutilibus ſeparantur, & e corpore per ſuos ductus excretorios educi & excerni debent, idcirco cibus, poſtquam in ventriculum una cum ſufficienti liquido immittitur, fermentationem init, ibique partibus ſubtiliſſimis orbatur, dein ulterius in inteſtinum duodenum protruſus ab immixto ſucco birioſo & pancreatico ultro actuatur diviſioni & ſequeſtrationi ejus ſublevandæ, quibus deficientibus ſuccis ordinario bona ſequeſtratio & fæcum excretio imminuitur aut plane ſupprimitur, quod etiam ex humidi defectu, dum per-

parcus aut nimium generoſus ſeu ſpirituoſus potus ingeritur, contingit, qui, antequam ad inteſtina pervenit, plurimum jam diſſipatur, vel dum cibi nimium adſtringentes & indurati, ut fumo exſiccati, eduntur. Propelluntur vero per inteſtina tam a preſſione partium circumjacentium, quam diaphragmatis & muſculorum omnium abdominis; præcipue autem ab influxu ſpirituum animalium in omnes generis fibras ventriculi & inteſtinorum, mediante enim hoc influxu dura & mollia excluduntur, quamvis priora poſterioribus difficilius, attamen etiam egeruntur. Sic quandoque numi aurei, globuli, fructuum nuclei, oſſicula, capſulæ, ſive pyxides epiſtolis incluſæ devorantur, & libere excernuntur, ſtratagemate vero detecto, nuntiis talibus purgans vel vomitorium exhibetur, & ſic illos pyxides cum epiſtolis incluſis excernere coguntur, & ſecreta incluſa deteguntur. Poſteriora autem ſunt vel fiunt mollia ex nimia potus abundantia, qui ſi non nimis generoſus & juſto aqua dilutus eſt, excreta magis mollia fiunt & alvi ex-

cretionem producunt, quandoque nimiam. Hoc cibi nimis molles & aquoſi quoque faciunt, aut etiam nitroſi, vel corruptioni valde proni. Multum etiam contribuit motus corporis ſeu exercitium n. 385. Cum enim illud movetur, reſpiratio augetur, qua adaucta viſcera imi ventris ſurſum ac deorſum truduntur ac commoventur, & per conſequens motus periſtalticus facilitatur, & excrementa ad exitum protruduntur, quæ extruſio ſecundum proportionem aſſumptorum fieri debet, atque ſemel aut bis ſingulis
399 diebus; ultra enim & diutius in inteſtinis aſſervata ſicciora redduntur. Illa autem excreta per alvum, prout valde ſolida aut cruda vel liquida & potulenta aſſumuntur, liquidiora vel ſicciora excrementa gignuntur. Tutius itaque eſt, ſi potus ſemper in ſufficienti quantitate, ubi minus liquidi accipitur, hauriatur, ut ſupra dictum cap. 3. n. 280. & §. ſequenti dicetur. Quod ſi vero ſufficienter diluatur chylus, inde tenuior fit & facilius per meatus & glandulas in ſanguinem adfertur, cujus per debitum corporis exerci-

tium ſeu motum pars melior in nutritio-
nem, reliquum inutile corpori par-
400 tim per ſeceſſum, partim per inſen-
ſibilem tranſpirationem, nimirum
per cutis poros, evaporatur. Ut Sanctorius lib. de ſtatica medic. notavit, plura & copioſiora excrementa per inſenſibilem tranſpirationem excerni, quam per omnes alias evacuationes ſimul ſumptas, quam tamen coadjuvare debet regio &
tempus calidum, & cibi tenuiores
401 & ſpirituoſiores ſumpti & diluti: un-
de homo dormiens ponderoſior eſt
vigilante, quia in eo inſenſibilis tranſpiratio per ſomnum diminuitur, partim etiam inutilia una cum urina, & quædam etiam per alia emunctoria e corpore excernuntur, quia per excreta & retenta non tantum alvinæ & urinoſæ intelliguntur excretiones, ſed ſunt adhuc alia inutilia & ſuperflua in noſtro corpore, quæ naturæ lege per aliam viam excludi debent, ut ſudores, vapores, fuligines, lachrimæ, mucus narium, aurium ſordes ſeu cerumen, ſputa, ſemen, menſtrua &c.

402 Illa autem, quæ excernuntur, non omnia ſub excrementorum genere complectuntur, quippe & alia e corpore, ut mox dictum, non ut excrementa, ſed velut ſuperflua corpori ejiciuntur, illa vero ſunt, *σπέρμα*, ſeu ſemen virile, ſanguis menſtruus, lac, ſanguis per hæmorrhogias & hæmorrhoides excretus, ex quorum retentione gravisſimi etiam aboriri poſſunt morbi, & etiam ex importuna nimia horum excretione vel fluxu.

403 Sub excretis intelliguntur tam humores corporis utiles quam inutiles. Humor eſt ſubſtantia liquida, palpabilis, in corpore humano genita, illique naturalis. Utilis humor eſt, qui naturæ aliquam utilitatem adfert, qui vero ab alibile humore differt, nam alibilis in ſubſtantiam corporis converti requiritur, humor vero non alibilis ſeu excrementitius nequit a natura converti in ſubſtantiam illius in quo gignitur. Inutiles autem humores dicuntur excrementitii vel per ſe, vel quatenus in ſubſtantiam corporis non convertuntur.

Tandem humores utiles poſſunt fieri quoad quantitatem, quam quoad qualita-

litatem inutiles, ſic ſanguis per ſe eſt utilis, ſerum, ſemen, ſaliva &c. ſi tamen in quantitate vel qualitate vitioſi deprehen-
404 duntur diminui & evacuari debent, ut inutiles aut ſuperflui. Poteſt tamen per accidens inutilis humor fieri utilis v.g. urina tanquam inutilis & ſuperfluus humor corpori rejicitur ex eo, utilis tamen eſt, quatenus abripit materiam ſalino calculoſam ſecum, aut aliam alias facile corpori nocuam. Non minus utiles queunt eſſe humores non alibiles, ut lac, ſemen, bilis, ſuccus pancreaticus, ſerum, ſanguis, menſtrua, ſaliva, lympha, humor oculorum, narium, pericordii, ventriculi, alias humor digeſtivus ſeu ſuccus gaſtricus dictus, aqua parturitionis.

Multiplici vero ac admodum vario modo in corpore humorum ſecretio fit, quippe non ſolius utilis ab inutili aut vice verſa, ſed etiam unius utilis ab altero, quia ex pluribus utilibus ſimul commixtis plura diverſis functionibus deſtinata ſunt; adeoque aliis in locis ſuum ſolvant penſum neceſſe. Nam primo videtur ſecretio fieri in inteſtinis partis chyloſæ a fæ-

fæcibus, dein partis ſeroſæ ac ſuperfluæ a ſanguine in renibus tamquam inutilis ab utili. Aliqui quidem admittunt & putant, per veſicæ poros foris intro
405 ſpectantes materiam urinoſam, antea in vapores tranſverſam, ad veſicam tranſcolari, cui tamen repugnat experimentalis demonſtratio, dum a calculis in ambobus ureteribus hærentibus omnimodam imo lethalem urinæ ſuppreſſionem conſpicimus, ex quo patet, tantummodo per renes urinam tranſcolari & per ureteres ad veſicam adferri. Alia occurrit ſecretio utilis ab utili, ut ſecretio lactis in mammis mulierum, ſeminis in teſtibus virorum, in hepate bilis, in pancreate ſucci pancreatici a ſanguine &c. Hæc cum potius ad primam partem theoriæ ſpectent, idcirco redeo ad ulteriores 6. res non naturales & quidem ad excreta & retenta. De quibus ſit in ſpecie

§. I.

De excretis & retentis alvi & urinæ.

406 Quomodo vero excreta & retenta ſanitati obſint dicenda reſtant. Nam

ſi

ſi excernenda detinentur aut retinenda excernuntur, variæ exinde in œconomia animali turbæ excitantur, quod in hæmorrhagiis videtur exceſſive fluentibus, eatenus enim principia activa ſanguinis ſpoliunt, calorem ejus diminuunt, vel plane morbos frigidos cauſant. Si vero conſvetæ evacuationes ſupprimuntur, morbi graviſſimi exſpectantur, ut hydrops, aſthma, apoplexia, ſcabies, icterus, febres &c. Unde debitam excretionem eſſe oportet, annotante Hippocrate Aph. 75. ſect. 7. Qualia ſint, quæ per urinas ac alvum ſubeunt, & quæ per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus a natura recedat, ſpectare oportet, nam ſi parum, parvus morbus eſt, ſi multum, magnus: ſi valde multum, jam tale fuerit pernicioſum. Optimum denique ſi natura operetur ſecundum aphoriſmum, nimirum, ſi qualia purgari ſeu excerni oportet, excludantur, confert, perferuntque alacriter. Sin contra, difficulter ferunt. Si deniq; evacuatio quævis naturalis viam ſervat naturalem & tam in quantitate quam qualitate convenienti excludatur, valetudini

ni conducit. Quod ſi e contrario v. g. tam alvinæ quam cæteræ excretiones debito non excludantur tempore & via, excitant nauſeam, & inappetentiam, ratione enim multitudinis ſeu quanti vel pravæ qualitatis vis obruitur, & reſiſtentem multitudinem ſuperare haud poteſt. Inde ingeſta corrumpuntur, nec fermentant exacte, quæ corrupta niſi vomitu, vel diarrhœa evacuentur, ventriculi actionem ita conturbant, & irritant, ut omnes ventriculi actiones inordinatas efficiant, quibus depravatis varii & peſſimi moris contingunt, inquiente Hippocrate 2. Aph. 22. Quicunque morbi ex repletione fiunt, evacuatione curantur, & quicunque ab evacuatione repletione curantur, & aliorum contrarietate.

Communis vero lex naturæ eſt, ut ſicut ſuperfluæ humiditates noſtro corpori nutriendæ ineptæ partim per ſudorem, partim per inſenſilem tranſpirationem n.
407 400. exhalent; ita etiam excrementa alvina quotidie ſemel vel bis ex corpore excludantur, pro ut plus ciborum aſſumitur. Quodſi contingit, nutritio puri-

or

or fit, corpus vegetum reddens, bene coloratum &ſanius omnino vivit. Si vero eadem in corpore ultro detinentur alimentum inquinatur, ſanguis impurus redditur, & ſenſim inteſtinorum convulſivam contractionem aut inflationem, tandemque illiacam paſſionem, inducere valent.

408 Alvus adeoque lubrica a potiori majus commodum adfert, quam adſtricta & indurata, quia humores vitioſi ſe una cum alvo ex corpore etiam reliquo exonerant, & multorum morborum cauſas evertunt. Hinc plurima damna fœminæ præcipue ſedentariæ experiuntur, quæ ſi quandoque per octiduum alvum vix ſemel deponunt, variis obnoxiæ exiſtunt morbis, ut catarrhis ad dentes, vel ad pectus aut colum, ut & cephalalgiæ, palpitationi cordis, aliisque ſymptomatibus. Si autem alvus nimis lubrica & diutius contingit, corpus quoque neceſſario alimento defraudatur & contabeſcere incipit, vires conſternuntur, & non raro inteſtina relaxantur, vel abraduntur, unde lienteria, cœliaca, dyſenteria, teneſmus,
409 & alia mala oboriuntur; ſi vero alvi ex-

excrementa ſecundum naturam ſe habeant, mollia, & mediocris conſiſtentiæ ſint, colore ſubrufa, nec admodum fœtida, copia etiam ſecundum proportionem partium ſolidarum ingeſtis reſpondeant, tunc ſalubrem ſtatum indicant.

410 Urina ſimili modo ſi juſte excernatur, corpori confert, ſi vero diutius retinetur, iſchuriam lethalem inferre valet. Hoc non raro ii experti ſunt, in conviviis aut aliis occaſionibus, qui urinam præ verecundia aut ex negligentia nimis diu ſupprimebant non recordantes verſiculi:

Nec mictum retine, nec fortiter comprime anum.

Excretio autem urinæ non rite ponderari poteſt proportioni potulentorum, quo enim major diaphoreſis, minor quantitas urinæ eſt, quæ plerumque a vehementiori motu ſeu exercitio corporis. n. 385. aut etiam a ſolo calore ſuſcitatur, quo tempore minor excretio urinæ fit, utcunq; tamen quantitate liquidis aſſumptis ad proportionem juſtam reſpondeat.

411 Naturalis vero color urinæ fulvus

ſeu citrinus ſine ſedimento apparere debet, quod ſi cum ſedimento, illud album, vel læve & æquale ſit, quod ſi alterius formæ & mixturæ, ſignificare vult vel nimiam voracitatem, vel futurum morbum. Fit etiam urina nimis alba & clara a nimia
412 potus non generoſi aſſumptione, per nimium enim potum præcipue aqueum aut vinoſum debilem & acrem ſalia nimium diluuntur & præcipitantur in renibus, imo retinentur, alias colorem urinæ ſuppeditantia magis exaltatum.

§. II.

De excretione & retentione ſudoris & inſenſilis tranſpirationis.

413 Non immerito ſudor inter excreta connumeratur, nam continet in ſe ſanguis ſuperflua fuliginoſa recrementa, non enim omnis portio urinoſa per renes tranſcolatur; hinc neceſſario cætera per cutis poros evaporari & expurgari debent, quæ autem pro majoris climatis calore, vel exercitio, aut vivendi modo variatur. Hinc videtur in locis calidioribus majorem tranſpirationem fieri, quam in locis verſus ſeptentrionem ſitis, per adauctam

auctam denique humorum quantitatem ex quacunque cauſa factam, v. g. per exercitium majus, vel quocunque modo calefactum, humor ſeroſus in glandulis excretoriis cutis cumulatur, qui per cutem egrediens vel egreſſus aquæ ſpeciem ſeu ſudorem refert.

414 Sudor differt ab urina quoad ſubtilitatem, quia materia ſudoris tenuior eſt, & quia pori cutis minus patent, quam renum, hinc non omnis portio ſudoris per ſolas illas glandulas excernitur, ſed etiam a ſanguine per modum evaporationis per poros cutis eventilatur. Sudor autem eſt naturalis excretio, qui per vehementem calorem excitatur, dum aquoſitates vel humores attenuati in ſudorem
reſolvuntur, ſalubris vero eſt ſudor,
415 ſi tantum noxios expellat humores,
& corpus leve faciat, denique ut non ultra limites extendatur, quippe per ſudorem a potiori febres terminari experientia conſtat: imo diuturnis affectibus perſæpe medetur ſudor, ut cephalalgiæ, paralyſi, epilepſiæ, lui venereæ, hydropi pectoris, rheumatiſmo; iſchiadi & aliis

articulorum dolobrius. Hippocrat. quondam nil magis in curandis morbis ob-
416 ſervabat, quam conſtitutionem aeris cujuscunque temporis, unde ſenex Magnus lib. de diebus judic. num. 1. Plerumque enim hominis natura univerſi poteſtatem non ſuperat. Sanitas a potiori variatur a vario ſiderum præſertim lunæ influxu, aut ab intempeſtivis caloris frigoriſque vicibus, inſenſilem tranſpirationem varie turbantibus, ac etiam a natura flantium ventorum & halituum terræ, ut poſt terræ motus frequentes, ac pariter æquinoctiali ac ſolſtitali tempore.

Si vero ultra modum ſudor protraha-
417 tur, nativi calidi aliquid diſſipat, corpus diſſolvit, vires dejicit per ſpirituum & fermenti diſſipationem, tabefacit morbum, & ſæpius frigidus ſudor mortem præ foribus portendit, prognoſticante Hippocrate ſect. 4. Aphor. 37. Sudores frigidi, ſi cum febre aucta profluant mortem oſtendunt.

418 Multi etiam mortalium reperiuntur, qui difficulter ſudant, illud autem tribuendum vel pororum & glandulorum angu-

anguſtiæ, vel dum cutis infra ſe eſt ni-
mis pinguis, vel viſcidus ſanguis, & pa-
rum ſpirituum habens: etſi vero quidam
non multum ſudant, inſenſili tranſpira-
tione ſeu evaporatione tamen non
419 carent, iique plus mingunt, quodſi
ſudor vel quoque inſenſibilis tran-
ſpiratio prohibeatur, vix non ſemper ine-
vitabilis ſequitur morbus, ut pleuritis,
peripneumonia, febres, hydrops, &c;
ſi vero legitima tranſpiratio & quando-
que ſaltem bis in ſeptimana ſudor proce-
dat, corpus ſanum & bene diſpoſi-
420 tum evadit, præſertim in ſubiectis
humidioribus, quibus ſudor & alvus
ſæpius proveniens ſalutaris eſt.

§. III.

De menſtruo fluxu, & ſpermate virili.

Sanguis menſtruus, ſi ullus ſanguinis,
tunc certe iſte moderatus fluxus eſſe de-
bet mulieris temperaturæ & conſvetudini
quoque conveniens. Qui in virgi-
421 nibus ab anno 12. vel 14. & 16 & quan-
doque præter propter tardius erum-
pere ſolet, raro citius, niſi ob infirmam
conſtitutionem corporis, ut quædam

4. 5. 6. 7. 8. anno hunc fluxum jam paſſæ ſint, annotante Fernelio pathologia lib. 6. Kerckringio Spicilej. Anatom. Obſervat. 12. & 87. Tulpio lib. 3. Obſerv. 36. Bartholino Hiſtor. Anatom. Cent. 3. 91. Imo ab ipſo nativitatis die, aut brevi poſt, menſium fluxus obſervatus fuit a Senckio Obſerv. lib. 4. ab Alberto Magno lib. 2. phyſices. a Bourgoiſia lib. obſtetricandi Obſervat. 17. a Bochnio circul. anatom. programat. 16. Omnes tamen præmatura morte abreptæ ſunt. Na-
turali ergo lege & a potiori 14. aut 16.
422 hic fluxus inchoatur, prout de-
nique vaſa uterina ſerius aut etiam maturius ad ſuam perfectionem deveniunt: dum denique regio pubis lanugine exornatur & mammæ ſororiantes elevari primum cum prurigine moleſta incipiunt; genitalia vero prævia corporis inſigni laſſitudine, æſtu circa uterum, titilatione circa pudendum, aliiſque plus minus gravibus ſymptomatibus concomitantur.

432 Tandem hic fluxus menſtrualis apud fæminas ordinario anno ſuæ ætatis

qua-

quadrageſſimo vel 45. vel 50. deſinit raro ſerius uſque, & quidem ſingulis menſibus ſemel, niſi obſtaculum interſit gravidationis, vel infirmitatem pro priori patiebantur. Quæ menſtrua ordinario per tres aut 4. dies, in quibusdam et-
424 iam acri & pletorica conſtitutione
præditis per 6. aut 8. dies a lunæ diverſis quadris commoventur, cum non omnium ſanguis & ejus fermentum a quolibet lunari æthere mutetur & actuetur, ſed a certo tantum. Quod ſi vero menſtrua ultra 50. annum exceſſerunt, apud multas ad 60. annum continuantur, & nonnullæ illo tempore pepererunt. Plinius memorat quorundam lib. 7. cap. 14. Volumnium quondam natum ex matre 62. annorum ſenectutis ſuæ, mater erat Cornelia e Scipionum familia, & Maſiniſſam reginam poſt 80. annum genuiſſe filium, itemque Catonem Cenſorium in ætate 80. annorum. Savonarola tract. 6. cap. 22. Nicolaum de Palavicinis filium a ſe genitum in 100. anno. Valeſius a Taranta de quadam teſtatur, quæ 67. ætatis anno prolem genuerit. Rara autem

de facto talia dantur exempla, quoniam natura jam nimium debilitata exiſtit, & homines nimis mature ducere ſolent.

425 Non autem abſque omni fine hic fluxus menſtruus fæminas moleſtat, quia non tantum ſecum vitioſas alias corpori noxias particulas in ſanguine redundantes educit, verum etiam hoc menſtruo ſanguine nutrimentum fœtui in utero exiſtenti adfertur, cum plerumque fæminis materiæ nutritivæ quantitas obundet non ſolum ad ſui conſervationem; ſed etiam ſi imprægnatæ fuerint, aut recenter peperint pro nutriendo fœtu.

426 Unde fluentibus menſtruis tempore gravido ſi præciſe non fiat ob magnam plethoram, fœtum non diu perſiſtere poſſe, quod affirmat Hippoc. ſect. 5. Aph. 61. ſi mulieri utero gerenti purgationes menſtruales procedant impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum, vel ut inquit Ariſtot. 7. de generatione animalium cap. 2. tunc proles procreatur, aut minus vitalis, aut infirma.

427 Menſtrualis itaque hæc purgatio in fæminis, tam qualitatem vitioſam quam

quan-

quantitatem excernit, per hanc enim natura fæminas expurgat, ut purget & depuret; hinc magis ſanguis depuratur & exoneratur.

428 Nec tamen nimia nec diminuta fieri debet hujus fluxus expurgatio, ſiquidem Hippoc. Aph. 57. Sect. 5. ait, ſi menſtrua plura fiunt, eveniunt morbi, & ſi non fiant vel ſiſtantur, ex utero morbi fiunt. Ex quo elucet, illam copiam vitioſorum humorum ſive excrementorum aggregatam & non expulſam cauſam eſſe multorum malorum, n. 425. ob hoc
429 ab interdicta hac purgatione accidunt melancholia, inſania, mania, apoplexia, epilepſia, ſterilitas, uteri ſuffocatio, cancer, cephalalgia, cachexia, hydrops, arthridis, icterus uterinus, febris, cordis palpitatio, deliquia & ſexcenta alia mala, quæ pravam ſanguinis qualitatem ſequuntur & coinquinant. Fa-
430 cile autem hic fluxus ſanguinis menſtrualis impeditur vel ſupprimitur, nimirum dum per malam victus rationem aut nimiam tam in- quam extrinſecam refrigerationem, vel etiam a nimia ſedenta-

ria vita, vel prænimis pauco motu, quod virginibus & domicellis delicatis contingere ſolet. Fluentibus itaque menſtruis omnia frigida, acida, flatulenta, cruda vitentur, refrigeratio pedum in non aſſuetis quam maxime nocet &c. Vina quoque generoſa nimium pota, ira, terror, amor &c. impediunt hunc fluxum. Nimius non minus motus ſeu defatigatio magna pariter hunc fluxum demit.

431 Quod ſi quibusdam menſes nimium fluant, multorum morborum etiam cauſa ſunt, & facile fæminæ cachecticæ, ſcorbuticæ, tandemque hydropicæ vel ſteriles redduntur, etſi quidem concipiant, nihilominus poſt ſecundum aut tertium ingravidationis menſem plerumque abortiunt.

432

433 Aliter autem de viris eorumque excretione ſeminali ſentiendum, qua viri impune per multum temporis ſpatium, vel ſemper carere poſſunt; imo ſanitati & longævitati vitæ ſeminis rara profuſio potius conducit, quam obeſt, ut in religioſis ac cælibem vitam agentibus,

434 nec non caſtratis, aut caſte viventibus

tibus experientia docet: in iis enim materia ſemini deſtinata nutritioni impenditur, hinc pinguiores etiam evadunt, ac longiore vita fruuntur. Spiritus animales pariter plus in corpore retinentur, ejus uſibus neceſſariis inſervientes, qui in venere & profuſione ſeminis alias plurimum diſſipantur, & tanto plus, dum coitus ſeu excretio ſeminis ſæpius contingit, quia ad ſeminis exploſionem ſpiritus requiruntur. Quo autem minor quantitas materiæ ſeminalis, quæ magna eſſe non poteſt, ſi venus frequens celebratur, tanto major quantitas ſpirituum ad exploſionem ſeminis requiritur, quo vero major quantitas materiæ ſeminalis, minor quantitas ſpirituum concurrit & requiritur. Ideo venerem raro exercentes exinde vix aliquam laſſitudinem advertunt, quia non magna quantitate ſpirituum indigent. Nihil autem magis corpus debi-

litat, & enervat, quam frequens ve-
435 nus, quia per frequentem coitum &
excretionem ſeminis ſanguis depauperatur ſucco nutrititio & ſpiritibus: unde tot morbi, & labefactata exinde natu-

ra

ra vix ſuperabiles, ut tabes, hydrops, podragra, apoplexia, gonorrhœa, puſtulæ, & inflammationes penis, febres, phtyſis, hectica, incontinentia urinæ, oculorum ac cerebri nervorumque debilitas, triſtitia &c. imo omnibus ſenſibus adverſatur, unde olim venus ab ipſis Epi-
436 cureis damnabatur. Veneris denique frequens palæſtra omnibus viris nocet, ſummopere ſenibus, quibus
437 vix rariſſima conducit. Ac etiam juvenibus præmatura ætate inchoantibus, debilibus & convaleſcentibus, ac
438 etiam illis, qui multum ſtudiis aut aliis capitis ſpeculationibus & laboribus gravibus incumbunt. Tandem quid aliud frequens venus ſucceſſu temporis & quidem præmaturo procreat, quam vitæ omnium rerum acceptiſſimæ abbreviationem.

439 Ut itaque venus valetudini non obſit, ejus uſum moderatum & perquam rarum, tempore etiam convenienti eſſe oportet. Inprimis quoad anni tempus Hippocr. tempus vernale optimum eſſe cenſuit, ut ſupra jam mentio facta cap. I. §. 4. n. 79. cui etiam conſentit Palingenius poeta his verſibus: *Parca*

Parca Venus laudanda quidem eſt: hæc una calorem
Excitat, hæc hilares animo facit: inde ſequuta
Membrorum levitas, torporem expellit, & infert,
Spiritibus vitam, præſertim ubi purpureum ver
Autumnusve ſuum exponit maturus honorem.
Tandem hyeme, atque æſtate Venus lethale venenum eſt.
Crebra Venus nervos, animum, vim, lumina, corpus,
Debilitat, mollit, ſubripit, orbat, edit.

Quæritur: cur quidam facilius jejuno,
440 alii pleno ſtomacho venerem exerceant, quia poſt bacchi & cereris munera? ſpiritus promptiores & vegetiores fiunt, eo homo ardentius veneris concubia init; utcunque autem pleno ſtomacho mox transacta venus nocet, quatenus concoctionem lædit. Tales utcunque ſunt depauperati ſpiritibus & materia ſeminali. Econtra qui mane aut jejuno ſeu a potiori peracta digeſtione celebrant,

ii fortiores natura ſunt, itaque ſemper & omnibus magis conducit, ſi poſt peractam ferme ciborum digeſtionem venus exerceatur, ne concoctio impediatur ciborum, præcipue ſtomacho debili
441 gaudentibus. Non minus valde nociva venus eſt poſt exercitia valida corporis, vel poſt nimiam triſtitiam vel iram, aut in crapula & valde onerato ventriculo perpetrata, neque tempore inediæ venus proficua deprehenditur, imo vix excitatur, quoniam ſine Baccho & Cerere friget Venus, ut Ovidius de arte amandi.

Luxuriat raro non bene paſta caro.

Nec etiam poſt immodicas evacuationes alvi vel per ſe vel pharmaco excitatæ quocunque laxativo, nec poſt ſudorem aut ſanguinis profluvium nimium.

442 Inter cætera excreta adhuc ſpectant ſaliva, lachrimæ, mucus narium, cerumen aurium &c. Saliva eſt humor ſeroſus, ſubviſcidus per arteriarum carotidum ramos ad glandulas ſalivales a ſanguine ſeparata, & exinde per tubulos excretorios in os deducta ad fau-

ces

ces & æſophagum humectandum & lubricandum, quæ deglutita cum cibis, vel per ſe ciborum digeſtioni ſuccurit. Non enim ſolus ſuccus gaſtricus in ventriculo verum etiam humor ſalivalis chylificationem promovet. n. 102. quod demonſtrat maſticatio in ore detenta colorem magis albicantem repræſentare, quod jam faciliorem chylificationem indicat: inſuper ſaliva in ore appetitum ciendi vim obtinet: quippe ore admodum ſicco ordinarius ciborum guſtus non ſentitur. Ideo ſaliva non multum exſpui debet, ne exinde per denegatam deglutitionem digeſtio ciborum retardetur, & flexilitas fibrarum impediatur, ſed ut ſtomachi & ejus æſophagi meatus aliquo modo ab ea hu-
443 mectentur neceſſe eſt. Quapropter
ſaliva non pro inutili excretione ſeu excremento haberi debet, quia in ea ſalis rubri magna copia adeſt, quod ſal chylo & ſanguini immixto fermentationes promovet & excitat, hinc non ut inutilis liquor cenſendus & ab ore continuo per malam introductam conſuetudinem ſpuendus eſt, ſed multoties deglutiendus.

De qua autem præſupponitur, ut ſaliva ſana, non ſcorbutica, aut venerea, vel quocunque modo vitiata reſtet, quæ potius exſpuenda, quia per ſalivam multi morbi propagantur in aliud corpus vicinum, v. g. per oſculum aut per halitum, vel per quodcunque vaſculum ad alterius os, quod per ſalivam inquinatum eſt &c. Hoc manifeſtatur deinde per nauſeam ægrotantium affectorum, aut plane per vomitum, cardialgias, calores viſcerum, per puſtulorum eruptionem in ore aut plane per æſophagum ad ventriculum usque &c. hinc tali tempore bene fit, ſi ſaliva non deglutiatur ſed exſpuatur, præcipue tempore contagioſo vel infirmos malignos viritando. Cæteroquin ſana ſuo corpori non inutilis, ſed ſuo ſale blando imbuta & deglutita ventriculi & inteſtinorum ſordes mundat, & diluit, plicis & fibris ventriculi debitum tonum retinet & roborat. Non minus ſuas utilitates ſaliva in chymicis laboribus demonſtrat, ut in mixtione mercurii ſublimati & Jovis cum aqua forti & cæteris ſalibus. Qualem tandem ſaliva ſaporem

porem vel amarum, dulcem, acidum, ſalſum &c. in ore manifeſtat, talis quoque conſtitutionis erunt ſpiritus & humores in filtris.

444 Ex Anatomia conſtat, quemque oculum binas poſſidere glandulas, quorum minor ſita eſt in cantho oculi interno, major in parte ſuperiore verſus angulum ſeu canthum externum, ex quibus glandulis continuo humor ſubtilis ſeroſus, limpidus in pauca copia emanat ad internam oculorum ſuperficiem irrigandam, qui humor ſi in majori copia prodire incipiat, quam ſenſibiliter diſſipari poſſit, concreſcit in guttas ſeu lachrimas ſub aquæ ſpecie ex oculis profluens, qui ſi tamen continuo & involuntarie emanare ſolet, morboſum quid portendit.

Lachrimæ inter humores inutiles recenſentur, infantibus tamen & petentibus ſeu mendicantibus utilitatem moralem adferunt, qui enim ejulatu & lachrimarum effuſione ſublevari expoſcunt, utique auxilium & miſericordiam citius impetrant, quam non lachrimantes.

tes. De quibus Ovidius de arte amandi:

Et lacbrimæ proſunt, lacbrimis adamanta movebis.

Nares duobus cavitatibus inſtructæ ſunt, interius craſſa quadam membrana, vaſculis ſanguiferis denſiſſime refertis, plures etiam glandulas poſſidentes, ad quas per arterias membranæ inſertas
445 tranſſudat humor viſcidus & ſubalbidus, dictam membranam humectans, ne aer nimium exſiccet & olfactum afficiat. Qui humor copioſus tranſcribratus ab aere præcipue frigido ſub forma muci craſſioris apparet. Unde in hyeme gelida multo craſſior iſte humor emittitur, quam in æſtate ſeu tempore calidiore. Id aeri frigido abſcribendum quatenus glandulas ſupprimit & nervos magis irritat. Propter minorem etiam tranſpirationem, humor etiam magis augetur. Unde multoties catarrhi. Humor etiam iſte magis vel minus ex maſſa ſanguinea cumulatur, prout propter erratum in diæta humor viſcoſus redundat. Qui ſi per alias vias, hic parum excernitur.

446 Tandem tranſſudat quidam hu-

mor

mor craſſus per glandulas, per ſuperficiem membranæ ſeu pellis meatum auditorium interius inveſtientis, qui viſcidus, flavus & ſubamarus eſt, obliniendo meatum auditorium ſenſum auditus promovet, quod ſi inhibetur ejus effluxus, meatum auditorium obſtruit, ſoni perceptionem impedit. Adeoque, ut inutilis & ſuperfluus atque nocuus humor auditorio ſenſui expurgandus quandoque eſt.

CAPUT VI.

De ſomno & vigilia in genere.

447 QUemadmodum naturales vires in perpetuum ſubſiſtere nequeunt, ut non ſuam elaſticitatem deperdant: hinc etiam, poſtquam naturalis noſter vitæ curſus per multivarios motus infringitur & relaxatur, neceſſe eſt, ut per quietem reſarciatur. Quapropter author ſummus naturæ protector alternas noctis ac diei vices produxit, ut per diem homo cum aliis animalibus & rebus creatis a motu, calore ac irradiatione ſolis in motum conſtituatur, de nocte vero a motu aliquantulum quieſcat & ſe ſomno tradat, a

quo plus vires refocillantur, quam ſi multis diebus corpus quietum eſſet abſque omni ſomno. Unde etiam contingit hominibus multum vigilantibus, dum omnem&totalem elaſticitatem deperdunt, illorum ſpiritus immobiles fieri, & corpus trunci inſtar cadere & ſopidum evadere. Ut itaque homo & cætera animalia in ſalubri ſtatu permaneant, & ſuas actiones perficiant, motum cum quiete interpoſita requirunt. Nempe ut per diem variis exercitiis & laboribus corpus onerent & commoveant, de nocte autem per ſomnum ab iis ceſſent. Quid vero ſomnus & vigilia & qualiter fiant & cauſentur, cujuſque neceſſitatis ſint, plura dicam in ſequenti §.

§. I.

De ſomno & ejus exigentia.

448 Somnus eſt ſeu tunc fit, dum ſenſus externi a ſua operatione ad reſtaurandam ſpirituum jacturam, vireſque refocillandas quieſcunt & ceſſant, hoc autem fit, dum pori per quos ſpiritus animales per cordicalem ſubſtantiam cerebri in nervos defluunt, laxantur & decidunt ſeu

non

non ſatis ſpirituum influxu turgentes ultro clauduntur & obdurantur, ob quorum defectum etiam tam ſolidorum quam fluidorum tonus laxatur, per id torpor, membrorum concidentia, neceſſitas decumbendi exoritur: ubi itaque talis obſtructio & relaxatio contingit, ſpiritus quoque deficiunt, ut motores principales tam ſolidorum quam fluidorum, qui illuc confluunt; hinc nervorum filamenta fatiſcunt, & ſibi ipſis quodammodo adhærent & innectuntur. Quod ſi interim aliquod objectum quandam noſtri corporis partem aggrediatur, illius impreſſio ad cerebrum ob defectum ſpirituum tranſpelli nequit, ac proinde ſequitur, ut nulla inde ſenſatio reſultare poſſit: præterea muſculi tunc inanes & ſpirtibus inopes flaccidi evadunt, non amplius membra movent, nec ultro corpus in ſtatu certo retinent, ac ſi omnino interiiſſent. Hinc ſomno obruente corpus ſtare nequit, palpebræ clauduntur, genua labant, corpus totum proſternitur quaſi mortuum, unde ſomnus dicitur imago mortis, canente poeta celebri Oweno:

Si ſomnus nihil eſt niſi mors, nil mors niſi ſomnus,
Quo plus in vita dormio vivo minus.

Quod ſi itaque ſpiritus non ſatis ge-
nerentur ad expanſionem ſufficientem
excitandam, vel ſi languidi ſpiritus de-
prehenduntur, & illi non fortiter deter-
minantur ad obiectum aliquod, ſomnus
introducitur, qui vero multas curas
449 habent, & ſpiritus continuo in ſen-
ſorio communi determinant & im-
pellunt ad hoc vel illud negotium, ut a-
vari, die nocteque de pecunia cumulan-
da, ac etiam ambitioſi, de honoribus al-
tioribus quærendis ſolliciti, apud quos
hæ curæ ſpiritus inquietos & hominem
minus dormire vel plane vigilare faciunt,
aut ſaltem difficulter obdormire quamdiu
enim cerebrales canaliculi a ſuccis tranſ-
fluentibus rite expanduntur, tamdiu vi-
gilat homo, quando autem hi meatus ob
varias cauſas collabuntur, illa expanſio
a ſuccis non vel ſaltem non tam alte
450 contingit, dormit. Unde quibuſdam
ebrioſis ſopor altus excitatur, quo-
rum ſanguis viſcidus & tenax eſt, magis
ali-

aliunde ad ſomnum propenſi ſunt, horum canaliculi cerebrales per vinum expanduntur nimium, hinc viſcidiores ſucci, ad illas partes deducti, evaneſcentibus partibus ſpirituoſis vini, ibi ſubſident, illas glandulas obſtruunt, altumque ſomnum, imo quandoq; apoplexiam introducunt.

451 Utcunque igitur cauſatur ſomnus ab animalium ſpirituum parſimonia aut ab eorum motus diminutione ſeu etiam incraſſatione, ut ſomnus pharmaco productus v. g. opio, papavere, mandragora, pſyllio, cerebrales canaliculi incraſſantur & obſtruuntur, quatenus pauciores ſpiritus ad cerebrum mittuntur, ut tranſcollari poſſint: ita etiam cibi craſſiores & diſpepti ſomnum & torporem inducunt, quoniam ſpiritus animales in nervis ventriculi figuntur & aggravantur, & ratione conſenſus inter ſtomachum & cerebrum, organa in cerebro ſtupefiunt.

452 Colligitur ergo, ſomnum ob duplicem principalem cauſam induci, primo quatenus ſpiritus deficiunt in ſufficienti quantitate, ut poros cerebri apertos ſervent, eosque inflent, quo motus ad

cerebrum adferri poſſit. Secundo tum pori in cerebro implentur ab humore pituitoſo viſcido, hinc omnia cruda, viſcoſa multum aquoſa & frigida ſomnum pariunt, ex quibus tarde ſpiritus eliciuntur, aut jam generati involvuntur, & a motu ſuo inhibentur & retardantur, fibrarumque laxitas conſtituitur, hinc ulteriorem & plurium ſpirituum ſecretionem a ſanguine impediunt.

453 Somnus adeoque ſumme neceſſarius eſt, ut ſpiritus congregentur & vires refocillentur, atque elaſticitas reſtauretur. Sunt enim ſpiritus cauſa movens organa, dum in nervos influunt & elaſticitatem fibris tribuunt, qui ſi non reſtaurantur, vitam non diu ſanam vel plane
non duraturam diu eſſe deprehende-
454 remus. Dormiendum ergo homini
tamdiu eſt neceſſe, donec plane refectus eſſe animadvertitur. Absq; ſomno nec vires nec robur recipitur, deficiente enim ſomno, maxima membrorum laſſitudo, & naturales functiones deficiunt, ut chylificatio, ſanguificatio &c. per ſomnum vero excrementorum expulſio per

con-

conſequens facilitatur, laſſitudo auferatur, hinc expergefactus ſomno ſufficienti, ſe leviorem homo ſentit, humida ſubſtantia inſtauratur, quia per ſomnum inſenſilis tranſpiratio minor fit, a qua humores cumulantur, ſpiritus quoque ſopiti ſeu inquiete conſtituti pondus adaugent, dum vero ſe movent, corpus levius eſt, cum omne ſubtile & poroſius ſurſum facilius pellatur, hinc etiam ſpiritus quaſi corpus ſecum ſurſum trahunt, & preſſioni athmoſphæræ reſiſtunt.

455 Somnus vero moderatus eſſe debet, qui ſanitati optime confert, & alimenta concoquere & diſtribuere adiuvat, quatenus nimium ſanguinis impetum ac acredinem imminuit, ſpirituum vero copiam adauget, a quo non ſolum univerſi nervorum tubuli intra cerebrum inflantur, ſed & ipſi muſculi corporis noſtri expanduntur, & nutritioni via panditur, exinde corpus pingueſcit. Qua de
re in ſomno non tam celer conco-
456 ctio atque diſſipatio chyli & ſpiritu-
um fit, unde plus nutritioni aſſervatur & ſucceſſive impenditur, hoc hiſto-

riæ teſtantur in ſomno vivens corpus diu abſque alimento novo perſiſtere poſſe, ut narratur de urſa 40. dierum ſpatio ſine cibo noviter aſſumpto vivere; non minus etiam glires, ſerpentes, herinacei & alia animalia inſecta longo diuturnoque ſomno ferme per totam hyemen patiuntur, quo tempore parum aut nihil moventur, parum etiam conſumuntur atque perſpirant, imo plus pingueſcere, ut de urſis experientia docet, per id temporis ſpatium 40. dierum, quo dormit, ita pingueſcere, ut ſe vix movere queat.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Legitur etiam, aviculam in Braſſilica regione inveniri, quæ abſque ſumpto pabulo veluti mortua roſtro ex arbore ſuſpenſo vivat per 6. integros menſes. Et Martin Cremerius refert, nonnullas aves minores velut cypſelos & hirundines implicitis inter ſe pedibus conglobatæ in lacus, paludes, & piſcinas ſub hyemis initium ſeſe immergere, vere adveniente autem noviter emergere. Ita non mi-

minoris admirationis ſunt inediæ ab hominibus factæ, de quibus plena ſunt monumenta. Laertius Diogenes de vita Philoſophorum, Epimenidem Philoſophum tradit, nunquam edere viſum fuiſſe, ſed quinquaginta & ſeptem annos perpetuo acquieviſſe ſopore. Petrus de Albano refert, in Normandia ſuo tempore mulierem extitiſſe, quæ per decem & novem annos nil cibi deguſtavit. Athenæus lib. 2. Dipnoſophiſtorum more quotannis bimeſtre tempus abſque ullo alimento deliteſcebat. Hinc Hippoc. 6. Epidem. Com. 5. t. 10. inquit, ſomnus vi-
ſceribus cibus eſt, omnem evacuatio-
457 nem tollit præter ſudorem. Sudores
etenim nocturni, quamvis in quibus-
dam ſubjectis tempore ſomni appareant, vel fiunt a nimia colluvie ſeroſa, quæ per intervalla colliguntur, & a natura poſtea ad extremitatem cutis extruduntur, vel a conſtitutione temperamenti calidi, vel etiam a nimiis tegumentis, aut etiam ſpirituoſi aut acris aſſumpti cibi vel potus
cauſa, naturaliter vero & in ſano ſtatu
458 contingere vix ſolent. Cæteroquin

ſo-

ſomnus etiam dolores ſedat, animi moleſtias abigit. Nimirum

Hic hominum pellit curas, & feſſa diurno
Membra labore levat, revocatque in corpore vires:
Quo ſine non potis eſt quisq; producere vitam
Ac eſt afflictis magnum ſolamen, & omni
Optandum voto interdum, præcordia quando
Angit amor, vel morbus atrox, vel caſus acerbus.
Tunc melior gemmis, tunc fulvo eſt gratior auro.
Ut mors, ſic ſomnus miſeros felicibus æquat.

§. II.

De ſomno excesſivo.

Ut ut autem ſomnus moderatus ſumme neceſſarius & naturæ proficuus
459 cenſetur; ita econtra immoderatus ſanitatem deſtruit, nam naturales evacuationes protrahendo per ſomnum retinet, crudos congregat humores, ſpiritus animales torpidos reddit, caput vaporibus craſſis per ſanguinem adductis replet. De hoc ſomno poeta:

Infert multa tamen damna, & caligine quadam

Ob-

Obducit mentem, morbosq; inducit, & ipſum
Enervat corpus, quoties ſine lege modoq;
Sumitur, & nimium torpentes occupat artus.

Qui itaque nimium ſomno indulgent,
horum canaliculi nimis anguſti conſtru-
untur, ingenio quoque hebetes, capite
gravi evigilant & incedunt, quo enim per
conſvetudinem hanc pravam diu dor-
460 miendi majorem laxitatem partium
adipiſcuntur, magis propenſi omnino
ſunt ad longiorem capeſcendum ſo-
mnum; ita etiam quanto laxior conſtitutio
partium ſolidarum ac fluidarum in quo-
dam homine, ut in nimium laborioſis per
totam diem, vel infantulis, vel pituitoſis
naturis, tanto magis proclives ad ſomnum
ſunt. Adeoque ſomnus & vigilia, ut lon-
gæ vitali vitæ conducant, nec in exceſſu
nec in defectu tranſgrediantur limites, ut
Hippocrat. 67. ſect. 7. monet, ſomnus &
vigilia utraque, ſi ultra modum fuerint,
morbum pariunt.

461 Quæritur jam primo: utrum ſo-
mnus pomeridianus conducat ſanitati nec
ne? cum Hippoc. 2. program. II. inter-
diu vigilare, nocte vero dormire jubeat.

Repſ.

Reſp. qui de nocte ſatis dormiunt, iis nec prodeſſe nec neceſſe eſſe affirmo. Nam ſomnus exinde nimius fit, per quem negotia multa negliguntur & procrasſtinantur, & multoties viduis & pupillis, aliiſque miſeris & egentibus, ciborum concoctio prolongatur, illis vero gravitas ſeu cruditas in ventriculo generatur, ructus acidi eduntur, flatus generantur, dein cœnam iterato aggrediuntur ante concoctos priores cibos meridianos, varias etiam excretiones ſeu excrementa retinent a quibus catarrhi.

Febres, pigrities, capitis dolor atque catarrhus.

Hæc tibi proveniunt ex ſomno meridiano.

Nulla tamen regula ſine exceptione. Ita non omnino interdictum eſſe ſomnum meridianum, ſed per unam aut alteram horam ut ratio exigit, concedi debet, præcipue defatigatis ſenibus, emaciatis, magnas curas aut ſtudium ingens, aut noctes inquietas vel plane abſq; ſomno habentibus, bilioſis, in regione calidiore habitantibus. Notandam prætera, ne ſtatim a ſumpto cibo, neq; meridiano, neq; veſpertino ſo-

ſomno indulgendum eſſe, ſed finita una alterave hora. Nimirum

Poſt cœnam ſtabis aut paſſus mille meabis.

462 Non minus quibuſdam naturis longior & pomeridianus ſomnus conducit, ut a morbo reconvaleſcentibus, item mulieribus, & iis, qui ventriculum debilem habent, aut qui ſpiritus per exceſſus venereos multum abalienant. Tales omnes ſpirituum refocillatione opus habent, qui ſpiritus in ſomno minime ita diſſipantur imo plus generantur & aſſervantur, quam dum vigiles ſumus: niſi per pollutines nocturnas, in ſomno involuntarie
contingentes, depauperentur, & hæ
463 multo magis debilitant & enervant
corpus quam in coitu; ſiquidem in ſomno ſenſus externi ſunt ſopiti, & tota natura cum ſpirituum ſatellicio ad interiora ſeſe colligit: calor ſeu ſpiritus univerſus ad viſcera refunditur, quo fit, ut, cum ſeminis contingit excretio, maxima por-
tio ſpirituum plus diſgregatur quam
464 coeundo. Et hoc utcunque accide-
re ſolet, dum quis in dorſo incumbit lecto, præſertim calido vel calefacto

cor-

corpore, per potus generoſos & cibos aromaticos & ſubſtantiales, utcunque pomeridiano & veſpertino tempore aſſumptos.

Quæritur ſecundo: Quot horis dormire ſufficiat? & an ſe quis horis ſtatutis, ut carmina ſequentia ferunt, accomadare debeat.

Quinque horis dormiſſe ſat eſt juvenique ſenique.
Ipſa parens rerum ſeptem tibi deputat horas.

aut etiam:

Quinque horis dormiſſe ſat eſt juvenique ſenique.
Sex mercatori, ſeptem de ſtemate nato.
Octo damus pigro, cui nulla negotia curæ.

465 Ad hoc Reſp. non abſolute tempus dormiendi unicuiq; ſtatui poteſt, circumſtantiæ enim variæ ſunt, quæ plus aut minus dormire ſinunt. Optimum & ſufficientem ſomnum capeſcendum tot horis eſſe arbitror, poſt quot horas ſomni ſe homo plane refectum & quaſi leviorem & alacriorem eſſe animadvertit. Et hoc ſomnum quiſque, excluſa pigritia, facile determinat, qui ſuum ordinarium

rium & moderatum ſomnum 5. 6. vel 7. horis capit, qui autem eſt impeditus, & per multa & majora fatigia corpus ſpiritibus orbaverit n. 461. & n. 462. tali etiam longior ſomnus concedendus eſt.

466 Quæritur 3. cur quidam homines certa hora, aut etiam quidam citius, alii tardius evigilent,&cur jacentes citius obdormiant. Pariter: quare ex frigido in calidum locum venientes homines propenſiores ſint ad ſomnum. Quod ad primam, dico, quod conſvetudo naturam determinet,apud tales enim tanta & ſufficiens copia ſpirituum pro inflandis tubulis nervorum & muſculis tanto tempore ſomni generatur,ut excitentur& evigilent,ſicut qui certis&conſvetis horis comedunt,directe illa hora ſollicitabit appetitus cibos, quo certo tempore ſanguis per circulationem ductus, ad ventriculum tantum deponit ſtomachalis fermenti, quantum famem excitandi ſufficit. Ad ſecundam quæſtionem reſpond. ille homo citius evigilat,qui minus tenacem & viſcoſum ſanguinem habet,ex quo facilius ſpirituum copia generari poteſt, quam ille, cujus nervorum

tubuli a craſſioribus & viſcoſioribus particulis ſunt obſtructi, in quibus major copia ſpirituum requiritur ad motum ad vigiliam producendam. Ex hac etiam ratione phlegmaticis & melancholicis ſomnus longior convenit, quorum ſanguis craſſior, terreſtrior & viſcoſior ſæpius per cor tranſire debet, ut ſpiritus ſatis generentur & attenuentur. Econtra autem non tam cito deperdunt illos quam bilioſi & ſanguinei. Dein qui ita alte dormiunt immobiles trunci inſtar jacent, econtra alii jactitant pedes, alii manus, quorum ſomnus ſubtilior & levior eſt a ſubtilitate majore ſpirituum. Ad 3. quæſt. Rſp. cur jacentes citius obdormiant quam ſedentes & etiam cum majori levamine & utilitate dormiant. Quia hoc modo ab objectis externis ſeſe abſtrahunt, & cor jacendo cum horizonte eſt parallelum, unde ſanguis ex ſiniſtro cordis ventriculo proſiliens indiſcriminatim ſurſum ac deorſum propellitur, ſedendo vero craſſior ſanguis deorſum pellitur & ſubtilior ſeu ſpirituoſior ſurſum, multum etiam a conſvetudine, quam a pueritia adepti ſumus;

depen-

dependet, & dum actiones omnes externas quaſi oblivioni tradimus, & cum nullius rei cogitamus, ſpiritus adhuc exiſtentes ſenſus externos commoventes quieti facilius committuntur. Quoad ultimam quæſtionis partem dico, propterea hominem citius in ſomnum labi, dum e frigido loco in calidum venit, nempe propter minorem copiam ſpirituum animalium in ſanguine magis condenſato, cerebro reliquoque corpore exiſtentium, dein propter nimiam pororum apertionem in loco calido aut plane penes focum ab ignis calore ſpiritus plus prius avolant, quam generantur, quia per poros valde apertos a calore factos facile in auras abeunt, ut æſtatis tempore calido fit, hinc ob defectum ſpirituum corpus languet & propenſio in ſomnum fit, & quatenus etiam elaſticitas a rigiditate frigoris in fibris deſtituitur, hinc videmus in nimio frigore propter abſolutam condenſationem ſanguinis & cæterorum humorum, quod homo totus rigidus obdormiat & plane moriatur, ut multa conſtant exempla. Tandem vero, dum homo per aliquot

 tem-

tempus dormiverit & incaluerit, ſanguis rarior factus eſt, & elaſticitas relaxata, homo iterato ad vigiliam producendam & continuandam aptus fit.

467 Quæritur 4. an tempore ſomni vel vigiliarum melior in ventriculo fiat concoctio ciborum. Reſp. ambo quidem tam vigilia quam ſomnus requiruntur ad concoctionem, attamen interdiu vel dum vigiles ſumus & nos commovemus, laboramus vel quocunque modo corpus exercemus, melior & exactior ciborum concoctio fit, quam in ſomno. Quia uti in quiete nimia ita etiam in ſomno non tam frequens reſpiratio n. 111. nullus motus vel perparcus, n. 388. Hæc alias facilitant concoctionem. Tempus etiam docet, quod multi homines 3. vel 4. vicibus ſe cibis per diem impleant, & in illis concoctio rita procedet, quia multum laborant. Quo tempus breve eſt per noctem, econtra in ſomno a cœna nimirum ad jentaculum uſque plus temporis eſt: tamen non tam cito; quia non ita famelici fiunt ut de die, concoctio fit: ita etiam illi, qui a cœna ad prandium nil

com-

comedunt & etiam minus quam in prandio, nihilominus a cœna ad ſequentis diei prandium facilius cibos exſpectant. Dein etiam ut ex hiſtoriis enarratis n. 456. elucet, multa animalia diu & ferme per totam hyemem dormivere abſque alimento, econtra nullum exemplum reſtat, qui tanto tempore vigilando & commovendo jejunus ſubſtitiſſet. Ut itaque prandium & cœna bono appetitu aggrediatur, exercitium moderatum corporis ſemper concurrere debet.

468 Quæritur 5. cur poſt aſſumptum cibum & potum, præcipue nimium & generoſum mox in ſomnum homines propenſi ſint & labantur. Utique poſt horum aſſumptionem ſpiritus reſtaurantur & novi generantur, qui potius vigilias quam ſoporem inducunt. Reſp. verum eſſe quidem ſpiritus reſtaurari & noviter generari, non tamen tam cito reparantur & ſubtiliſantur, imo potius ſpiritus incraſſantur, ut leg. n. 352. & n. 450. De ebrietate & vino, quare ſoporem inducat. Dein cauſa etiam eſt ſoporis, quia ventriculo nimium repleto diaphragma

ſurſum premitur, unde pulmones minus expandi poſſunt, ideo ſanguis ſufficienter ac ante accendi nequit, hinc circulando pigrior & tardior currit, exinde ſucci cerebralis ſecretio minor fit, & ſomnus inducitur. In naturis quidem delicatis & ſanguine tenuiore & ſpirituoſiore contrarium accidit, aut quando impletus ventriculus totum corpus gravat cor inquietum reddit, ſomnum impedit, donec concoctio ſaltem ſemiperacta eſt. An vero ſanitati conducat ſomnus mox poſt paſtum ſuſceptus vid. n. 461. Poſt nimium nunquam cum levamine fit, & crapula ingens urget. Somni tales pomeridiani multis etiam vitam abſtraxerunt, ut legimus Isboſeth meridiano tempore ſomno obrutum vitam perdidiſſe. Samſonem in gremio Dalilæ dormiviſſe & morti traditum fuiſſe. Eutychum in concione S. Pauli vitam in ſomno amiſiſſe, Holofernem & Siſſuram a crapula ſopitos vita privatos fuiſſe & plures alii.

469 Quæſtio tandem 6. oritur, cur poſt nimium prandium homines ad templum venientes dormire ſoleant, præſer-

tim

tim, qui non avide verbum Dei exaudire volunt, & minime fundamentis ſuæ religionis aut fidei informari cupiunt, vel dum defatigati & laſſi procul eo veniunt, ut peregrinando fit. Alias ratio eadem ut n. 460. & n. 468. Nihil ominus ſi avidi verbi Dei eſſent, anima omnes has corporis imbecillitates depelleret, & ſeſe a ſomno immunem redderent.

470 Quæritur ultimatim: quid ſint inſomnia. Reſp. ſomnium eſt diurnarum cognitionum revolutio, utcunque nimirum illarum rerum, quas vel ante vidimus, vel audivimus, vel cogitavimus, de quibus dein mens in ſomno reflexionem facit, percurrendo ſpiritus illa veſtigia, quæ vigilando percurrit.

471 Quapropter ea maxime ſomniamus, quæ agimus aut acturi ſumus aut volumus; de his enim maxime cogitationes, imaginationesque obveniunt, & qui inſtructi virtutibus ſunt, meliora ſomnia vident, quod etiam vigilantes meliora animadvertunt. Qui deteriores vel animo vel corpore ſunt affecti deteriora concipiunt, ut Ovidius:

Per ſomnos fieri multa pudenda ſolent.
Quippe cum affectio corporis faciat inſomni viſionem; hominis enim morbo laborantis propoſita quoque animi vitioſa ſunt, atque etiam propter corporis perturbationem animus quieſcere nequit; unde Lucretius 4. de natura:

Inſomnis eadem pleroſque videmus obire,
Cauſidicos cauſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, & prælia obire;
Nautas contractum cum ventis degere bellum,
Et quo quiſque fere ſtudio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati.

472 Somnium tripliciter contingit, primo a naturali impreſſione ut mox dictum, ſecundo a divina vel angelica, tertio a diabolica. Qui naturaliter mul-
473 tum ſomniant, potiſſimum multum bibunt & comedunt, in illis enim ſpiritus copioſi congregantur in corticali ſubſtantia, ubi amplius retineri nequeunt, ſed ad interiorem ſubſtantiam ſeu ſenſorium commune protruduntur & excur-

currendo veſtigia ſomnium pariunt: ita quandoque ſomniamus propter intenſas cogitationes tempore vigiliarum vi ſpirituum animalium cerebro impreſſorum; tunc enim ſpiritus ob hanc agitationem vias multum aperiunt, & per patentia veſtigia excurrunt, & res cogitatas aut viſas ſenſibus in ſomnio repræſentant, in ſomno vero dum homo a ſenſuum externorum operatione deſiſtit, memoratur nimirum, dum ſpiritus ideas impreſſas percurrunt.

§. III.

De vigilia.

474 Quemadmodum ſomnus in ſenſuum externorum quiete & ceſſatione conſiſtit: ita vigilia in eorundem actu & exercitatione, qui ſenſus liberi ac ſoluti rurſus obiecta intuentur & ſentiunt, operationeſque ſuas perficiunt.

Poſtquam enim per ſomnum fibrarum elaſticitas reſtauratur, & ſpiritus ſufficienter cumulantur, rurſus in nervos majori copia influunt, hoc fit, dum ſpi-
475 ritus animales in cerebrum delati,

ibique magna copia coeuntes facile determiantur in glandula pineali ad defluendum in nervos: quippe dum ſpiritus in cerebrum confluunt, obiectum, ſi aliquod in corpus noſtrum agit, facile intelligitur, quod nervi capillamenta, quæ verſus illam partem terminantur, motum receptum, ad illam uſque cerebri partem transferant, quæ animam ad ſentiendum immediate excitant. Dum enim ſpiritus animales ad pergendum verſus certos muſculos determinantur, efficiunt ut corporis partes, quibus ii muſculi inſeruntur certis quibusdam modis moveantur. Quamprimum enim objectum aliquod organum ita ferit, ut impreſſa actio, ad cerebrum uſque perveniat v.g. ſi quis cutem titillet, vel leviter percutiat, aurem vel nares vellicet, aut aliud ſenſorium agitet, tunc ſpiritus in cerebro hoſpitantes ita compelluntur & commoventur, ut vigiliam procreent, vel ſi in ſufficienti quantitate ſpiritus animales ad cerebrum tranſmittuntur, ut nervorum meatus aperiant, & in eum ſtatum reducunt, ut animæ occaſionem

præ-

præbeant obiecta ſentiendi, & porro homo vigil fit.

476 Vigilia denique induci ſolet vel a ſanguinem attenuantibus, ſpirituum animalium copiam augendo, vel ab aperientibus, quæ meatus plenus choroidis, & carotidum arteriarum aperiunt, ſpiritibus viam aperiendo, vel quæ nimium nervoſum genus concutiunt, ut in infirmitatibus, vel nimio gaudio aut triſtitia vel ira contingere ſolet, ubi ſanguis nimium concitatur, motuſq; acceleratur, ſpiritus inquietos & corpus vigilare facit. Per ſe autem expergiſcit homo, dum per ſomnum corpus alacrius redditur, cerebri ventriculi & nervi ſpiritibus repleti functiones feriunt & commovent ad agendum.

478 In vigiliis vero limites ne quis excedat ſecundum ſupra citat. Aphoris. Hippoc. 67. Sect. 7. ſomnus & vigilia n. 460. Sed moderate & ſupra citatis admonitionibus accommodentùr, quæ vigilando peraguntur. Nempe ut ſalubris aer inſpiretur, ut in cibo & potu non multi & magni fiant exceſſus, nec in motu &c. quibus ſimul junctis naturales operationes

nes rite procedunt: uti autem per ſomnum multa retinentur, quæ excerni deberent, nihilominus per vigiliam exonerantur a natura, dum enim vigiles reddimur, ſpiritus & ſenſus alacriores vegetioreſque fiunt, calor in omnem corporis partem diffunditur, excretiones promoventur &c. ex immoderata autem vigilia corpora exſiccantur, & contabeſcunt,
quia ejusdem vires exſolvit, & plu-
479 rimos diſſipat ſpiritus, quibus diſ-
ſipatis, principale agens actionum deeſt, unde mala diſtributio utilium ab inutilium humorum &c. hinc ſanguis in vappam degenerat, cruditates oriuntur, bilis augetur, febres producuntur. Non minus cerebrum in nimiis vigiliis ſumme afficitur, quoniam animi intenſione atque cogitatione ſpiritus exhauriuntur & cerebrum exſiccatur, quod mentis alienationem & morbos calidos proferre poterit, memoria pariter debilitatur, per vigilias enim multas & exceſſivas a ſuperfluis cogitationibus memoria obruitur, & veſtigia ab ideis impreſſa ab aliis ideis deſtruuntur, unde confuſio memoriæ: ita

ita etiam, qui ſubito nimium & multum legunt, impreſſiones idearum augentur, & una ab altera deſtruitur, facto hoc, memoria confuſa fit ut pauciſſimorum vel nullius amplius recordetur, & ita oblivio exoriatur.

CAPUT VII.

De animi pathematibus ſeu affectionibus in genere.

480 CAput ut thronus animæ noſtræ immortalis tract. 3. n. 73. principales in toto corpore noſtro exercet operationes, hinc vulgo non immerito dictum: dum caput dolore quodam afficitur, cætera ſingula membra languere. Omnis vero affectio ſive perceptio aut commotio vehemens ad pathemata animi refertur. Dupliciter autem in corpore humano affectio oritur, una a quodam peculiari motu ſpirituum a quocunque objecto, per ſenſus externos incidente & apprehendente; altera a quocunque morbo aut dolore ſentiente: quæ ſenſatio per ſpiritus animæ communicatur n. 485. quatenus ſpiritus noſtri animales analo-

giam quondam immittantur, qui animam commovent ad ſentiendum, uti autem ſenſatio infligitur vel de bono præſenti vel futuro lætitia exoritur, vel de malo præſenti vel futuro & triſtitia producitur. Quid autem animi paſſiones ſint & quomodo nos afficiant in ſequentibus §is indagabitur.

§. I.

De natura paſſionum.

Quemadmodum natura & numerus, cauſæ atque effectus paſſionum ad Carteſii uſq; tempora nunquam melius detecta & explicata fuere. Ideo illius authoritate

481 Dico perceptiones animæ quatripliciter differre. Primo enim percipit ſenſuum externorum objecta absq; ulla ſenſibili aut notabili noſtri corporis mutatione, ut ideam luminis, coloris. Secundo, quando ideæ ab humoribus noſtris internis v. g. famis, ſitis, impreſſæ, anima percipit. Tertio ſunt ideæ, quæ partim ad obiecta, partim ad corpus noſtrum referuntur, vel plane illud immutant, ut perceptio ſaporis, odoris &c. Quarto ſunt ideæ, quas ad ipſam animam noſtram referi-

ſerimus, quæ quaſi in ipſa anima ſentiuntur v. g. alicujus objecti imaginationem, & tales ſunt paſſiones lætitiæ, amoris, odii &c. de quibus ſingillatim plura inferius n. 516. hæ ergo ultimæ ideæ paſſiones animi nuncupantur. Varia quidem

præ ſe fert vocabula animus. Quan-
482 doque enim pro indole nativa ſu-
mitur, ut Virgilius arboribus animum adſcribit. Juvenalis iram pro animo ſumit. A medicis autem pro mente ſeu anima rationali accipitur. Quandoque etiam pro ſpiritibus ſive materiali vitæ ac ſenſuum principio, nempe pro forma ſubſtantiali corporis ſive anima vegetativa & ſenſitiva. Anima ſenſitiva & ſpiritus animales dicti non realiter ſed tantum nomine differunt. Duo namque ge-

nera tantum ſubſtantiarum ſunt in re-
483 rum natura, unum cogitantium, id
eſt, ſpiritualium; alterum vero extenſarum, id eſt, materialium.

Animi affectus ſunt variæ mentis ſpirituumque perceptiones & commotiones, quæ fiunt a diverſorum obiectorum conſideratione, quæ vel recipit vel reji-

cit

484 cit. Subjectum eorum ſunt mens & ſpiritus animales. Præcipuæ paſſiones primario ab ideis objectorum cauſantur, quia anima nullum objectum naturaliter percipere poteſt, quouſque eſt unita corpori, niſi objectum in cor-
485 pus per ſenſus prius egerit, & in illo aliqualem ſui ſpeciem imprimat, veſtigium ſaltem leve deponendo, quo mediante anima per ſpirituum tranſcurſum percipit, quæ dein mediante ſpecierum corporearum actione & concurſu ſuas actiones exercet.

486 Sequitur exinde, ſpiritus animales primario affici a pathematibus, qui
487 autem ſpiritus ſunt moleculæ corporis animati ſubtiliſſimæ, ſimpliciſſimæ, & actuoſiſſimæ, mediantibus nervis ad omnes corporis partes excurrentes & impulſæ, una ab alia vel per ſe, vel dirigente anima, motum & ſenſum perficientes, hic influxus quomodocunque inhibitus n. 513. major vel minor ſenſus & motus deficit.

488 Senſatio vero & paſſio differunt inter ſe, quia ſenſatio non conſiſtit in paſſio-

ſione; ſed eſt potius perceptio paſſionum, qui enim ira, vel ſoporifero affectu vel ecſtaſi rapiuntur, puncti acubus vel gladio nil ſentiunt, tamen patiuntur ictum.

489 Quare autem variæ paſſiones in diverſis excitentur hominibus, hoc ex diverſa cerebrorum & humorum n. 503. diſpoſitione procedit, quæ in ſingulis hominibus æqualis eſſe nequit, quia implicat, ut filamenta ſint æqualiter tenſa, æqualiter tenuia, æqualiter longa, & ab invicem æqualiter diſſita &c. quæ adjuvant apprehenſionem majorem vel minorem.

490 Principium ſentiendi ſunt ſpiritus animales n. 487. Eorum autem facultas ſentiendi & movendi, quæ a quibuſdam anima ſenſitiva appellatur in brutis, conſtituitur in certa quadam nervorum, muſculorum, fibrarum, artuum ac ſpirituum diſpoſitione, a quibus talia animalia diverſimode afficiuntur, & ab uno in alium locum tranſponuntur. Hinc ſunt animalia illa ſeu horologia, hoc eſt, machinæ quædam ſub certa diſpoſitione organorum & ſpirituum tantum influxu

ad actionem producendam, ſecluſa omni alia anima ſenſitiva, quæ nihil a-
491 liud eſt, quam ſpiritus, ſeu ſubtiliſſimæ ſanguinis partes ſegregatæ.

492 Senſus ſub duplici claſſe ſtatuuntur, ut interni & externi. Interni ſunt duo, ut imaginatio ſeu phanthaſia n.508.&memoria n. 493. qui duo ſenſus ſub ſenſu communi ut generale quid deprehenduntur. Externi ſunt quinque: nempe viſus, auditus, guſtus, tactus, & olfactus. Omnis vero ſenſatio ſub ſenſu tactus comprehenditur, & omnis ſenſatio, quamvis a ſpiritibus recipiatur, non minus tamen organorum ope perfici debet, quatenus activitatem ſuam in ſenſibus exerunt,dum enim objecta oculis, auribus, naribus, linguæ ac cuti impreſſa,certo modo ſpiritus apprehendunt, quod ſi deficiant, aut organa obſtruantur aut deſtruantur,ſenſus unus aut omnes pereunt, ut etiam in ſoporiferis & moribundis conſpicimus, refocillatis vero ſpiritibus & reparatis organis ſenſus redeunt,& functiones iterato perficiunt, unde patet, ſenſus a ſpiritibus & organis acuari, conſervari & perfici.

Sen-

Senſatio interna res materiales recipit, quaſi eas videret, audiret, &c. etſi per ſenſus externos non commoveantur organa ſenſus, talis perceptio imaginatio ſeu contemplatio aut phantaſia nominatur.

493 Memoria vero eſt quædam diſpoſitio cerebri, qua quædam impreſſiones aptæ ſunt recipiendi; hinc memoria in potentialem & actualem dividitur. Prima eſt ut modo dictum, ſecunda eſt rerum jam in cerebro impreſſarum per ſpiritus facta recordatio ſeu revolutio. Reſuſcitatur autem in cerebro rerum impreſſarum memoria aut recordatio a ſpirituum certo motu, qui vias continuo perfluunt, & quod veſtigium percurrunt, illius actus repetitur & reminiſcimur; unde quandoque nobis repente res quædam memoriæ jam tradita occurrit, vel etiam ab imperio animæ rationalis directe determinantibus ſpiritibus memoria reſuſcitatur. Dum itaque tales impreſſiones ſeu veſtigia ſæpius in cerebro cuduntur, quibus dein ſæpius percurrentibus ſpiritibus illarum impreſſionum facile recordamur,

 &

& in memoria ſervantur, ut axioma refert:

Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo,
Sic homo fit ſapiens, non bis, ſed ſæpe legendo.

494 Cur autem quidam homines reliquis firmiore memoria fruantur, variæ ſunt rationes. Nimirum vel quatenus quidam rem ſæpius memoriæ mandarunt; vel ob diſpoſitionem cerebri & ſpirituum in ſenſorio communi; unde quidam ſemel aut bis rem legendo aut audiendo in memoria ſervant, alii econtra 6. aut 8. non ita memorantur, quamvis attentiſſimi ſint, alii non ita attenti, & ſine forti impreſſione obiecta memoriæ mandant; hinc facile veſtigia delentur. Alii homines habent cerebrum vel nimis ſiccum vel nimis humidum, primum non continet facile ideas in cerebro impreſſas; ſecundum difficile recipit ideas, quæ ſi receptæ facile evaneſcunt. Quod ſi tamen firmiter in minus ſiccis ideæ imprimantur a repetitis incurſionibus ſpirituum memoria firmior remanet, quam in humidioribus aut in male diſpoſitis cerebris.

Me-

495 Memoria diſtinguitur ab intelle-
ctu. Memoria enim eſt actus corporeus
per impreſſionem cerebri, intellectus
autem eſt actus ſolius animæ rationalis.
Affirmatio & negatio ſunt autem actus
voluntatis, a qua omnes noſtri appetitus
& propenſiones determinantur ad velle
vel non velle. Omnes vero noſtræ acti-
ones tam voluntatis quam intellectus o-
riuntur occaſione operationis ſenſuum ut
teſtatur Apoſtolus: *Fides ipſa ex auditu,
auditus autem per verbum Chriſti* Rom.
10. & Philoſophus: intelligentem oportet
phantaſmata ſpeculari.

496 Intellectus pure conſideratus dici-
tur mentis perceptio in ſpecie aliqua ma-
teriali vel immateriali: itaq; poteſt mens
intelligere independenter a corpore ſeu
nullis organis & etiam dependenter ab eis,
quatenus per organa in cognitionem deli-
berat n. 492. Imaginatio autem eſt perce-
ptio mentis ſe ad corpus convertendo ma-
teriale, quod quaſi oculis cerneret vel cer-
nit, & præſentem contemplatur & imagi-
natur. Hæ ergo duæ facultates differunt
inter ſe ratione obiecti, quia nil imagi-

namur niſi corporeum; econtra intellectus percipere poteſt incorporeum & immateriale, attamen quamdiu anima juncta eſt corpori, intellectus nil percipit, niſi per ſenſus ipſi offeratur Tract. 3. n. 12. & 14. Nullatenus enim ani-
497 ma ſola ſentiendi potentiam habet, quamdiu eſt in corpore, niſi beneficio corporis, dum vero eſt ſeparata a corpore, ſenſatione immateriali afficitur vel bona vel mala. Ut Pſalm. 62. *Reddetur unicuique juxta opera ſua.* Nam anima non concomitante corporeo ſpiritu nil cogitare poteſt, alias poſſet cogitare & peccare abſque corporeo inſtinctu: ita & corpus in ſua anima voluntatis actus exercere nequit, alias poſſet peccare corpus in ſua & non cooperante anima, ſed ſimul juncta operantur tam cogitationes, quam cæteros actus liberales corporis eliciendo. De his plura inferius.

498 Voluntas vero eſt, qua aliquid libere determinamus ad aliquid faciendum vel illud omittendum, ad affirmandum vel negandum. Intellectus autem ut lu-

men

nen ſemper præcedit actiones noſtræ vo-
untatis, non ut illas determinando, ſed
paſſive ſeu ſufferendo res, quæ a volun-
ate determinantur.

499 Judicium ſimpliciter ſumptum tam
brutis quam hominibus competit. Ju-
dicium vero rationale ut in excellentio-
ri gradu ſoli homini competit, tamquam
modus cogitandi ſeu intelligendi ſoli a-
nimæ rationali conveniens facultas, quæ
denegatur brutis, ut in Tract. de animæ
operationibus dicetur n. 11. ita etiam ra-
tione ſenſuum differentia eſt n. 500. ſen-
ſatio materialis homini & brutis conve-
nit, immaterialis ſenſatio autem ſeu in-
tuitiva ſine ſpecie corporea cognoſcens
ſoli animæ rationali tribuitur. Tract. 3.
n. 12.

500 Senſatio materialis a certa diſpo-
ſitione organorum & nervorum vi ſpiri-
tuum dependet, omnis vero ſenſatio pri-
mario a tactu, tota namque compages
nervoſa a ſpiritibus inflatur, quæ ſi a quo-
dam corpore externo tangitur, qui ta-
ctus, prout nervis & ſpiritibus grati ſunt,
aut fortius & noxius moventes ingrati,

ſpiritus excitant ad ſentiendum ſecundum diverſitatem organorum & nervorum, unde judicium ſollicitant. Hinc res per varietatem ſenſus organorum judicatur res talis, ut per ſenſum luminis varietatem colorum & formæ vel figuræ, per nervos olfactus varietatem odorum &c. qui tactus ipſam etiam animam rationalem ad ſentiendum impellunt.

501 Mens ſeu anima rationalis variis modis operatur, quæ diverſitas actionum varias quoque potentias aſſignat, ſicut diverſæ ſpecies cogitationum, ita in mente diverſæ ſtatuuntur facultates, quæ rei cogitantis proprietates ſunt, hinc animæ eſſentia in ſola cogitatione non conſiſtit Tract. 3. n. 4. Animæ ineſt quidem cogitatio, nomine autem cogitationis ille ſenſus intelligitur interior & conſcientia, per quam omnia ea ſcimus, quæ agimus & patimur, tanto magis autem cogitat de rebus pluribus, quo plures res concipit, & earum conſcia fit, hinc dicitur intellectus illuſtratus, alias datur etiam, ut apud imperitos, intellectus obfuſcatus, etſi multi illuſtres & perilluſtres nominentur.

Ani-

502 Animæ & corporis, harum duarum ſubſtantiarum tam arcta unio aut mutuum commercium ſoli Deo committendum & adſcribendum eſt, quia ſic ei placuit hunc modum fieri Tract. 3. n. 57. Nam ut des Cartes principior. part. 1. §. 24. docet, ut ſemper quam maxime recordemur, & Deum authorem omnium rerum eſſe infinitum, & nos finitos, omnimodo ſentiamus. (pergit idem 25.) multa eſſe, tum in immenſa ejus natura, tum etiam in rebus ab eo creatis, quæ captum noſtrum excedunt. Inveſtigandum ergo reſtat de animi pathematibus.

503 Animi pathemata dupliciter afficiunt, vel ſpiritus animales, ſolum ad motum majorem vel eorum interceptionem, quo ſpiritus a functione ſua disturbantur ſeu irregulariter commoventur vel ſiſtuntur, ut in quodam morbo: vel etiam ipſam animam immaterialem fortior impreſſio ſpirituum afficiet, ut in ira &c. quod ita fieri poterit vel ab extrinſeco objecto percepto, vel ab intrinſeca commotione, quia non tantum

per ſenſum auditus, viſus, tactus, &c.
ad gaudium vel triſtitiam, ad iram vel
metum promovemur; verum etiam ob
corporis conſtitutionem interiorem ſa-
nam aut morboſam in unam alteramve
paſſionem inducimur, hinc affectus vel
ratione ſubjecti, objecti vel ratione mo-
tuum differunt. Unde in dolore ce-
rebri ſpiritus forti ſuo motu non tantum
animæ moleſti ſunt & fortiter commo-
vent, ſed etiam corporis membra lædunt,
nervi ſæpe convelluntur, & exinde ſan-
guis in ſuo motu redardatur, facies pal-
leſcit, animi deliquia accidunt, par-
504 tes exteriores frigent. Quoniam
dolor eſt triſtis quædam ſenſatio, quæ
ſenſatio conſiſtit in ſpirituum animalium
regurgitatione verſus principium nervo-
rum, unde ſpiritus influunt quaſi a vi
repercutiente, vel etiam a repulſione e-
lateris, aut poteſt etiam triſtitia ſuccos in
ſuo motu retardare ſegnes ac pondero-
ſos efficere, quatenus in apprehenſione
doloris ſpiritus ſiſtuntur & figuntur a
ſuo motu naturali, eſt enim ſpirituum
agitatio proxima affectuum noſtrorum
cau-

cauſa, remotiores autem ſunt, ut tempe-
ramentum corporis v. g. ſi quis bilioſus,
facile ad iram provocatur, dein objecta,
quæ in ſenſus noſtros incurrunt, ut figu-
ra quædam horrenda terroris paſſio-
505 nem excitat. Qua de re illi, qui in
pueritia ſæpe terrefacti ſunt, ea phan-
taſmata dum majores fiunt, & ſolitarii in
obſcuris ſunt, diverſa ſpectra ſibi ima-
ginantur & a levi cauſa ad terrorem ex-
citantur, econtra objectum oculis de-
lectabile, gaudium & benevolentiam, &
ſic de aliis. Quia motus ab objecto ex-
terno ad cerebrum delati, variis modis
illius ſpiritus determinant, ac proinde
diverſimodi affectus in nobis reſuſcitan-
tur. Sic ſi quis blanditer & ſvaviter rem
expetat, citius acquirit, quam qui ſono-
ra & aſpera voce extrudere cogitat, blan-
da vox ſvavius ſpiritus afficit, quam a-
ſpera, quæ potius odioſa & perverſa eſt,
& non ita organo auditus & ſpiritibus
grata.

506 Sedantur aut promoventur mul-
toties etiam paſſiones animi a volun-
tate noſtra, quatenus ſpirituum, ſan-

gui-

guinis & cordis motus, qui ad paſſiones fovendas concurrit Paſſio a nobis excitatur aut penitus extinguitur

507 Cum duo in nobis inſint principia motuum, unum, nempe mere corporeum, ſcilicet virtutes ſpirituum animalium: alterum incorporeum, nimirum anima rationalis. Hinc in brutis ſufficit principium corporeum ad eorum operationes exercendas. Bruta non tantum ſenſibus quinque externis gau-
508 dent, verum etiam iis interni ſenſus, nempe phantaſia et memoria attribuitur, uti dictum ſenſuum primariam cauſam eſſe ſpiritus, per quos etiam bruta diverſos ſenſus ope organorum per diverſa objecta incurrentia diſcernunt v. g. per auditum, clamorem, aut vocem, per ſaporem amarum a dulci, per odorem gratum vel ingratum, per viſum notum vel ignotum, hinc apparet, bruta quaſi intelligerent & aliquali ratione imbuti eſſent, quas differentias autem ſenſuum quæ diſcernunt, ſoli ſenſui communi ſeu phantaſiæ proprium eſt. De ſimia, elephante, vulpe, lupo &c.

&c. meminit horum Joannes Rajus in ſynopſi methodica animalium quatrupedum pag. 5, ſeq. Bruta quoque ab affectionibus & doloribus afficiuntur, ita videntur læſa ſenſu triſti incedere, iraſci &c. ſic canis iratus vehementius mordebit quam jocoſus, ubi ſe mordere tantum ſimulat. Ita quoque bruta beneficiorum recordantur & blandiuntur benefactorem lætanturque. Sunt etiam
509 quædam animalia tam exquiſito ſenſu prædita, ut leves etiam aeris mutationes percipiant, & exinde oriundas tempeſtates, anonæ caritatem, inundationes imminentes perſentiſcant, hinc ad cantum & vociferationes inſvetas, vel ad frumentorum congeſtionem, aut domiciliorum mutationem impelluntur. Ita exquiſito ſenſu gaudent apes, veſpæ, muſcæ, quæ a longinquo loco mel & dulcia quævis olfaciunt; imo Scriptura ſacra affirmat, bruta cognitione gaudere. Jerem. 8. v. 7. *Ciconia in cœlo cognovit tempus ſuum, turturque & grus & hirundo obſervant tempus ſuum.*

Nihil

510 Nihilominus bruta ob defectum animæ immortalis, ut rectore deſtituto eo modo ut homo ſentire nequeunt. Intelligere vero nullo modo poſſunt, ſed ſolumodo, prout impetu primo aut conſvetudine ducta, utile aut jucundum apprehendunt objectum: quibus aſſimilantur ii homines, qui ſolo inſtinctu ſeu ductu naturæ furioſo aut perverſo reſpuente animæ imperio ſibi dominium ſumunt materiale ſenſationis principium. Aſt miſera talis hominis conditio, ſi rationalis anima ſpiritibus ſuccumbit, & voluntas ad actus illicitos impellitur, nam eo ipſo non tantum beſtiis, quibus non ineſt intellectus Pſalm. 31. v. 9. æquiparatur, verum etiam longe deterior evadit, ratio facta brutalis ad omnem exceſſum ducit, ait Wilis de anima brutorum cap. 7. pag. 64.

Quod ſi vero animi pathemata ſeu affectiones, quæ primario a ſpiritibus materialibus percipiuntur, a mente ſeu anima cooperentur, nempe ſi motus ſpirituum animalium ſolenniter ab ipſa determinentur, corrigantur ac compeſcantur,

tur,

tur, quo facto ſpirituum impetus vix limites excedit. Mens etenim ſeu anima rationalis ab objectis materialibus una cum ſpiritibus noſtris animalibus ſentit & commovet, multoties anima in ferendo judicio objectum illud amplectitur, vel deflectit ab eo & rejicit, quos tollere aut ſopire ſtudet, ut utiles aut inutiles; quod ſi autem ſpiritus materiales frænum a ratione injectum rejiciunt, omnes functiones aut motus ſpirituum non tantum non turbantur, ſed ſanguinis rivus, cæterorumque humorum motus perturbatur, & ſi plane ſuperior fiat motus ſpirituum animalium n. 510. homo non humanos, ſed beſtiales exercebit actus.

§. II.

Animi affectiones ſanitati obeſſe aut prodeſſe queunt.

511 Animi paſſiones ſeu pathemata inter 6. res non naturales principaliter interponuntur, quæ omni poſſibili modo moderandæ ſunt, ut corpus noſtrum in ſtatu naturali conſervetur, & in ſuis operationibus non perturbetur, ſi etenim exceſſus aliqui in diæta commiſſi corpus in mor-

morbum injicere valent, tunc vere ho
tanto magis efficiunt graves animi affe
ctus præter modum affligentes & exce
dentes, quatenus ſpiritus noſtros vald
commovent ad varias corporis noſtri al-
terationes eliciendas: imo non tantum in
morbos quosdam, ſed etiam multotie
ſubitæ morti tradunt: de quibus non pau-
ca reſtant exempla. Itaque ante omnia ſe-
dulo medico inquirere incumbit, num
æger graves aliquos animi affectus pati-
atur, quos deprehenſos corrigere aut ſub-
levare ſatagat, alias fruſtra omnis adhibi-
ta medela erit.

Paſſiones ergo dupliciter conſideratæ
n. 492. & n. 499. primo dum corpus
ſentit, & ſentire quoque dupliciter ſumi-
tur, ut dictum, duo tantum ſubſtantiarum
genera eſſe in rerum natura, unum co-
gitantium id eſt ſpiritualium, alterum
vero extenſarum id eſt materialium. Sen-
ſus corporeus iſte & materialis ille eſt,
quo res ſenſilis mediantibus nervis ad
ſentiendum ſpiritibus offertur, quæ quan-
doque motu continuante ad ſenſorium
commune ſeu ſedem animæ permeat;
hinc

hinc alterum genus ſcilicet cogitantium ſeu ſpiritualium ad ſentiendum inducit.

Merito itaque principium ſentiendi
512 ſunt ſpiritus corporis noſtri animales, quia anima immaterialis per ſe ſola ſenſum non efficit n.
513 17. Tract. 3. neque nervi aut organa ut inſtrumenta v. g. ſi quis valde intentus in unam rem ſit, in illo actu non exaudiet proximum ipſi loquentem, nec campanam, aut horologium, cur hoc non, ſi ab organis, aut nervis aut ab ipſa anima ſola fieret ſenſus, ergo ſequitur per ſpiritus ſenſationem primario fieri, qui alio abſtracti & detenti per cogitationem aut meditationem profundam, aut ſopiti in ſomno profundo ſenſationem non producunt, nec ad animam deferunt, hinc anima horum inſcia & inſenſilis eſt: ita nec in ira vehementi aut delirio ac ſtultitiæ gradu, ubi homines ratione perverſi ac inepti ſunt, nec tum mereri nec demereri poſſunt, qui, quamvis actus varios & indeliberatos corporeos alias pœnales exerceant, nihilominus cum non dirigente ſed impedita ratione fiant,

 ſed

ſed ſola naturali ſpirituum vehementia & impulſu brutorum inſtar, culpæ non ſubjiciuntur. Quod ſpiritus ſenſationem
514 primario efficiant hoc etiam exinde patet, & jam dudum in Anglia probatum fuit tali exemplo. Nempe fuit cor vivum humanum a thorace exſciſſum, (quod multoties in majore Britannia in iis fieri ſolebat, qui propter latrocinia commiſſa, vel crimen læſæ majeſtatis regiæ capitali pœna mulctabantur) in quo corde per aliquod tempus ſyſtolem [& diaſtolem advertebant, præcipue ſi acuto inſtrumento a carnifice tangebatur. Nemo vero avulſo cordi animam rationalem adeſſe affirmabit, quæ illam injuriam ſentiret, ſed ſolummodo ſpiritibus in corde adhuc reſiduis hoc munus adſcribendum eſt, ita etiam ſpiritus animales non ſolum afficiuntur ab impreſſionibus quibusdam, & in motum quodammodo rapiuntur, ſed vere ad perceptionem,
515 & aliqualem quoque ſimul cognitionem objecti determinantur, ſaltem aliqualiter, quamvis non eo modo & perfecto ut anima rationalis. Unde brutum

co-

cognoſcit ſuum herum Joſ. cap. 1. v. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini* &c. & multa bruta reſpectu organorum & ſpirituum ipſos homines ſuperant, ut aper auditu, tactu aranea, lynx viſu, ſimia guſtu, & vultur odoratu. Sequitur jam ordo ac numerus paſſionum.

§. III.

De multivario ordine ac numero paſſionum.

Animi affectiones in 2. claſſes merito diſtribuuntur, aut enim ſpiritus circa aliquod objectum bonum verſantur, aut circa malum. Si fuerit bonum delectantur illo, & ex interioribus ad exteriora feruntur, malum vero reformidant, ac hoc fugiendo, ſeſe ex partibus exterioribus ad interiora recipiunt, ac quaſi eorum clater figitur & comprimitur.

516 Animi paſſiones a Carteſio 6. principales & primitivæ numerantur, quæ ſunt. 1. admiratio. 2. amor. 3. odium. 4. cupiditas. 5. lætitia. 6. triſtitia. Cæteræ affectiones vel ex his fiunt, vel ſunt eorum ſpecies.

517 Admiratio eſt mentis perceptio,

qua res extraordinaria & rara contemplatur, quod utcunq; contingere ſolet, quando alicujus rei ignari ſumus, aut rem dubiam certam experimur, unde hinc & illac caput movemus, indicem manus in gyrum vertimus &c.

518 Amor eſt mentis commotio a ſpeciali ſpirituum motu generata, quæ excitatur ad ſe voluntate jungendum cum illis rebus, quæ ipſi grata videntur. Amoris vero plures ſunt ſpecies, præcipue in excedente, ut amor nimius in re venerea & dicitur libido, de divitiis & vocatur avaritia, de laudibus & honore & dicitur ambitio. Caveat quivis nimium amorem ad quamcunque rem, qui corpori vel animæ noxitatem infert, nec tam facile amor ſemel ingreſſus extirpari poteſt. Cum itaque amor ſit quidam affectus voluntatis, voluntas autem ab extrinſeco conatu nequit impelli ad actus ſuos eliciendos, ſed ut libera potentia eſt, ſic libertatem operandi obtinet, ideo remedia naturalia amorem vincere nequeunt, nam voluntatem noſtram ut ſupra n. 498. dependere aliquatenus ab intel-

tellectu, cum nil volitum, niſi præcognitum, verum indubitatum etiam eſt, intellectum phantasmata ſpeculari, phantaſmata autem, ut plurimum genialis naturæ impetum ac vim ſequi temperamenti, ut proinde videatur voluntatem immutari poſſe iis naturæ auxiliis, quæ alias vim habent alterandi temperiem, nempe herbæ, amuleta ac verba, cæteraque pharmaca, aut aliæ rationes, quibus phantasmata & ſucceſſive intellectionem, ac denique actum volendi invertunt. Sicut autem objectiva voluntas dependet ab intellectu in operando, formaliter tamen omnino libere & ex proprio marte actum volendi & nolendi elicit. In amore itàque caute & circumſpecte procedendum eſt, quia in eo excedentes hæmor-
519 rhagiis obruuntur, pollutionibus nocturnis in amore venereo debilitantur, ſpiritus cogitationibus amatoriis ita perturbant, ut tandem plerumque amantes fiant amentes, ſæpiuſque proditores ſui vel alterius fuerunt. Ut Samſon, David, Salomon, & ejusmodi millia millium homines.

Cæteroquin olim divinus Plato in ſymposio deſcripſit amorem, eſſe circulum a pulchro per pulchrum ad pulchrum, hæc autem deſcriptio potius ſpecificæ, quam generali diſcriptioni amoris inſervit, & parum quidem explanat.

Amoris beneficio (fabulatur) Deos multos facultates inveniſſe, nimirum ſagittandi, medendi, & divinandi peritiam Apollo, muſicam Muſæ, texendi artificium Minerva, Jupiter deorum, hominumque gubernationem. Unde vates quidam concinit, hic Deus eſt, qui pacem largitur humano generi, pelagoque ſerenum vultum, tum requiem ventis, hominique cubile & ſomnum
520 curis permixtum. Amor non facile extinguitur. Ita Ovid. deriſit Circem his veſibus:

Ardet, & aſſvetas Circe tendebat ad artes
Nec tamen eſt illis attenuatus amor.

Nec herbis extinguitur inhabituatus amor. De quibus Ovid. Metamorphos:

Inventum medicina meum, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis:

Hei

Hei, mihi, quod nullis amor eſt ſanabilis herbis.

Imo nec magicis artibus depellitur amor, ſi Didoni credamus apud Virgil. in 4. ſororem hortanti, ut petat Heſperidum illam ſacerdotem, quæ hujusmodi peritia inſtructa erat:

Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes
Quas vellit, aſt aliis diras immittere curas.

Fauſtus illuſor

Invictus fui magicas accinctus ad artes
Ferret ut auxilium conſcia ſaga pium.

Fortis itaque amor, nec facile diſſolubilis aut cedens, de quo D. Auguſtinus Cant. 8. adfert, fortis eſt, ut mors, dilectio. Quia ſicut mors nulla arte
521 vincitur, ita amor nullo auxilio ſanabilis ſed ſola horrida mors inventum amoris remedium eſt.

Errat, qui finem veſani quærit amoris:
Nec modus, nec requies niſi mors reperitur amoris.

Et Achilles Bochius; ſymbol.

Ita laqueo laqueum ipſum amoris ſolvier.

Reſtant exempla de quibusdam amatoribus, ex nimio amore aut non obten-

tum ſubitæ morti traditos fuiſſe. Unum refert Cantipratanus lib.2. miracul.cap.38. §. 27. teſte Kornmano de miracul. mortuorum: Puellam ſibi natam fuiſſe, quæ ante juvenis genua languida præ amore animo defecit. Ovid. etiam fabulatur, ob non obtentum amorem reciprocum Iphidis a virgine Anaxarete in inſula Cyro tunc temporis pulcherrima ſe in janua domus Anaxaretis ſuſpendiſſe. Cornax lib. 1. cap. 2. conſult. medicar. Senkius lib. 1. obſervat. pag. 146. narrant de puella quadam, vitio amoris exceſſivo extinctam fuiſſe.

In rebus tamen non ſeriis, & ſine ratione legitima amatis, aut cum ra-
522 tione deſertis, facile amor relaxatur, & a novo alio amore ſeu a re alia amata extinguitur.

Succeſſive novo, vincitur omnis amor.

Aut dum re amata fruitur ut Ovid.

Explenda eſt ſitis iſta tibi, qua perditus ardes.

523 Odium amori eſt contrarium, hæc enim paſſio orta a motu ſpirituum, quæ animam commovent, ut ſe ab objecto ſepa-

ret

ret ſuo affectu, quod ſibi apprehendit diſconveniens. Ex quo odio multa mala tam corporis quam animæ ſequuntur proximo nocentia, ſi ductum naturæ ſuæ quis ſequitur, econtra aliter nos monent ſacræ litteræ, ut legitur in Eccleſ. 41. *Ne avertas faciem tuam a proximo tuo.* Et Prov. 14. *Qui deſpicit proximum, peccat.* Potius itaq; proximum diligamus, & bona pro malis retribuamus, quam ut eum odio proſequamur. Ut monet nos Joann. 1. 4. *diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt.* & 3. *Quicunque odit fratrem ſuum, homicida eſt.*

524 Invidia eſt triſtia de bono alterius, qua mens noſtra obruitur variis cogitationibus inanibus, & ſpiritus inquietos reddit, dum de aliorum felicitate cogitat, nimirum ſi alter homo in divitiis, honoribus, vel quibuscunque aliis a Deo tributis beneficiis gloriatur, invidioſus econtra in miſeria vel non in talibus. Quid autem exinde habet? nihil plus, ſed minus. Contra invidiam traditur Proverb. 14. *Vita carnium ſanitas cordis, putredo oſſium invidia.* & Sapient. 2. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum,*

rum, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Avaritia quidem & invidia ſunt in affinitatis gradu, qui enim ſibi invidet, nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ illius, Eccleſ. 14. *Avarus in nullum eſt bonus: In ſe ipſum peſſimus.*

525 Cupiditas ſeu deſiderium eſt affectio animæ, qua rem habere affectat vel ad amandum vel ad nocendum, unum in amore, alterum in ira & odio vel in avaritia. Hæc paſſio, uti plus aut minus afficit, violenter ſpiritus exagitat & impellit, qui corpus reddunt aptius ad actus deſideratos perficiendos, qui ſi nimium intendunt, ſanguinem accendunt, ſeu ad motum præternaturalem conducunt, morboſque varios pariunt.

526 Gaudium ſeu lætitia eſt affectio animæ, qua bono vel delectabili præſente, quod adepti ſumus, vel acquiremus fruitur, vel in ſe ipſo, vel in alio. Quæ ſi non in exceſſu ſed moderate fiat, nos principaliter erigit ac in ſanitate conſervat, nam ſanguinem & ſpiritus torpidos & languidos commovet, dolorem ſedat &c. unde functionum vigor excitatur

tatur, corpori melior nutritio diſtribui-
tur; hinc vivido & florido calore tales
jucundi tinguntur, præcipue etiam præ-
gnantibus & puerperis gaudium condu-
cit. Singulis denique animus hilaris pro-
deſt, quia mens jucunda Deoque fidens
n.529. fauſtum exitum pollicetur. Animi
itaque affectus & quidem jucundi, jam
multos a quibusdam morbis liberarunt,
ita teſtatur Pechlinus pag. 472. quem-
527 dam podagricum per lætitiam muſi-
cæ curatum fuiſſe, cujus valde alias et-
iam delectabatur. Carol. IX. Gall. Rex, ma-
gnis doloribus excruciatus, per muſicam
delinivit illos. leg. hiſtor. Gallic. Laurent.
de Medices narrat: quemdam ad riſum ita
fuiſſe excitatum, ut ab omnibus doloribus
liberatus fuerit: ita etiam experimur, mul-
tos per animi affectus fuiſſe liberatos, ut
ſequetur inferius. Quoniam vero gau-
dium moderatum, ita exceſſivum reſtrin-
gendum, ne per nimiam exagitationem &
commotionem ſpirituum vehementius &
copioſius ſanguis in cor infundatur ac et-
iam in cordis nervos ſpiritus ſuperflue
incurrant, quos nimium expandendo
fibræ

fibræ cordis conſtringuntur & ſufflaminantur, ex quo dein ſanguis impulſus tam celeriter exprimi nequit, hinc circulatio ſufflaminatur, vitaque repente ceſſat, uti hoc in gaudio; ita in amore & ira exceſſiva contingere ſolet. Dein

Gaudium comprehendit in ſe voluptatem, qua bonum delectabile in ſe ipſo hoc fit, dum ſpiritus circa objectum bonum verſantur & in motu moderato ſunt, tunc blanda ac grata ſucci cerebralis fluxio fit, quæ gratum quoque motum animæ communicant, quo anima exhilaratur, cordis & aliæ totius corporis partes blande moventur, & titillantur, calor non ingratus oritur, & muſculi faciei n. 526. rubedine ſuffunduntur, leg. Proverb. 15. *Congaudens exhilarat faciem in mœrore animi dejicitur ſpiritus.*

528 Triſtitia eſt effectus animi ob malum præſens vel futurum, in quo multoties ob bonum non obtentum, illam carentiam malam apprehendit, quæ ex fine ſuo bona eſſe poteſt, quamvis non obtineatur. Hoc multoties experitur in dignita-

gnitatibus, divitiis carentibus aut ſpolia-
tis, in honore defraudato &c. Sicuti
vero gaudium moderatum animi pla-
ciditatem & quietem adfert: ita econ-
tra triſtitia ſpiritus & ſanguinem a cir-
cumferentia corporis, non tamen ita
ſubito, ut in terrore exceſſivo ad cen-
trum retrahit, hoc eſt, dum ſpiritus in
cerebro figuntur, & motus impeditur,
qui languidi in cordis nervos influunt,
illudque non ſufficienter ad ſangui-
nis expulſionem excitant, per quod ſan-
guis lente expellitur, pulſus diminuitur,
ſanguis incraſſatur & intra cor & pulmo-
nes augetur, gravitatemque ſuſpirii pro-
ducit, facies pallida redditur, frigus ex-
tremorum adeſt, oculi concidunt, unde
morbi melancholici, vitaque ipſa peri-
clitatur aut plane interimitur. Quantum
ergo poſſibile triſtitia depellenda eſt, ut
legitur in Eccl. 3. & Proverb. 17. *Spiritus
triſtis exſiccat oſſa.* Quod ſi vero quis in tri-
ſtitiam a quacunq; cauſa incurrerit, omni
modo diſtractionem quærat, neque iſtam
neque aliam animi afflictionem ad ſum-
mum venire permittat, quia omnia ex-

inde

inde orta mala de exceſſu proveniunt: itaque vel negotiationem in aere libero & amœno ac grato, aut conſortium cum garrulis, jucundis ac acceptis hominibus inſtituat, vel etiam vino moderato ſpiritus exhilaret. Vinum etenim ad hilaritatem creatum eſt, in horum autem defectu ſpes erigenda & confidentia tota in Deum accipienda & offerenda eſt, & cum eo colloquendum, qui omnes derelictos quamoptime conſolatur, in quo
529 etiam omne gaudium & unica voluptas quærenda ac invenienda eſt, in aliis vero ſingulis vanitas, quæ eſt & perit. Qui autem vere & firmiter in Dominum Deum ſperant & credunt conſtanter, ſemper lætos eſſe oportet, & ſine cura profunda ac triſti, nam omnia a Deo dependent. Qui confidit in Deum, non confundetur in æternum. Hinc Proverbior. 12. *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Et Pſalm. 54. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Et Cato lib. I. v. 13.

Quid Deus intendat, noli perquirere ſorte:
Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe.

Cæteræ

Cæteræ ſubſequentes paſſiones, quæ etiam ad primitivas ſpectant, quatenus earum ſpecies ſunt, hinc a Carteſio ſecundariæ nominatæ fuerunt. Ut ſunt

530 Spes, quæ eſt quoddam deſiderium nimæ; incertum & dubium aliquod bonum vel malum poſſibiliter acquirendi, cui etiam jungitur levis metus, qui ſi excluditur jam certitudo ſeu ſecuritas dicitur, quia jam ſumus certi de re acquirenda. Qui itaque bona ſperat, ſpiritus exhilarat, & propellit, ſi econtra mala ſperat ſpiritus retinet & proſternit; ſanguinis circulatio retardatur, ac etiam ſpes mala timorem inducit rem non amplius acquirendi, & ſic deſperat. Hinc

531 Deſperatio eſt apprehenſio animæ, qua ſibi rem impoſſibilem acquiſitu judicat, adeoque deſperat, qua deſperatione effectum producit vel timidum vel iracundum aut rabioſum.

532 Metus ſeu timor eſt mali præſentis vel futuri averſio in appetitu ſenſitivo cum animi demiſſione ob apprehenſionem imminentis mali. Hæc affectio eſt magis & citius nociva ſanitati, quam triſtitia.

ſtitia.

ſtitia, quia timor retroceſſionem & fixationem ſpirituum producit, fibras exinde rigeſcentes efficit; unde partes externæ pallent, algeſcunt, pulſus deficit, dentes ſtrident, interrumpitur vox, concidunt vires, & totum corpus tremit; attamen timor levis & moderatus calidæ conſtitutioni non obeſt, quia fluxionem & nimium motum retardat, & furentem animum reſtringit, imo quandoque quidam morbi & peccata timore profligun-tur.

533 Terror eſt apprehenſio præſentis objecti mali & nocivi, qui metum & triſtitiam in afflictione ſuperat: Hic enim ſubitaneus motus ſpiritus quaſi in momento fixos & immobiles reddit, & cordis pulſum ſupprimit, exinde ſanguinem ad ſtagnationem diſponit, hæmorrhogias & ſanguinem menſtruum & cæteras ſecretiones & retentiones ſufflaminat, unde non raro invitis urina & ſtercus excernitur, ſudor frigidus univerſum corpus diffundit, ut Ovidius:

Extimui, ſenſique metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.

Mul-

534 Multoties contigit, homines dere-
pente terrefactos ſubitæ neci traditos fu-
iſſe. De his D. Hogerus in Eph. Germ. pag.
57. in quibus ſpiritus derepente a terrore
immoti & fixi facti fuerunt. Sanguis per
cordis pulſum alias promotus fixus reddi-
tus eſt, unde talis homo terrefactus quaſi
attonitus & immotus hæret, cujus ſpiritus,
ſi mox non reſuſcitentur, certo certius
mortis falcem non effugiut: ita notat Th.
Bartholin. in diſſert. cadav., illius, qui ex
metu & terrore ob maris procellas mor-
tuus eſt, in cujus corde annotavit, ſan-
guinem in copioſa quantitate concretum
fuiſſe. Ideo infantes non tutum eſt ter-
refacere n. 505. Terror quammaxime
depellitur, ſi quis animum erigat & for-
tem reſiſtentiam oſtendat, hoc autem ſpe
& audacia efficiet;

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Vel ſi confortantia vinoſa, aut alia ſpiri-
tuoſa aſſumat. Ita etiam in morbis ſum-
mopere terror mortis nocet, & multo-
ties homines citius ſanantur, ſi terror
exulet: quam ſibi perpendendo pericu-
la morbi. Quod ſi incidiſti in morbum,

maturis auxiliis proſpice per eruditos ac experimentales medicos, quibus te totum committe, & a Deo ſummo bono ſanitatem ſpera, aut æternam felicitatem, quæ melior omni ſanitate. Quodcunque evenerit, mors vel vita felicitati erit tuæ, dummodo voluntatem tuam divinæ committas.

535 Pudor eſt apprehenſio quædam rei factæ ſeu ſcandali, unde metus vituperii cum triſtitia exinde oritur. Unde etiam in ſe deprehendit quemdam levem timorem, a quo in quibusdam hominibus facies pallida fit, in quibusdam rubicunda. Qui itaque pudore valde afficiuntur, eorum cor & cerebrum patitur, quaſi compreſſa eſſent, ſanguis in circulo impeditur aut totaliter detinetur, quatenus ſpiritus in motu aliquatenus retrahit & impedit, ubi mortis quandoque ſæpe cauſa eſt, cui ſemper potius timor quam pudor ſuffragatur. Pudor quidem virtuoſum quandoque declarat, ut inquit Seneca: Non ſpero majus bonum de juvene, quam ſi errans erubeſcat; non enim perdit aliquid

de

de bona natura, ſed nutrit per hanc verecundiam bona naturæ dona. Phythias Ariſtotelis filia interrogata, quem colorem pulcherrimum judicaret, reſponſum dedit, qui ex pudore oritur.

536 Gloriatio eſt affectio animæ, qua ſibi lætatur in laude.

537 Indignatio eſt affectio mentis, qua ob immeritum bonum vel malum non obtentum diſplicet.

538 Conſternatio eſt apprehenſio mentis, qua ſibi apprehendit malum imminens vel factum.

539 Deploratio ſeu pœnitentia eſt paſſio animæ, qua rem perpetratam non eſſe factam exoptat.

540 Mœror eſt affectio animi, qua alterius malum apprehendit & illi condolet.

541 Ira eſt affectio animi, qua injuriam illatam apprehendit, & excitatur ad vindictam perpetrandam, eſt affectus maximus, excitans primario ſpiritus ad commotionem vehementem, qui ſanguinem & bilem magis exagitant, unde particulæ bilis ſubtiliores in ſanguinem illatæ

illum accendunt, & impetuoſum efficiunt, a quo plures & plures ſpiritus creantur, & perturbantur, præcipue ſi nimia ira furioſa ſit, ideas rationales plane ſubigit, de qua Cato lib. 1. v. 5.

Iratus, de re incerta contendere noli
Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

In nimia ira oculi quoque ignei apparent, ſupercilia rigida, vultus horridus & tremulentus, ſtridor dentium, membra inſigni robore efficiuntur. Quoniam in ira elaſticitas augetur, muſculorum ventres a ſanguine & ſpiritibus magis expanduntur, & tonus fibrarum firmatur, bilis copioſior in ventriculum & inteſtina effunditur, quæ profuſio alvum ſolvit, vel plane diarrhœam cauſat. Ira calidis temperamentis ſumme nociva eſt. Cholerici & ſanguinei citius iraſcuntur, quam phlegmatici, quorum ſpiritus & bilis magis apti ſunt ad motum hunc vel illum. Quod ſi exceſſiva ira ſit, ut Plato inter morbos iram enumerat, non modo febres, cordis palpitationes, convulſiones, abortus, vertiginem, ſyncopem, apoplexiam, & epilepſiam producere potens

tens eſt; imo plane interimere valet. Multi ex terrore, triſtitia ac lætitia nimia & exceſſiva, ex ira vero quamplurimi, vix non quotidie in morbos exitiales lapſi ſunt & labuntur, potius ergo exulet iratus animus, quam ut nos interficiat; affirmante Job. cap. 5. v. 2. *Vere ſtultum interficit iracundia.* & Proverb. 22. v. 8. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo: ne forte diſcas ſemitas ejus & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Ita Paulus Colos. 3. v. 8. *Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Si tamen quemdam iraſci oportet, zelus ſemper connexus ſit cum miſericordia, & quamvis iratus animus oſtendatur, non tamen ab intrinſeco humores commoveat, ſeu ex mala intentione faciat, ut ſanitati & animæ noceat. Conſideretur Textus Pſalm. 4. *Iraſcimini & nolite peccare.* Quod ſi quandoque reprimitur ira, ut apud quosdam fit, tunc magis calor ad cor retrahitur, unde tales homines irati pallore aut rubore ſuffunduntur, adeoque mature ira refræ-

nanda eſt, ne ira, quæ tegitur, noceat.

Doctor Langius aliquas Hiſtorias allegat, quod per iram quidam morbi profligati fuerint, & temperaturæ phlegmaticæ convenire; intelligitur autem ira ſine læſione proximi, & refert de Horſtio, qui lib. 3. pag. 2. de quodam podagrico narrat, quod per iram a podagræ doloribus liberatus fuerit. Et Pechlinus Obſerv. Phyſ. Med. pag. 464. de podagrico tibicine, qui ira & furore correptus ex tempore ſanatus fuerit, & alios adhuc loco citat: belliduces allegat, ex hoc morbo liberatos fuiſſe per iram. Hippoc. & Galenus in frigidis morbis iram remedii loco laudant, & Crato lib. 6. conſil. illuſtri cuidam Principi paralytico levem excandeſcentiam commendavit. Et Horſtius lib. 3. conſil. Eph. ſ. 12. ab Hildano ſibi communicatum refert, quemdam virum tribus annis paralyticum per iram liberatum fuiſſe ab illo morbo. Valeriola in ſua hiſtor. lib. 2. qui pedum uſu multis annis deſtitutus erat, per excandeſcentiam reſtitutus eſt. Et ut Crato refert Veſpaſiani Titi filium quoque paralyticum ab excandeſcentia liberatum fuiſſe.

iſſe. Nulli tamen ego ſvaderem valde iratum animum pro recuperanda ſanitate. Uti fortuito vel caſu his ira ſatisfecerit, ita & aliis contingere quidem poteſt, ſed ſine præſcriptione, niſi quandoque levis ira ex bona cauſa fiat, ut ſacer textus jubet: Joſ. 7. *Non ero ultra vobiſcum donec conteratis eum, qui hujus ſceleris* (anathemate) *reus eſt*. & Eccl. 7. *Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* & 19. *Corripe proximum, antequam commineris.* Correctio vero prudenter fiat ſecundum text. Proverb. 17. *Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum plagæ apud ſtultum.*

542 Audacia eſt animi affectus, quo in acquirendo bono vel malo difficultates ſpernit.

543 Malevolentia eſt paſſio animæ, qua ſe ab altero alienat & avertit, quæ tamen abſque odio aut ira contingit.

544 Impatientia gradu differt ab ira, per impatientiam animus quoque inducitur ad iram & furorem. Ut Proverb. 14. v. 17. *Impatiens operabitur ſtultitiam: & vir verſutus odioſus eſt.* Patientia econ-

tra afficit animum blanditer & ſvaviter, quare etiam rem libenter ſuffert, & ad condolentiam proximi excitatur. Leg. Prov.14. v.29. *Qui patiens eſt, multa gubernat prudentia: qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.* &. v. 18. *Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.*

Tranquillus itaque & a gravibus curis liber animus fit, qui laudabiles auget humores, & phletoram generat, obeſitatique anſam dat, vitam quoque quam deſideratiſſimam longævam efficit; ac tandem felicem per eundem aſſequitur Finem.

TRACTATUS III.

Animaſticus, agens de ente creato naturali animato.

1 MUltiplices in philoſophia opiniones de anima rationali traduntur, ut quondam atomiſtæ animam ex atomis componi docuerunt, ideo eſſe corpoream. Leocipus & Democritus animam ignem eſſe ſtatuerunt, compoſitam

tam ex ignis particulis ſubtiliſſimis ab eo deciſſis figuræ rotundæ. Epicurus docuit, animam eſſe temperamentum ex quaſi igneo, ex quaſi aereo, ex quaſi ſpirabili, & ex quodam innominato compoſitum. Diogenes animam volebat eſſe aerem. Heraclitus animam ex vapore incorporaliſſimo & fluidiſſimo componi opinabatur. Alcmæon cenſuit, animam eſſe de natura cœlorum, ac propterea immortalem, & in continuo motu, quia cœli continuo moventur. Hyppus, tradidit animam eſſe ex aqua, quia omnia generantur ex ſemine, quod eſt naturæ aqueæ. Erixias animam ſanguinem eſſe dixit. Empedocles animam ex 6 principiis conſtare aſſeruit, nempe ex quatuor elementis, quæ noluit eſſe materialia principia; & ex concordia & diſcordia, quas putavit eſſe principia effectiva boni & mali. Tertullianus lib. de agone Chriſti & lib. de reſurrectione carnis animam rationalem docuit eſſe corpus, quia dixit, nihil eſſe ſolum incorporale, & ideo omne illud, quod eſt, ſui generis corpus eſſe; ex quo infert, Deum eſſe corporeum. Item ani-

mam eſſe corpoream docuit etiam Vincentius Victor, qui dixit, animas alias eſſe maſculini ſexus, alias fœminini; voluit enim, quod homo non a carne, ſed ab anima accipiat ſexum, hoc idem docuit Apelles hæreticus & Zænoſtoicorum Princeps. Multi adhuc alii ſunt, qui diverſimode animam deſcripſerunt. Mirum non eſt, ſi ab iſtis viris ethnicis & veræ fidei ac doctrinæ ignaris illa falſa opinio aſſumpta fuerit, nam nil difficilius in hominis cognitionem cadit, quam ſe ipſum ſeu ſuam eſſentiam ſubſtantialem noſcere. Quid ergo anima ſit, mihi etiam ſalvo aliorum judicio perſcrutari liceat.

CAPUT I.

De eſſentia animæ rationalis.

MUltæ quidem reſtant opiniones, definitiones, & inquiſitiones de anima rationali, aſt nullus horum & nemo adhuc invenitur, qui illius eſſentiam exacte agnoviſſet, ſed ſolum ab effectu &
2 de fide evincitur. Fides autem ex auditu ideo S. Auguſt. fides eſt, quod non vides. Quia anima ſub ſenſus noſtros non

non incurrit, nec ſub ulla ſpecie, nec longa, nec lata, nec profunda, nec figura ulla aut loco circumſcripta, nec ullis partibus inſtructa, neque ulli materiæ ſenſili ſimilis eſt. Difficilis itaque ejus cognitio, qua nulla oneroſior ea eſt, qua anima noſtra ſe ipſam non comprehendit: hinc colligitur, quod de rebus aliis minimam ſcientiam poſſideamus, quia, quæ intra nos ſunt, de facto ignoramus.

3.[o] Ariſtoteles quidem definivit, animam eſſe actum primum, corporis organizati potentiam, vitam habentis; ſed merito a modernis philoſophis rejicitur, quia omnis definitio debet eſſe clarior ſuo definito, quæ autem tam obſcura eſt, quam ipſum definitum. Secundo deberet dari per genus immediatum, quale non eſt actus primus; per ejus actum autem dupliciter peccat, quia ejus actus eſt genus extraneum ac anima, & non eſſentialis, motui autem fortaſſe, quatenus eſt actio, conveniret. Deinde per ejus actum denunciat primam entis differentiam, nam ens dividitur in potentiam & actum; ergo cum ſit tam remotum genus, nihil declarat.

rat. Dein, ſi anima eſſet actus primus corporis organici, tunc deberet jam ipſum ſemen ab anima actuari, & ab ea delineamenta corporis humani formarentur. Quod ſi itaque anima præexiſteret in ſemine ſeu ovis mulierum, cur non etiam in ſemine virili exiſteret, & per id traduceretur, ſi vero in ambobus ſeminibus, tunc duæ animæ eſſent, dein etiam omnium virginum & viduarum animæ in ovis ſeu ſemine eorum jam exiſtentes in æternum perituræ eſſent, ſi non ad generationem pervenirent, quatenus non baptizarentur: ſed uti in creatione primi hominis, Deus corpus humanum, quoad omnia organa prius formaverit: ita adhuc continuat in ſuis delineationibus Tract. 1. n. 110. corporis humani in ovis fœminarum, antequam inſpirat ſpiraculum vitæ, ſcilicet animam immortalem ad ſimilitudinem ſui. Patet ergo, animam organizato corpori primo infundi, & hinc non ab anima actuari quoad incrementum & formationem corporis, ſed actor ſeu formator eſt Deus n. 60 & ut ſupra tr. 1. n. 110. Nec anima forma eſt corporis hu-

nani, primo, quia corpus humanum ante nfuſionem animæ organizatur, ſecundo quia non educitur de potentia materiæ, ertio nequit eſſe forma materialis materiæ, ut eſt corpus.

4 Nec anima in ſola cogitatione conſiſtit, quoniam anima non continuo cogitat, ut videtur in infantibus, ſyncopticis, apoplecticis, crapula ſopitis, & dormientibus, in quibus affectibus anima non eſt conſcia aliquarum cogitationum, ceſſante etiam ac pereunte co-
5 gitatione anima quoque periret. Cogitatio ſeu intelligentia eſt ſolummodo præcipua ſpiritus ſeu animæ rationalis proprietas & potentia. Uti enim præ-
6 cipua corporis proprietas eſt motus, & corpus quandoque ſine motu eſſe poteſt, ita anima ſeu ſpiritus immaterialis abſque cogitatione: ſicut enim omnes corporis effectus a ſolo motu, ſic omnes ſpiritus effectus per ſolam cogitationem peraguntur.

Omnes autem cogitationes & conceptus, adjuvante ſenſuum & organorum miniſterio, in ſpiritu excitantur, quous-

que

que eſt in corpore, & diverſæ animæ ſeu ſpiritus cogitationes ſunt diverſi modi, uti diverſæ motus ſpecies ſunt diverſi corporum modi: uti ergo motus corpus
7 dici nequit, ita cogitatio ſpiritus non eſt.

8 Eſt itaque anima ſpiritualis quædam ſubſtantia immaterialis aliquali claritate illuſtrata ſeu rationalis. Cum itaque ſubſtantia talis ſit in ſe habens tales proprietates & operationes intellectuales, neceſſario exiſtere debet, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi. Hoc autem eſſe ſubſtantiale ſpirituale vel eſt extenſum vel non, primum dici nequit, ut inferius n. 10. dicetur, ſecundum
9 merito competit. Duplex etenim ſtatuitur ſolummodo a modernis philoſophis diviſio ſubſtantialis, nempe una extenſa & materialis, altera inextenſa & immaterialis. Eſſentiales animæ potentiæ cogitationum ſeu intellectionum & volitionum diſtinctiſſime & evidentiſſime a nobis cognoſcuntur, ſed implicat eſſe potentiam abſque actore, quæ eſt anima rationalis, ergo vere eſt & exiſtit anima

ratio-

rationalis, quæ cum nulla alia re materiali confunditur. Cogitatio ſeu intellectus per ſe conſiderati ſunt meri actus ſpirituales immateriales, ſed hi competunt animæ, ergo & ipſa eſt ſpiritualis immaterialis. Probatur etiam, quod non ſit extenſa ſubſtantia ſpiritualis ſeu anima. Illud non poteſt concipi extenſum, cujus nec proprietas, nec accidentia concipi poſſunt ut extenſa, atqui nec accidentia, nec proprietates animæ rationalis concipi poſſunt ut extenſa; ergo nec ipſa anima rationalis concipi poteſt ut extenſa. Minor probatur, eſſentiale animæ attributum eſt cogitatio, ejus vero modi ſive accidentia ſunt negatio, affirmatio, dubitatio, certitudo &c. atqui hæc concipi nequeunt ut extenſa, ergo. Quia ſi concipi poſſent ut extenſa, poſſent dividi, & eorum media pars concipi & aſſignari, falſum unum ergo & aliud. Nam quis unquam clare concipit mediam partem affirmationis aut negationis, vel partem aliquam cogitationis.

§. I.

§. I.

De animæ ſeu ſpiritus immaterialis operationibus.

11 Dum in philoſophicis quondam a doctiſſimo Edmundo Ferlinz Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini Profeſſore meo gratioſiſſimo & memoria digniſſimo edoctus fuerim, intellectum noſtrum pro ſtatu viæ neceſſario indigere ſpeciebus intelligibilibus vel propriis vel alienis ad alliciendas ſuas operationes, & ideo ſolam cognitionem abſtractivam convenire in hoc ſtatu noſtro intellectui ita Ægidius quodlib. 2. Quæſt. 21. ad hoc ut intellectus intelligat ſine ſpecie, non ſufficit quæcunque unio objecti cum intellectu, ſed requiritur, ut objectum tamquam actu intelligibile in potentia, hinc quia divina eſſentia immediate unitur intellectui beatorum, & ſubſtantia angeli intellectui angelorum, & utraque eſt actu intelligibilis, utraque videtur intuitive ſine ſpecie. Hoc idem Ægidius quodlib. 3. Quæſt 15. at quia ſubſtantia hominis hoc pro ſtatu viæ eſt quid intelligibile tantum in poten-
12 tia, & non actu, eſt enim conjuncta

ma-

materiæ, quæ impedit intellectionem, & ideo eſt intelligibilis ſolum in potentia; ideo pro hoc ſtatu ſolum intelligit per ſpeciem, & quamvis poſt corporum reſurrectionem anima iterum conjungetur materiæ, attamen, quia materia induet immortalitatem & corpus transformabitur in claritatem ſpiritus, ut docet Apoſtolus 1. Corinth. 15, ideo tunc materia non impediet intellectionem: ex quo patet, nunc pro ſtatu viæ noſtrum intellectum cognoſcere ſolum per cognitionem abſtractivam, id eſt, per ſpeciem, non autem per cognitionem intuitivam.

Anima ſola ut ſentiat & intelligat, non quidem indiget ſenſoriis, neque corpore ſecundum eſſe ſuum, ſed ſecundum quod clauſa ſit corpore n. 57. indiget ſenſoriis & feneſtris foraminibuſque, qui autem liber eſt ſpiritus, non indiget his. Poſtquam vero anima eſt ſeparata a corpore melius intelligit & diſcurrit, &
13 ejus intellectio eſt tunc ſapientia intuitiva. Cogitationes quidem dupliciter ſumuntur, ut intellectuales ſolæ, & ut cogitationes accidentales. Primæ tantum

tum ſpiritibus competunt, ut n. 13. ſecundæ hominibus, interventu corpore in iis oriuntur.

14 Ex his enarratis conſtat, animam, quamdiu unita eſt corpori, nullas cogitationes pure ſpirituales per ſe elicere, ſed ſolummodo accidentales: hinc illarum rerum recordatur, & etiam obliviſcitur. Cogitationes pure ſpirituales vero ſunt indelebiles, de nullo autem anima cogitationes elicit in corpore, niſi quæ per memoriam corpoream ipſi aſſervantur, quia nil ſcimus, ſi non eruditi ſimus de aliqua re, aut divina relatione illuſtrati, quod unusquisque in ſe experiri poterit, ſi enim per ſe cogitationes ſpirituales puras produceret n. 13. & 15. ſemper harum gnara eſſet, ut indelebilium & abſque repetitione & memoriæ traditione & aſſervatione, id vero, quod offertur intel-
15 lectui, & concipit intellectus, multo tamen meliore notitia & lumine concipit, quam ipſi per ſenſus primario oblatum erat, aut per phantaſiam repræſentatum eſt, v. g. cognoſcit Deum primario per ſenſus, non tamen eo perfecto modo

ctlo, ut intellectus, qui etiam pure, quo eſt in corpore, Dei omnipotentiam, bonitatem, miſericordiam, agnoſcit, & alia etiam multo perfectius perſcrutatur, quam per ſenſus, unde a brutis multum differt vid. n. 23. de animæ excellentia.

Ut n. 14. dictum, cogitationem &
judicium primario ab impreſſis ſpecie-
bus objectorum dependere; uti namque
impreſſio illa diſtincta ſit & ad cerebrum
delata, ita intellectui innoteſcit, &
16 quantum poterit meliori modo per-
ſcrutatur. Hinc anima judicat & co-
gitat de iis, de rebus vero incognitis nul-
lam cogitationem, multo minus judici-
um ferre poteſt: quapropter judex rem
decernere nequit eſſe juſtam vel injuſtam,
ſi utriuſque veri & falſi cognitionem non
habeat, vel plane leges & ordinem pro-
ceſſuum ignorat, utrum quis contra unum
vel aliud tranſgreſſus fuerit. Ut itaq; di-
17 ſtincte judicet & cogitet anima, per or-
gana objecta, ut ſæpius memoratum,
deferri debent ad ſenſorium commune;
quæcunque enim repræſentantur animæ
in corpore exiſtenti ſive actu materialia ſi-

ve immaterialia, ſemper ſpecie aliqua ut n. 13. & 15. repræſentari debent. Nullum ſpiritum concipit, niſi in forma aliqua
18 ſpecifica repræſentando concipit. Quod ſi organa aut deferrent, aut ſpiritus deficiant, cogitatio aut judicium confuſum vel nullum orietur. Ad hoc ut anima alliciat cogitationes; requiruntur ſpiritus rite diſpoſiti, quod ſi nimium ſubtiles ſint, judicium valde labefactatur, ut in febribus ardentibus; ubi vero nimis craſſi, ut in melancholicis, vel obruti craſſis humoribus, ut in hydropicis, & ſaporoſis affectibus, tunc ingenium tardum oritur, & memoria debilis.

19 Ex his etiam elucet, infantes, quorum organa non ſunt tam perfecta, adhuc eſſe indiſpoſita ad recipienda objecta diſtincto modo, partim ob rerum imperitiam, partim ob defectum receptionis alicujus objecti, ob memoriam nimis teneram & levem, etſi erudiri tententur. Sic v. g. primo viſu & tactu ignis, manum aut digitum ad carpendum illum apropriabunt, a quo ſi læduntur ſemel aut bis, alia vice jam ut re nota abhorrebunt &

fugi-

fugient, dum vero ſucceſſu temporis or-
gana fiunt aptiora, & rerum notitiam ac-
quirunt, motus diſtinctius imprimitur
cerebro & infantes diſtinctius ratiocina-
ri & cogitare incipiunt. Non minus
20 in ſenibus contingit, in quibus ani-
ma non amplius ita diſtincte cogitat
ut prius, in illis enim organa jam immu-
tantur, ſpirituumque defectus adeſt, hinc
viſus imminuitur, vox fit gravior, audi-
tus deficit, ratiocinatio labefactatur.

21 Duo in nobis uſus ſunt animæ co-
gitantis, primus ut ſit ſenſus Rector; al-
ter ut ſit liberi motus arbiter, ut ideas ha-
beat tam de ſuo corpore, quam de o-
mnibus ambientibus corporibus tam no-
civis, quam ſalubribus; & ut corpus in
motum agat, ut noxia corpora fugat &
proficua amplectetur; ut denique cor-
pus noſtrum juxta rationis normam me-
diantibus ſpiritibus animalibus gubernet.
Hinc præter cogitationes aut motus vo-
luntarios (ſub motu voluntario intelli-
guntur omnes operationes animæ) in-
voluntarios ſiquidem corporis mo-
22 tus nequit perficere anima, quia in

ipſo ſomno nedum cogitante multo minus imperante anima, cibi ſponte ſua in ventriculo digeruntur, chylus ad cor propellitur & in ſanguinem convertitur. Omnes deniq; vitales motus in alto ſopore perficiuntur: etiam dum vigilamus, anima corporis motus quosdam intrinſecos nec accelerare nec retardare valet, ut motum cordis, reſpirationis, & ſecretionem humorum &c. dein etiam ſpiritus
23 non ſemper a mente determinantur
ſed & etiam ab objecto aliquo vel invel externo; imo ſæpe a veſtigiis ipſius cerebri: hinc ſi ſpiritus ab objecto determinantur in cerebro jam impreſſo ſomni tempore, tunc accidit inſomnium, aut ſi vigilando per ſe percurrunt veſtigia illa in cerebro incuſſa, tunc delirat homo, unde melancholici ſomniantibus aſſimilantur, dum quædam agunt vel loquuntur ſe inſcio.

Hucuſque de exiſtentia & exiſtentia animæ rationalis ejuſque operationibus. Jam adhuc quædam dicenda reſtant de illius excellentia & virtute operativa effectus rationales producentes, qui

non

non a ſolis ſpiritibus ſed a cooperante anima rationali dependent, & ejus exiſtentiam confirmant.

Anima utpote ſubſtantia ſpirituoſiſſima, qua omnia animantia ſupereminet, ſe ſatis demonſtrando per ſuas cogitationes, rerum apprehenſiones, judicia
24 & diſcurſus, quæ materiæ corporeæ ſoli adſcribi nequeunt, ſed nobiliori & excellentiori ſpiritualitati & directioni. Quam excellentiam & virtutem animæ rationalis quam ingenioſiſſime Doctiſſimus Vir le Roy deſcripſit his verbis, quam vix melius deſcripturam puto.

Homo quamvis inferior animalibus ſeu brutis quoad vires & organa ſentiendi, & ſenſum ipſum exteriorem ut n. 492. de animi paſſionibus indigitatum eſt, nihil ominus Princeps & Dominus deſpoticus animalium, conſequens eſt, ut aliquid divinius in eo ſit, quam corporeus ſpiritus: ipſe enim ſua prudentia domat equos, ſibique ſubjicit, & elephantes, leones, & boves & tygrides. Et utitur cunctis animalibus ad victum, & veſtitum ad motum, & ro-

„bur ac pugnam: ſiquidem carnibus ve-
„ſcitur, pellibus tegitur, eorum pedibus
„ambulat, equitando & currus ducendo:
„latratu eorum ſervatur, & ad pugnam, &
„itinera ab eis vehitur. Et equus videtur
„creatus ad ejus uſum in bello, canis ad
„cuſtodiam, bos ad labores, aves & apes ad
„delicias, plantis quoque utitur in cibo &
„condimento & calefactione & domifica-
„tione. Verbo, nihil eſt in mundo, quod
„humanæ non ſubjacet induſtriæ. Nonne
„lapidibus domos & civitates conſtruit, &
„propugnacula; metalla fodit, eliquat &
„in figuras quaslibet transformat, anima-
„lium greges, plantarum viridaria pro li-
„bitu inſtruit, fovetq; tamquam Deus ea-
„rum, & ſerit & inſerit & copulat, & matu-
„rat, & colligit, & mundat & frangit;
„& panem conficit, & epulas, & condit
„adipe & ſale ad penetrationem, dige-
„ſtionem, purgationem pravarum qua-
„litatum, quæ cætera cuncta animalia
„parare neſciunt, ſunt ſtupida ad hæc
„opera, ſicut lapis ad animalium opera?

„Præterea ventos homo domat, mari-
„aque exuperat, tempora novit, æqui-
noctia,

„noctia, tropicos, menſes, dies & termi-„nos eorum ſignat, & quæ quocunque „tempore congruant; tamquam ſit Do-„minus temporis & temporalium. Con-„ſtruit naves, trajicit maria, utitur ma-„gnete, profunda ſcrutatur maris &c.

„Totam denique homo imitatur „naturam & Deum, facit enim naves in-„ſtar pectoris avium, & remigium ſimile „alis: retia meliora quam aranea: cel-„las & ædificia meliora quam apes: ci-„vitatem inſtar corporis: muros corio „ſimiles, arces capiti: folles pulmoni: „organa cantus, arteriæ vocali: ignem „focumque cordi; ollam ventriculo: cul-„tellum & ſeram dentibus: molam mol-„laribus; alembica inteſtinis; horreum „jecuri: cloacas culo: ſedilia natibus: „equitatum & columnas cruribus: laſa-„num & matulam & ſentinam & deco-„latorium, felli, lieni, cæco inteſtino, „veſicæ: & præeſt animalium propaga-„tioni & plantarum, ut angelus, & nihil „eſt in mundo, quod non imitetur.

„Et quod ſublimius eſt, adinvenit to-„nare archibugio, ſicut Deus fulmine:

„quod nec imitari, nec intelligere, multo
„minus excogitare poſſunt animalia. Fa-
„cit de nocte lucem per lucernam, pin-
„guedine arborum & animalium retinen-
„do ignem, ſicut natura igneum ſpiritum
„retinet in corpore noſtro nutritum ſan-
„guine & adipe. Nec myſterio caret,
„quod ſolus inter animantia omnia homo
„utatur igne, quem nec contingere cæ-
„tera audent. Homo naſcitur nudus &
„inermis, cætera vero animalia armata,
„cornibus, dentibus, roſtro, ungulis,
„ſquamis & veſtita ſunt pilis & plumis:
„homo tamen per ignem ſibi arma parat
„& veſtimenta ex arboribus, vermibus &
„animalibus cæteris ingenio tanto, quan-
„tum Deo iſtorum entium conveniret.

„Ecce quantanam hominis excellen-
„tia ſuper bruta! figura ipſa humani cor-
„poris indicat divinitatem animæ illius;
„corpus enim inſtrumentum eſt animæ.
„Animalia cætera cuncta caput & pectus
„verſum in terram habent ad uſus ter-
„reſtres & eſcam de terra captandam, ſo-
„lus homo erectus in cœlum geſtit cor-

pus

pus ad cœlum contemplandum, & ut illac, unde eſt, revertatur.

25 Conſtat itaque, hominem ut rem livinam, melioris & ſuperioris ordinis ſſe, ſuperantem mundum & elementa, edum bruta. Cuncta ergo animalia, non antum propter meliora & exactiora organa intelligendo ſuperat, ut quidam aninam rationalem denegantes opinantur; ed propter animæ rationalis exiſtentiam z unionem eum corpore excellit, quia anima rationalis eſt lux, quæ vitam
6 ex ſe inſtar alicujus luminis fundit: uti lux in ſole vel igne, lumen eſt in aere: ic vita ex anima in corpus, ut ſubſtanialis quidam vigor jugiter fluit, id vegeat & fovet illuminando ſpiritum mateialem, unde olim a Platone anima definiebatur: numerus ſe ipſum movens, quod ut animam ex vita, ſic vitam ex motu ipſo, & ſpontaneo maxime perſpectum habeamus, adeoque excedit anima rationalis ſpiritus animales eminentius, uti ſpiritus res demortuas & inanimatas. Ita Helmontius pag. 214. animam rationalem conſtituit eſſe ſubſtan-

tiam

tiam ſpiritualem, vitalem & luminoſam
creaturam & pag. 212. iterum, animam
eſſe purum & nudum intellectum, & ima-
ginem increati luminis.

Sicut enim Deus eſt ipſum lumen
ita mens humana ab eo participat lumen
& ſenſualis anima analogia ſervata lux
eſt: quod partim a ſe ipſo, partim a lu-
27 mine ſpirituali immateriali illumina-
tur. Hinc mens ut jam ſupra n. 13. &
15. dictum, quamdiu eſt corpori juncta,
non ita clare poteſt lucere in corpore
quam extra ſeu poſt ſeparationem, ſed
concomitante lumine intrinſeco ſeu ſpi-
ritibus, quibus deficientibus, imo rece-
dentibus & extinctis his ultro lux per-
durare nequit, ergo opus eſt quamdiu
anima juncta eſt corpori, ut lumine quo-
que quodam naturali ſcilicet ſpiriti-
28 bus utatur ad ſuum lumen exten-
dendum & applicandum, non quidem
ut igneo, ſed ſale volatili ſpirituoſo, quod
alias anima dicitur ſenſitiva. Hinc etiam
videmus ſpiritus animales luminis ful-
gore ſolis quod magis illuminetur, &
29 ſerenetur caput; animales quoque
facul-

icultates longe felicius intendantur; uaſi accenſa face ad actum & motum iciendum intus omnia incitantur, quæ ıb ejusdem obſcuratione tamquam in tibulo deliteſcere coguntur, ſic plures ctiones intermittuntur, ſi ſpiritus ab ae- craſſo obſcurantur, tamquam inter- um lumen per gradus deficit, ſi lumen xternum eidem ſubtrahitur.

Eſt itaque anima in homine tamquam imen primarium, lumen ſecundarium utem ſpiritus animales in cerebro lu- entes, tametſi corpus opacum ſit, un- e ab anatomicis cerebri ſeptum lucidum ominatum eſt.

§. II.

An unica vel plures animæ in uno eodemque homine dentur.

30 Unica ſolummodo anima rationa- is datur in unico eodemque homine, quæ virtualiter continet nominatas for- nas inferiores, nempe animam vege- ativam & ſenſitivam, una eſt ſuccus in lantis altera ſpiritus in animalibus. n corpore humano duæ dantur formæ ubſtantiales, una materialis altera im- mate-

21 materialis, materialis eſt anima ve-
getativa & ſenſitiva; immateriali
autem anima rationalis. Sub anim
vegetativa & ſenſitiva intelliguntur et-
iam humores & ſpiritus noſtri cor-
poris, quoniam operationes ſenſitiva
immediate animæ adſcribi nequeunt
quatenus actus corporei ſeu materia-
les ab anima immediate non profici-
ſcuntur, ſed a ſpiritibus. Nam embrio
ante infuſionem animæ rationalis fabri-
caretur ſine forma ſubſtantiali, & eſſe
materia abſque forma, ſi ſolummodo ani-
ma rationalis eſſet forma, cujus corpus
ante infuſionem animæ elaboratur non
ab anima rationali, ſed ab anima vege-
tativa & ſenſitiva, ergo.

Dico ſola ſiquidem & unica anima ra-
tionalis eſt forma ſubſtantialis hominis;
homo autem non eſt res ſimplex, ſed
compoſita ex mente & corpore or-
32 ganico. In homine itaque nulla datur
alia forma ſubſtantialis præter ani-
mam rationalem, & in aliis rebus unica
tantum datur forma eſſentialis. Materia
ergo ſola eſt ſubſtantia eſſentialis certo
modo

nodo modificata, quæ modificatio forma ubſtantialis a veteribus appellabatur, nulo modo autem realiter & ſubſtantialiter. Talis forma a materia ipſa eſt diſtincta, ut anima rationalis a corpore humano, ſed
3 tantum eſſentialiter. Sic omne corpus habet quidem formam eſſentialem non utem ſubſtantialem diſtinctam, excepto omine; eſſentialis forma illa dicitur, quæ oritur in toto compoſito ex modifiatione materiæ & partium ejus, per dierſam magnitudinem, ſitum, &c.

Corpus humanum, quamvis necdum unitum ſit animæ rationali, attamen
4 ad genus plantæ aut animalis referri nequit: quia per id diſtinguitur unum b alio, per quod convenire nequeunt, ed per formam eſſentialem corporis hunani diſtinguuntur ab invicem, ergo non unt idem aut nequeunt convenire, proatur minor forma eſſentialis eſt id, per quod varii ſtatus & diſpoſitiones partiam ab aliis corporibus notabiliter diſtinguuntur, forma enim eſſentialis in ſolis nodis corporum, ut ſunt motus, quies, nenſura, figura & ſituatio conſtituitur,

qua-

qualiſcunque ergo diſpoſitio partium ſi & modus, nunquam conſtituet propriam & eſſentialem corporum formam, neque forma eſſentialis conſtituitur in toto corpore, vel in minoribus ipſius partibus, ſed in minutioribus & fere inſenſibilibus particulis, ex quibus primo componuntur, ſed per hæc omnia animal diſtinguitur a corpore humano, ergo.

Moderni philoſophi communiter duplicem tantum ſtatuunt ſubſtantiam, nempe extenſam & non extenſam, ſeu cogitantem, aut immaterialem & materialem, una eſt forma ſeparabilis alia non ſeparabilis a materia: ſic anima rationalis eſt forma hominis non autem corporis hu-
35 mani: hinc unica tantum datur forma ſubſtantialis ſeparabilis a materia, nempe anima rationalis, quæ eſt ſpiritualis & non educta de potentia materiæ. Aliæ omnes formæ nominatæ ſunt inſeparabiles, quia nequeunt ſeparatæ exiſtere a materia ſeu deſtructo compoſito, ut non ipſa forma ſimul deſtruatur.

Neque anima rationalis educitur e potentia materiæ, quia quidquid eſt mate-

riale

riale, nequit producere immateriale ſeu ſpirituale, ergo anima rationalis utpote mmaterialis & ſpiritualis nequit educi de nateria. Probatur ex ſacra Scriptura, anima eſt immortalis, ergo immaterialis & ncorruptibilis Matth.10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt*, & Sapient. 2. *Quoniam Deus reavit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* Dein

Materia nunquam poteſt exiſtere ſine ſpecie, ergo ſemper eſt eſſentialiter
36 formata. Formæ quidem nominantur etiam accidentales reſpectu alterius ſubiecti cohærentis, reſpectu ſui tamen ſunt ſemper formæ eſſentiales, & alia non datur, quam ſubſtantialis forma per ſe exiſtens ut n. 35.

37 Animæ ſingulorum hominum a ſolo Deo creantur n. 39. & 40. ut Deus apud Prophetam: *animas ego facio.* Ergo non educuntur e potentia materiæ n. 35. Omnes animæ rationales in omnibus individuis ſunt ejuſdem perfectionis eſſentialis ſubſtantialis, & ejuſdem perfectionis accidentalis natura-

lis ſpecificæ; non autem ejusdem per-
38 fectionis accidentalis individuæ, ſive ſecundum intenſionem, nec ejusdem perfectionis naturalis acquiſitæ, nec ejusdem perfectionis accidentalis ſupernaturalis infuſæ. Probatur hoc: Unus homo magis intelligit quam alter; unus habet phantasmata magis ignea & ſubtilia; item unus habet ſcientias acquiſitas, quas non habet alter; item alius habet plura dona gratiæ, ergo anima non eſt ejusdem perfectionis accidentalis & infuſæ.

39 Illa autem unica & ſola infunditur debito tempore corpori humano, ut Genes. 2. v. 7. *Inſpiravit Deus ſpiraculum vitæ Adamo*, non dicit ſpiracula, *& factus eſt homo in animam viventem*, ac etiam in aliis locis de unica anima tantum loquuntur textus in homine exiſtente. Cum enim anima ut quid immateriale & ſpirituale n. 8. non poſſit de materia educi, ergo noviter creari & corpori addi debet, quoniam anima nequaquam eſt ejusdem indolis & eſſentiæ corporis, ergo debet noviter addi. Ita S. Hieronymus & omnes Doctores catholici: quia illud, quod

non

ion fit per traductionem, fit per creationem, ſed anima rationalis non fit per traductionem, ergo per creationem. Minor probatur: Traductio fit, dum cum ſemine traducitur aliqua virtus, vi cujus educitur anima de potentia materiæ paſſiva, aſt anima rationalis nullo modo ut immaterialis & ſpiritualis n. 10. poteſt educi de potentia materiæ, ergo. Minor probatur ex n. 4. & 8. ſupra appoſito. Si enim traduceretur aliqua vis ſpiritualis & immaterialis occulta inducens animam in prolem, educeret animam de potentia materiæ, ſed hæc vis non educit, ſed potius crearet, quod repugnat creaturæ, ergo & virtus traductiva.

40 Creatio eſt productio rei ex nihilo tam ſui quam ſubjecti, hoc autem abſque ulla materia aut eſſentia præſuppoſita, ſed hoc competit ſoli Deo, ergo ſolius Dei eſt creare & non creaturæ. Creavit Dominus Deus angelos & dæmones pure ſpirituales immateriales, ergo etiam creat animas pure ſpirituales immateriales.

41 Quod dentur angeli & dæmones, narrant præter ſacram ſcripturam S. S.

P. Dominicus, Bernardus, Martinus, Raymundus, qui multoties ſe angelos & dæmones vidiſſe teſtantur, eiſque collocutos fuiſſe, & aliæ multæ apparitiones animarum ſanctorum teſtantur, & Matth. 4. v. 1.

42 Generatio autem eſt rei eſſentialis ſeu materiæ præſuppoſitæ tamquam ſubjecti novæ formæ inductio, per quam immutatur & modificatur res ſeu materia; non tamen nova ſubſtantia, ſed tantum novus modus ſeu diſpoſitio partium materiæ reperitur, cum quidquid id ſit, prius fuerit, unde non requiritur in generatione, ut mutationes corporum naturalium ſubſtantiales totaliter pereant, & totaliter de novo generentur, quia ex nihilo nihil fit. Dum vero partes disjunguntur, ſeu reſolvuntur, ſeu aliter modificantur, & diſponuntur, corruptio fit.

43 Unde nec ulla datur alia forma ſubſtantialis præter formam hominis ſubſtantialem, quia in nulla alia productione ſubſtantia nova generatur, ſed ſolummodo materia in generationibus & alterationibus vel accidentaliter vel eſſentialiter ſecundum modos, nempe menſuram

ſeu

ſeu quantitatem, quietem & motum, ac figuram modificatur, ut ſupra n. 40.

44 Anima alia proprie loquendo non datur, quam rationalis, quia anima rationalis continuo ineſt corpori humano, quamdiu cum corpore gubernat & illud non immutatur: econtra in vegetativis & ſenſitivis dictis animabus continuo mutantur ſanguis & ſpiritus, nec idem perpetuo manent: ergo tantum improprie ſub ly animæ vegetativæ & ſenſitivæ ſumitur ly anima. Probatur, id non poteſt eodem vocabulo & ſignificatione ſumi, quod conſtat diverſa proprietate; ſed anima rationalis & anima vegetativa & ſenſitiva diverſæ ſunt proprietatis, ergo non poſſunt eodem vocabulo & ſignificatione ſumi. Probatur major, primo animæ rationalis proprietas eſt intelligere, ut n. 8. ſecundo eſt inextenſa & immaterialis ſubſtantia n. 10. Sed anima vegetativa & ſenſitiva non eſt talis ſubſtantiæ, quæ vero ſunt diverſæ ſubſtantiæ ſunt etiam diverſæ ſignificationis, ergo non poſſunt eodem titulo ſumi. Quia alia eſt ſubſtantia materialis, alia immaterialis.

45 Anima vegetativa improprie lo-
quendo in plantis ſuccus eſt, in ani-
malibus vero ſanguis & humores, vid
Deuteronom. 12. v. 23. hinc ſimul eorun
motus perit & moriuntur. Sal volatile i
ſanguine & humoribus ut ſubtiliſſimun
effluvium, quod viſum fugit, redactu
caloris adminiculo, concipit lumen in ſ
ipſo & a ſe ipſo; hinc ſpiritus lumino
ſus eſt, & anima improprie loquendo ani
malium in hoc ſpiritu luminoſo conſiſtit
ut ſupra n. 26. & 28. non ex toto ſanguine
Qui autem ſpiritus continuo avolant &
immutantur, ergo nec hi proprie anim
dici queunt.

46 Spiritus iſti materiales ſunt quæ
dam ſubſtantia ſolida ſubtilis apta ad mo
tum, & præcipuum ratione activitatis in
ſtrumentum. Quod dentur tales ſubtile
ſpiritus, probatur tam experientia quan
ratione. Primo ligato vel læſo aut ab-
ſciſſo nervo tendente ad organum motus
aut ſenſus, functio ejus organi ceſſat; dein
probatur eorum ſubtilitas, quoniam ner-
vorum cavitates adeo exiles ſunt, ut vi-
ſum effugiant, hinc etiam ſpiritus in

ner-

nervos hos influentes adeo ſubtiles eſſe oportet, ut influere queant. Dein probatur etiam ſpiritus a robore muſculorum, quorum tendines in ſufferendo pondere 100. librarum facilius ſuſtinent, quam nervi eorundem libras 5. nervo tamen ligato aut abſciſſo in tali muſculo motus & robur perit, ſequitur ergo, per nervum fluere quemdam ſpiritum ad porrigendum robur muſculis & ejus tendinibus. Probatur etiam ſpirituum exiſtentia per ſubitaneam refectionem a ſpirituoſis aſſumptis rebus in defatigatis aut quocunque alio modo diſſipatis ſpiritibus, ubi omnis vis perit, reſtitutis vero illis iterato robur reddit. Spiritus in omnibus non idem ſunt, ſed ſunt quoque craſſiores & ſubtiliores in diverſis ſubiectis, quoniam pori cerebri non ſunt idem neque nervi in quos influunt.

47 Corpus humanum & anima rationalis ſunt adæquatæ partes hominis, uti corpus humanum non ſolum, ita nec anima ſola conſtituit hominem, alias anima ſine ullo aut excluſo corpore foret homo. Quod autem nec unum nec al-

terum eſt, ergo amborum præſentia & unio requiruntur ad conſtituendum hominem.

§. III.

An anima rationalis ſit inextenſa, conſequenter indiviſibilis & immortalis & nunquam annihilatura.

Anima hominis ſeu mens, ut realiter diſtincta forma ſubſtantialis a ſenſitiva & materiali, immortalis eſt. Hoc ratione & fide demonſtratur ut ſupra n. 2. & 9. dictum, animam ſolam habere meros
48 actus potentiales immateriales, ergo
& ipſa anima neceſſario debet eſſe immaterialis, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi. Præcipue animæ operationes ſunt cogitatio ſeu intellectus, ſed iſtæ ſunt immateriales, ergo. Minor probatur ex ſupra dicto n. 9. Hæ autem animæ potentiæ non realiter diſtinguuntur ab ipſa anima, quia anima non poteſt concipi ſine facultate volendi vel intelligendi. Jam illa diſtinguuntur realiter, quorum unum concipitur ſine alio, atqui animæ potentiæ non poſſunt concipi ſine anima, ergo. Illæ operationes ſunt

im-

immateriales,quibus res immateriales apprehenduntur, atqui tales ſunt operationes animæ,ergo. Anima apprehendit veritatem, Deum, angelos n. 41. hæc autem omnia ſunt immaterialia, ergo & ipſa anima: quidquid autem eſt immateriale, eſt immortale, ſed anima eſt immaterialis,ergo & immortalis. Quidquid non eſt extenſum &c. ut. n. 10. hæc enim immortalis ſubſtantia non ab elementis, nec a ſole originem habet, neque a calida, aut frigida, aut corporea ſeu extenſa, nec ſibi habet contrarium, a quo deſtrui poſſit, caretque ſubjecto. Non enim a Deo corrumpitur aut annihilatur per ſubtractionem eſſe, cum inſtitutor naturæ non ſubtrahit, quod rebus eſt naturale.

49 Neque anima forma eſt corporis ita S. Ambroſius, Juſtinus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Gregor. Nyſſen. Origenes & alii, nam geneſis habetur ſpiraculum vitæ, nempe animam rationalem primo formato corpori & jam organizato inſlatam ſeu infuſam fuiſſe. Neque animam a corpore dependere, neque poſſideri, hoc

formis veris & ſtricte dictis contingit; præterea nulla forma corporis extenditur extra ſubjectum ſuum, a quo poſſidetur: ſed mens extenditur extra corpus & extra mundum corporeum, ergo non a corpore & elementatione, quorum eſt immortalitas.

50 Probatur ulterius immortalitas animæ: anima rationalis eſt indiviſibilis integraliter, ſubſtantia ſpiritualis eſt indiviſibilis integraliter; omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt intellectiva, ſed eo ipſo eſt indiviſibilis, quia ſi anima eſſet diviſibilis, conſtaret pluribus partibus, quæ ſingulæ eſſent intellectivæ; ſed nullæ partes intellectivæ aſſignari queunt, ergo anima non eſt diviſibilis in partes intellectivas. Intellectus mores ſeu primam motionem ſpirituum invertit, ut dum beſtiales mores corrigit & ad rationales dirigit, n. 25. & 27. patet, præſtantem hanc poteſtatem præſupponere præſentiam naturæ cujusdam intellectivæ & ſpiritualis immaterialis intra ſphæram carnis & ſanguinis, unde Script. ſacra & S. Auguſtin. dividunt hominem in corpus, ſpiritum & animam.

Pri-

Priſcis ſæculis ethinici, vates & philoſophi animam immortalem eſſe proferebant. Plato agnovit animam eſſe numerum ſe ipſum moventem, & veniſſe a Deo, eſſeque immortalem & ſecundum tritum Poetæ:

Morte carent animæ.

Immortalitas animæ non ſolum naturali ratione agnoſcitur, ſed fide & authoritate Salvatoris noſtri demonſtratur, dum ait, *quid proderit homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*, & alibi: *nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere nequeunt, ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* Et Matth. 25. *diſcedite a me maledicti, ite in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolis & Angelis ejus.* Et ibidem *& ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Immortalitas animæ in multis adhuc aliis locis S. Scripturæ probatur: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Et

Et Matth. 25. *in die judicii congregabuntur ante eum omnes gentes, & reprobi ibunt in ignem æternum, juſti autem in vitam æternam.* Idem docet Concilium Arabicum & Lateranenſe ſub Leone 10. in bulla. Quod ergo anima ſit immortalis, fide & authoritate eccleſiæ convincitur.

51 Quæſtio jam oritur, cum anima ſit immortalis, an itaque a creatore ſuo iterato annihilari queat, cum anima non ſit immortalis per naturam eo ſenſu, quo Deus dicitur immortalis: ita ut in ipſius idea ſive eſſentia immortalitas includatur, ſed eſt immortalis per naturam alio ſenſu, in quantum ſcilicet naturaliter deſtrui non poteſt. Hoc itaque magnæ indaginis eſt, & potius hoc, quod noſtræ ſcientiæ nimis profundum, ſilentio prætereundum: atque ratio & fides negant. Quod autem uti ſupra demonſtratum eſt n. 48. & 50. quod anima ſit immortalis, ac etiam duratura in æternum n. 50. quia quod caret morte eſt immutabile & in æternum exiſtens. Et ut teſtatur ipſa ſacra Scriptura Joannis 6. *Ego ſum panis vivus, ſi quis manducave-*

rit

rit de hoc pane vivet in æternum : & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. &. Luc. 20. *Quia reſurgent mortui, & Moſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Jacob. Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum, omnes enim vivunt ei.* Daniel. 12. *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Hanc autem exiſtentiam perennem, & quod nunquam moriatur anima, habet ex gratia ſive ex beneficio ſui creatoris.

§. IV.

Quo tempore anima jungatur corpori humano, & an omnes partes corporis ab ea informentur, ac etiam in qua parte corporis humani reſideat.

52. Unio animæ rationalis cum corpore humano nihil aliud eſt, quam mutuum commercium actionum & paſſionum corporis & animæ. Supra n. 35. & 44. dictum eſt, quod detur & inſit corpori humano anima rationalis, ſed hæc ipſa anima utpote ſpiritus agens & movens non tantum ſe, ſed & ſpiritus noſtros

ſtros neceſſario commovet, vel ab ipſis percipit motum contrarium aut inordinatum, & anima ad patiendum vel lætandum elicitur. Conceptiones autem intellectus primario ab actionibus ſeu motibus corporis noſtri pendent, quas anima prius non elicit, niſi mediantibus ſpiritibus animalibus, & glandulæ pinealis motu in cerebro n. 73. econtra fiunt tamen plures motus membrorum corporis, qui pendent ab actionibus, volitionibus, & aliis animæ cogitationibus, quæ non fiunt aut proſequi poſſunt, niſi volente & cooperante anima, dummodo non interveniat quædam particularis cauſa, quæ prædictos motus vel impediat vel promoveat n. 18.

Probatum eſt n. 47. in homine duo
ineſſe, nempe materiale, ex quo con-
ſtituitur corpus humanum & immateri-
ale ſeu ſpirituale & intellectuale nempe
anima rationalis, quia non tantum ma-
teriales ut in brutis, ſed & vere in-
53 tellectuales et ſpirituales actus perfi-
ciuntur in homine n. 24. ergo cum
duo ſunt ſibi unita, requiritur amborum

inti-

intima præſentia, jam nihil eſt præſens intime ulli corpori niſi in illud agendo; ita nec illi poteſt uniri, niſi per virtutem, quam habet, in illud agendi, ut itaq; ſit reciproca unio corporis cum ſubſtantia
54 ſpirituali, et quidem per unionem phyſicam, quæ nihil aliud eſt, quam dependentia inter utrumque, qua ſcilicet anima afficitur per motum corporis, ut ſupra primo mentio facta eſt, & hoc per commotionem et voluntatem animæ.

Attamen corpus non eſt localiter illi præſens, unitumque per ſui cum ea extenſionem, ut patet, neceſſe eſt, ut illi intime uniatur per virtutem agendi, ſeu cogitationes aliquas in ipſa excitandi: duo enim ſpiritus non aliter uniti ſunt, niſi per mutuum cogitationum ſeu volitionum, et intellectionum commercium, quas, cum volunt, ſibi mutuo communicant; ita nec aliter concipere poſſumus, ſpiritum uniri poſſe corpori, niſi cum anima motus aliquos in corpore, et viciſſim quaſdam cogitationes in anima corpus excitare valeat. Alias conjunctio, ſeu ut duo ſint unita, denodat proprie uni-

onem

onem duorum corporum ſuperficiebus ſuis ſe mutuo tangentium, vel per mixtionem duorum corporum, ut ſi vinum cum aqua miſceatur, hinc nomina illa continuitatis & contiguitatis in philoſophia orta ſunt, nam ut ſupra primo dictum animam eſſe junctam corpori, non tamen per coextenſionem; ſed ſolum, quod ejus operationes ibi magis eluceſcant, quam in aliis partibus, anima enim rationalis et omnis ſubſtantia incorporea ſive ſpiritus proprie loquendo, non ſunt in ubi, aut loco, ſed ibi, ubi operantur n. 71. 79. et 80.

55 Duo itaque functiones in humano corpore fiunt, una ab animæ concurſu, altera pure naturalis, quæ absq; concurſu animæ rationalis perficitur. Functio, quæ ab animæ concurſu perficitur, triplex eſt loco motiva, ſenſitiva et rationalis. Functio loco motiva eſt membri tranſlatio de loco in locum ſecundum imperium et voluntatem animæ rationalis. Functio ſenſitiva eſt rei perceptio, dependens proxime ab organis et ſpiritibus. Functio rationalis eſt perceptio intellectus perfectior, quam ipſi ab organis et ſpiritibus offer-

offertur, ut conceptio de Deo ut ſum-
no bono et aliis ejus attributis n. 15.

Quod autem ſubſtantia materialis corporea & ſubſtantia immaterialis et ncorporea, quæ toto cœlo differunt, nter ſe invicem uniantur, mutuumque commercium ſimul juncta perficiant: hoc aliter, ut ſupra n. 54. explicatum fuit, omnino concipi difficulter fo-
56 ret. Neque unio duarum harum ſubſtantiarum in eo conſiſtit, quod unum participet de altero, quamvis certas mentis cogitationes ſequantur certi in corpore motus, & vice verſa, certos motus n corpore ſequantur certæ cogitationes n mente. Sic ſi mens cogitat de motu crurum ut n. 55. ſequitur ambulatio: ſic vice verſa, ſi fibræ nervorum in aliqua parte vellicantur, tunc oritur in mente ſenſus, & ſi doloroſa ſit vellicatio, inde triſtis ſenſatio & triſtitia accidit. In hoc ergo mutuo commercio maxima difficultas eſt naturaliter rem explanare. Totum ergo hoc negotium inter mutuam dependentiam & commercium mutuum actionum & paſſionum corporis & animæ eſt in

 ſapi-

57 ſapientiſſimum Dei placidum refun-
dendum, qui iſtas leges inter has duas
ſubſtantias diverſiſſimas ponere voluit, ut
certam cogitationem ſequantur certi in
corpore motus, & vice verſa, ut una in
aliam agat & viciſſim ab alia patiatur.

Quæritur jam quo tempore omnipo-
tens Deus animam rationalem corpori
humano uniat? & an ſi tota in toto cor-
pore vel tantum in aliqua parte corpo-
ris reſideat? ac etiam an omnes corporis
partes ab ea informentur? Supra memora-
tum fuit, duo in homine eſſe conſtitutiva,
n. 47. unum materiale, alterum immateri-
ale, & ſolummodo per Dei omnipoten-
tiam hanc unionem fieri, ſive Deum ma-
teriæ corporeæ addere ſpiritum immate-
rialem ſeu animam rationalem, per quam
vult Deus imperia mentis innoteſcere
corpori, & per quam unionem eadem
mens ſciat, quidnam in ſuo regno, cor-
pore ſcilicet organico agatur. Superaddi-
tur ergo quædam potentia corpori, nem-
pe anima rationalis, ſine qua corpus hu-
manum nequit exercere aut perfice-
58 re actus liberos intellectuales non

coo-

cooperante anima. Et cum duæ animæ
inſint potentiæ, una qua mens ſibi repræ-
ſentat objecta & appellatur intellectus,
quia multa intellectus perfectius exco-
gitat, & ſibi format non ita exacte alias
aut falſe per ſenſus repræſentata, quæ
aliter intellectus agnoſcit, ac ipſi per ſen-
ſus objiciuntur; altera potentia appella-
tur voluntas, qua nempe vel in ea, quæ
cognoſcimus objecta ſponte ferimur, vel
ab ipſis ſponte avertimur. Præſupponitur
ergo corpus humanum jam vere for-
59 matum eſſe debere n. 70. antequam
anima rationalis ei jungatur, ad ope-
rationes perficiendas intellectivas & ar-
bitrarias: Quia ad hoc ut anima in cor-
pus agat & viciſſim, neceſſe eſt, ut ejus
corporis inſtrumenta ſeu organa perfe-
cte formata ſint ad ejus uſum, certa au-
tem & perfecta talis formatio determi-
nari nequit, ergo tanto minus unio ani-
mæ cum corpore. Multæ quidem opi-
niones ſunt de unione animæ cum
60 corpore, quidam in ipſo conceptio-
nis actu animam cum ſemine trans-
ferri putarunt, quidam 30. aut 40. ad ſum-

mum 80. die ab inchoante conceptione animam corpori uniri affirmant. Primi putabant, cum pleraque animantia ſuam ſpeciem propagent: ita & hominem ſe totum producere arbitrabantur. Aſt hanc productionem & creationem animæ rationalis ſibi ſolus altiſſimus reſervavit n. 37. Ut legitur Genes. 2. v. 7. quia anima nequaquam eſt ejuſdem indolis & eſſentiæ corporis ut ſupra dictum n. 39. ergo debet in corpus infundi ſubſtantia aliqua nova. Hoc autem, quo tempore fiat, hæſito. Cum varii authores varias de hoc negotio opiniones ſentiant, & vix certitudinem attingant. Nullam autem neceſſitatem invenio cum Doctiſſimo Le Roy, cur alia anima, quouſque eſt embryo pars corporis & informatur ab anima matris, infundi deberet in utero matris, quatenus fœtus in utero contentus non minus vera pars corporis matris eſt

& informatur ab anima matris ſecun-
61 dum eſſe vegetativum & ſenſitivum.

Unde ſicut ab anima matris tunc informatur, ita & ab eadem regi conſtat,

hoc

hoc communiter etiam affectiones fœtus cum matre approbant.

62 In illo ipſo inſtanti autem, dum anima matris a fœtu ſeparatur, in eodem momento Deus animam rationalem creat & infundit fœtui, quia ſi fœtus ſecundum quosdam alios authores, ut Ariſtot. qui 42. & 80. Dr. Boudewynum Antverpienſem, qui in ſuo ventilabro Medico Theologico fœtum 60. die animatum ait. Fienus Profeſſor 3. die conceptum animari affirmat. Blembius a primo momento conceptionis. Cum ergo poſt 40 diem vel aliquos fœtus abſque anima creſcat & nutriatur, adhuc ultro perfici poterit abſque novæ vel aliæ quam matris animæ rationalis concurſu n. 61. Imo ſacra ſcriptura ipſa fatetur Exod. 21. *Si rixati*
63 *fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Si autem mors ejus ſubſecuta fuerit, reddet animam pro anima, oculum pro oculo &c.* Exinde elucet, quamvis mulier abortiverit, illa tamen

viva remanente; eos viros ſolummodo puniri in mulcta, quantum arbitri judicaverint, ſi vero mors matris ſubſecuta fuerit, reddet animam pro anima. Quod ſi itaque fœtus vel 2. aut 3. vel plane 40. die anima rationali informatus eſſet; tunc certe etiam fœtu occiſo animam pro anima occiſor reddere deberet, quod autem non exprimitur nec ita intelligitur. Quoniam ad illud tempus uſq; præcipue tam breve ſecundum quosdam, ut a 1. ad 3. vel 6. diem ſe fœminæ raro aut nunquam (multo minus judices judicare poſſent) certo imprægnatas eſſe ſciunt, ergo de talibus non mentio eſt in prædicto textu ſacro n. 63. Sed ſi de anima præſupponeret rationali, tunc de ſenioribus, ſeu qui pluribus diebus vel menſibus fœtus exiſtunt in utero n. 59. annuntiaret textus. Dum jam grandior fœtus eſt, & ab utero vi vel præternaturaliter expulſus: tunc enim eo ipſo inſtanti, quo ab utero matris ſecedit fœtus, anima ei infunditur, & ſi ob ictum gravem tunc fœtus ſuperſtes & ut jam formatus anima rationali, vivus vero remanere nequiret, non minus vir percutiens uti pro matre ita et-

am pro fœtu animam pro anima ſeu vi-
am pro vita tribuere & ſacrificare de-
beret. Probatur ultra ex ſacra Scriptura
fœtum in utero vivente matre non eſſe
informatum anima rationali. Eccl. 40.
64 *Occupatio magna creata eſt omnibus ho-
minibus, & jugum grave ſuper filios
Adæ a die exitus de ventre matris eorum,
uſque ad diem ſepulturæ in matrem omni-
um.* Item Job. *Quare de vulva eduxiſti
me? qui utinam conſumptus eſſem, ne ocu-
lus me videret, fuiſſem quaſi non eſſem de
utero translatus ad tumulum.* Quia ni-
mirum fœtus, priusquam in lucem na-
ſcitur, in utero conſumptus, non aliter
ac jumentum perit (non tamen propter-
ea brutum eſt ut n. 34.) hinc dicit Job
Fuiſſem quaſi non eſſem. Nempe ante in-
fuſionem animæ, dum adhuc in utero
eſſet. Quamprimum vero anima matris
a fœtu abſiſtit, virtute omnipotentis Dei
alia noviter creata anima fœtui infundi-
tur, quod infinitæ Dei bonitati, quæ nul-
lum vult perire, adſcribendum, & ne tot
abortuum animæ rationales, extra ſpem
ſalutis relictæ & neglectæ videantur.

56 Quæri jam exinde poteſt, an omni tempore abortus, dum fœtus ſepara tur a matre, anima inſpiretur? Dico, ſ fœtus ita formatus exiſtat, ut vitales actus jam exerceat, ſubſtituitur anima noviter creata loco animæ matris, ut vita ulterius perennet, non quidem ab anima ſed concomitante anima. Utcunq; autem fœtus vivificatur in utero, dum caput & cor ſimul ita perfecta fiant, ut cor portionem ſpirituoſam in ſanguine ad cerebrum impellat, & hoc demum illam ſeparet a ſanguine, & ad uſus varios in corpore diſtribuat, & ut animæ imperio inſervire queant n. 52. & 56. harum autem duarum partium cordis & capitis augmentum & accretio in utero perfecta non
66 certis diebus determinari poteſt, ſunt enim quidam fœtus debiliores reliquis & tardioris augmenti vid. Tract. 1. n. 127. Doctiſſimus Dr. Langius expertus eſt in abortu quodam fœtum 4. ſeptimanarum, cujus caput ſuperavit magnitudine omnes reliquas partes; ita quidem, ut in duplo reliquos ventres ſuperaverit: unde judicium deſumpſit, in illo fœtu

jam

jam ante quartam ſeptimanam ſcilicet ſe-
cunda vel 3. poſt conceptionem caput &
ejus contenta formata fuiſſe ad produ-
cendam portionem ſpirituum ut n.46. di-
ctum, & ad animæ ſedem præparandum.
Quod autem caput majus & citius præ
reliquis partibus in fœtu appareat, non
ſequitur illud prius præ reliquis for-
67 matum eſſe, omnium enim parti-
um generatio ſimul & ſemel inchoa-
tur, quædam tamen partes citius præ re-
liquis ad debitam & notabilem formati-
onem perveniunt. Unde aſſentiente Hip-
pocrate lib. 1. de diæta, membra ſimul
omnia diſcerni & augeri, non unum a-
lio prius, aut poſterius, tametſi, quæ
ſunt natura majora, prius quam minora
appareant, cum nihil priora ſint, quæ
enim digniores in natura inſtitutæ par-
tes ſunt a Deo, ut aliorum partium uſui
inſerviant, neceſſe etiam eſt, ut prius
augmententur & prodeant.

68 Ex ſacra Scriptura quidem habe-
tur, quoſdam in utero matris fuiſſe ſan-
ctificatos, & ſpiritu ſancto repletos, quæ
ſanctificatio neceſſario in animam ratio-

nalem in fœtu in utero exiſtentem cadere debebat, ita etiam in ipſo momento verbi incarnati actu illo libero, quo corpus ſuum Deo obtulit, ex condigno ſatisfecerit pro genere humano; quomodo ſola anima ſenſitiva ſeu corpus humanum ante infuſionem animæ rationalis ineſſe potuiſſet, quæ ſicuti actus liberi, ita quoque meriti eſt incapax; conſequenter anima rationalis in utero non extra uterum ei infunditur. Ad hoc, ut aliqui in utero ſanctificentur, aut ſpiritu ſancto repleantur, intelligendum eſt, ſanctifi-
69 cationem non uno modo ſumi, cum neque ſanctum & ſanctitas unius ſit rationis. Nam in humanis quidem ſanctum dicitur proprie & formaliter a gratia juſtificante: analogice vero reliqua omnia, quæ vel cauſæ, vel ſigni, vel effectus habent rationem, in ordine nimirum ad formalem ſanctitatem. Fœtus quamvis in utero ſanctificetur, non formaliter ab hac gratia, quæ ſoli animæ rationali eſt propria, ſed materialiter & diſpoſitive ad illam, quæ cum anima rationali infunditur. Tametſi enim pec-

catum

catum originale conſiſtat formaliter in anima rationali, cum ſit privatio illius gratiæ, quæ ſanctos facit, & Deo amicos, nihilominus his præmiſſis, fœtus in utero ante infuſionem animæ ſanctificatur, quia non immerito regius vates profert; *Ecce in peccatis conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ex quo patet, in ipſa conceptione longe adhuc abeſſe animam rationalem, & primo ut aliqui putant 42. vel 80. die a conceptione infundi organis jam formatis animam rationalem. Simili modo fœtus ſanctificatur in utero materialiter & diſpoſitive, non formaliter.

Quod autem Maria Dei mater non fœtum purum, ſed hominem & Deum ſimul factum conceperit, in perſona verbi ſubſiſtentem, & verbum æternum, non unam partem humanitatis, ſed totam naturam, non inde ſequitur, reliquos conceptus ita fieri, qui in nulla re nec in minimis ſe aſſimilaturos præſumant, multo minus in conceptionis ordine. Anima enim tantummodo infunditur ad animi functiones & ad actus liberos exercen-

cendos, a quibus longe adhuc abeſt anima rationalis in fœtu, quouſque in utero (& fors adhuc brevi tempore continetur) & ab anima matris regitur, ſuperflua itaque pro tunc eſſet anima rationalis.

70 Ex ſupra allato n. 49. conſtat, animam rationalem propterea non infundi corpori, ut organizet ſeu formet illud, quatenus prius jam formatus & delineatus embryo eſt in ovo, quia per modernam anatomiam detectum eſt, ova muliebria eſſe rudimenta corporis humani, ſeu in ovis continere delineatum corpus humanum vel maſculum vel fœmellam Tract. 1. n. 110. quæ dein fœcundata ab aura ſeminis maſculini ulterius creſcunt & perficiuntur, ſpiritus namque genitales intra ovi receptacula admiſſi, tubulos jugiter perfluunt, quoniam prima partium delineamenta ſeu rudimenta conſiſtunt in infinita quodammodo multitudine tubulorum, ex quibus quædam producuntur vaſa ſanguifera, lymphatica, chylifera ac glandulæ excretoriæ &c. hoſque expandunt in actum-

que

leducunt materiam ovi, dum itaque delineamenta ſenſim expanduntur, pori in eorum lateribus etiam fiunt magis patentes, ac materia intra fibras & tubulos fluctuans ſeſe in illos inſinuat, & ita latera illa ſenſim accreſcunt & augmentantur, fiuntque majores. Anima itaque non infunditur corpori ut organizet ſeu formet illud, quia jam ante conceptionem formatum & delineatum exiſtit, ſed ſolummodo propterea infunditur anima rationalis, ut una cum corpore motus animales perficiat ad ſui & ſui creatoris obſequium, ejuſdemque deficientibus, ſuæ vellicationis rationem reddat.

Uti autem ex ſupradicto n. 2. animam rationalem difficile circumſcribi poſſe referebam, quid ſit; ita vix locus alius ipſi aſſignari poteſt, quam ibi, ubi eſt ſua præſentia & virtualitate, nec eſt partibilis quoad locum, ut hic & ibi uno inſtanti eſſet, cum minus duas ſimul cogitationes habeat, & nequit intenſe & exacte cogitare, ut in catalepſi ſufficienter animadvertitur, niſi de una

re in

re in eodem temporis inſtanti ſeu eodem momento de duabus rebus oppoſitis.

72 Agit vero ſua virtualitate in ſpiritus & exinde in plures corporis partes, hoc autem potius per protruſionem, quam inflationem ſpirituum in nervos, non tamen ut anima unita ſit ſpiritibus n 54. quia ſpiritus animales quotidie noviter generantur & immutantur, quod ſi anima illis eſſet juncta, tunc quoq; cum illis periret & avolaret.

Neque unita eſt toti cerebro anima rationalis, ſed ejus tantum alicui parti aſſociata eſt, nempe glandulæ pineali, quæ glandula poſita eſt in cerebro, nervos
73 undequaque venientes recipiens: ita ut anima rationalis tamquam in throno hinc inde pro arbitrio ſpiritus animales per nervos movere & determinare poſſit in hanc vel illam corporis par-
74 tem. Unde cerebrum eſt omnis ſenſus & motus immediatum principium. Hinc S. Auguſtinus in Epiſtola ad Valuſianum: Deus ex puncto, quaſi ex centro cerebri ſenſus omnes quinaria diſtributione diffudit. Nam ſenſus in anima rationali conſideratus nihil aliud eſt,

quam

uam potentia percipiendi objectum ſen- bile, ab objecto in nervos, & a nervis ſpi- itibusq; animalibus in iis contentis ad a- imam defertur motus ſenſationis, qui in erebro ſolummodo fit, quia in capite ju- icat, hic vel ibi partem affectam eſſe v.g. quis eſt liber judicii & pes ipſi afficitur, ſit & percipit in capite ſe dolere in pe- e, econtra ſi caput eſt perturbatum, ec ſentiet nec ſciet aut percipiet locum oloris in afflicta parte. Hoc docent nulta exempla in apoplecticis, paralyti- is, ſyncopticis, aliiſque ſoporoſis affe- tibus, in quibus tollitur ferme omnis enſus & motus, quod ſignum evidens ſt, ſenſum & motum dependere a ce- ebro, in his autem ſoporoſis affectibus erebrum ejusque nervi ſunt affecti & bſtructi, vel etiam nimium relaxati, er quos alias ſpiritus irruunt.

75 Nec omnes nervi terminantur in- ra ventriculos cerebri, ubi glandula pi- ealis ſita eſt, & hinc anima ſpiritus ter- ninare non poteſt ad omnes corporis partes, unde etiam non omnes acti-
76 ones corporis anima perficit, quia

alii

alii nervi ab alio loco nempe cerebro, alii a cerebello & alii a medulla ſpinali terminantur, ideoque non opus eſt, ut omnes nervi a glandula illa deriventur, ſed tantum illos nervos intra ventriculos cerebri determinari, qui inſerviunt ſenſui & motui arbitrario, quia ſi omnes nervi corporis deſinerent in ventriculos cerebri, tunc non poſſet fieri diſtincta ſpirituum determinatio, quia illi nervi nimium forent vicini, vix enim ambitus ventriculi cerebri reſpectum habet ad omnes corporis nervos.

77 Parvitas hujus glandulæ pinealis
nil obeſt, ut non ſit ſenſorium commu-
ne, quibus enim hominibus glandula
hæc major eſt, ſtupidioris & tardio-
78 ris ingenii ſunt, quia non tam prom-
pte moveri poteſt, qui vero minorem
habent longe auctioris ingenii ſunt, quia
glandula illa ſumme mobilis eſt. Quodſi
autem hæc glandula quocunque modo
afficiatur vel putrefactionem ſuſcipiat,
tales homines perpetua fatuitate conſti-
tuuntur.

79 Glandula iſta pinealis collocata eſt in lo-

n loco, ubi omnes quatuor ventriculos cerebri reſpicit & undique cingitur & mbitur ſpiritibus animalibus, qui in iſtis ventriculis cerebri tamquam promptuariis obſervantur in neceſſarios uſus, nde optime poteſt fieri ſpirituum determinatio verſus partes noſtri corporis, on tamen abſolute intelligitur hæc ſedes nimæ in glandula pineali eſſe immediata, ed quatenus eſt aſſociata ei, ibi enim eſt nima, ubi ſuas operationes perficit, ſed in erebro ſolummodo eas perficit, ergo ibi ſolum eſt. Probatur minor: in nulla

3o parte corporis nec in diaphragmate nec pectore, nec in ſuperciliis, nec in corde, nec in omnibus aliis partibus conſcii ſumus nos ibi cogitare ſeu intelligere, ed ſolummodo in cerebro, ergo nec ulla pars corporis alia poteſt eſſe animæ rationalis, quia nulla pars aut ullum organum cogitat, nec oculus, nec auris, nec pes, &c. ed vere ſentimus, quod cogitationes noſtræ, perceptiones, memoria, ſomnia, eliria, reliquæque animæ operationes in erebro fiant, ergo omnes operationes eu perceptiones animæ in cerebro. Sequi-

tur itaque, quod ibi ſit, ubi oriuntur ipſius perceptiones & operationes.

81 Ex ſupra allatis n. 31. & 32. colligitur, animam rationalem ſolummodo informare hominem, & ita una cum corpore humano conſtituere hominem, nullatenus autem corpus ab ea informatur, quia non eſt forma corporis, ſed hominis, formatio enim corporis antecedit exiſtentiam animæ in corpore n. 38. cum nimirum Deus primo formato & organizato corpori inſpiret ſpiraculum vitæ, ſeu animam immortalem; neq; de anima dici poteſt, quod ſit actus ſubſtantialis conſtituens intrinſece unum per ſe cum materia quatenus eſt ſeparabilis a corpore ſeu a materia.

§. V.

An anima in ſingulas corporis partes agat; & omnes motus ab ea proficiſcantur?

De operationibus animæ dictum fuit, animam rationalem quouſque eſſe junctam corpori nullos per ſe ſolam operari actus corporeos, ſed una cum ſpiritibus eos perficere n. 13. & 14. hinc etiam multis animalibus, qui robuſtioribus ſpiritibus abundant, in robore anima cedere

de-

debet, attamen in actu ſpirituali ſeu directione ſpirituum omnia cætera animalia ſuperat n. 24.

Ex ſupra memoratis elucet, non omnes nervos n. 76. intra ventriculos cerebri terminari, hinc etiam animam non poſſe demandare ſpiritus ad omnes corporis partes, unde fit, ut non omnes actiones in corpore ab anima perficiantur, quia alii nervi alio loco nempe cerebello & a ſubſequente medulla ſpinali terminantur, ideoque non omnes nervos intra ventriculos cerebri determinari, ſed tantum illos nervos, qui inſerviunt ſenſui & motui arbitrario. Anima nullum alium motum in corpore perficit præter velle vel non velle, quatenus ſpiritus determinat & protrudit in hos vel illos nervos.

82. Actiones quidem ſingulas corporis noſtri humani jam multis abhinc ævis priſci ſcriptores, ſed anatomiæ artiumque mechanicarum ignari animæ tantum potentiis adſcripſerunt, quatenus ſpirituum animalium potentia ad movendum corpus noſtrum n. 46. quos Hippocrat.

bene annotavit his verbis: Spiritus animales ſunt impetum facientes in corpus noſtrum, hinc omnes actiones his ignotis ſolum animæ potentiis, & ab ea productis opinabantur. Aſt, anima utpote ſpiritus ſeu ſubſtantia immaterialis
83 nullatenus efficit omnes in corpore operationes: imo in corpore multæ actiones perficiuntur neſciente multo minus cooperante anima, quæ operationes ſeu actiones a ſolis ſpiritibus progrediuntur, ut dum nocte ſopore ſummo obruti, vel in delirio conſtituti, loquimur, incedimus, agimus, & aliæ variæ operationes in corpore fiunt, quæ actiones, ſi ab anima dirigerentur, horum omnium gnara eſſet, ſaltem pro illo tempore, ſed neque in illo tempore nec ex poſt dum evigilat, actionum conſcia eſt, ergo. Hæc actiones in ſomno potius fiunt a percurrentibus ſpiritibus non dirigente anima, & cum objecta per ſpiritus tantum, non dirigente anima, eidem animæ non clare & diſtincte repræſententur, adeoque anima judicium confuſum habet dum evigilat homo, & nihil aut parum exinde reſcit. Si autem ex

vo-

voluntate & directione animæ fierent ta-
les actus in inſomniis, tunc etiam omni-
um conſcia eſſet, ſaltem pro illo tempore,
ſed in illo tempore non eſt conſcia, ergo.
Quia ſi eſſet conſcia, homo in ſomno ſci-
ret, quid agat, ſed tantum quandoque aut
raro ex poſt, dum vigilando ſpiritus per-
currunt cerebrum, dein primo quædam
veſtigia in ſomno relicta a ſpiritibus ani-
mæ repræſentantur, & ut plurimum con-
fuſa, quod ſi vero veſtigia leviter incuſſa
fuerint, nec conſcia illarum ſit. De his vi-
deat etiam B. L. Tr. 2. §. 2. de inſomniis
& n. 473. & de memoria n. 493. Ita etiam
ſecretiones, diſtributiones &c. in cor-
pore fiunt nec dum vigiles ſumus, ſci-
ente & operante anima, uti etiam ante
infuſionem animæ fit. Apparet itaque
luculenter, non omnes actiones in cor-
pore ab anima fieri.

Ad hoc autem, ut anima rationalis ex-
terna percipiat, ſuumque corpus libere
moveat, ſpiritus animales, quinque ſen-
ſuum organa & muſculi antagoniſtis
34 gaudentes ei inſerviunt. Muſculi
enim, qui non antagoniſtici ſunt a-

nimæ imperio & motui voluntario non ſubjiciuntur.

85 Motus vero imperante anima fit, dum ſpiritus animales in cerebro curſu aucto per nervos ad muſculos in majori protruſione, quam ſponte ſua ſolent, ex animæ imperio mandantur. Quomodo autem ſpiritus animales ad cerebrum refluentes rerum corporearum imagines animæ cogitanti ſeu intelligenti incorporeæ communicant, & quomodo eadem anima cogitans ex voluntate ſui arbitrio animales ſpiritus ad unum potius, quam ad alium muſculum in majori copia determinet? hanc mutuam animæ in ſpiritus & ſpirituum in animam correſpondentiam & actionem ſupremi Numinis juſſui & potentiæ adſcribendum eſt.

§. VI.

An corpus humanum vivat ex præſentia animæ, quatenus ea juncta eſt corpori? & demum moriatur? dum abſcedit anima a corpore.

Quid ſit vita? & in quonam conſiſtat, in Tract. 1. §.n.26. declarata fuit. Con-
86 cludo itaque, vitam corporis hu-

ma-

mani non dependere ab ipſa anima rationali, cum jam pro priori corpus vivat ante infuſionem ſeu unionem animæ cum corpore, ideoque non vivit corpus, quatenus ei unita eſt anima rationalis, vel moriatur diſcedente anima. Quia ſi vita corporis ab animæ præſentia dependeret, tunc ante infuſionem animæ rationalis corpus nec vivere nec augmentari poſſet, ſed vivit & augmantatur ab illo inſtanti conceptionis ante infuſionem animæ, ut ex ſupra dictis ſatis notificatum eſt n. 70. ergo vita corporis non dependet ab anima rationali, utpote ſi viveret corpus ab anima, homo nunquam moreretur, quia anima nunquam dereliqueret corpus ex propria voluntate Tract. 1. n. 44. ſed Deus immediate animam a corpore revocare deberet, ut homo moreretur, quod autem repugnat ſacræ Scripturæ & propriæ voluntati hominis, dedit enim Deus Adamo liberam poteſtatem vel comedendi de fructu Paradiſi. &c. dein cum illa diſſolutio animæ & corporis maxime horrenda ſit, quam ſemper abhorremus, multo mi-

nus perficeremus. Solum itaque illa
87 diſſolutio corporis&animæ propterea
fit,quatenus ut plurimum aliquo modo Tract. 1.n. 51. læditur ſanitas ex improportionata habitudine partium ſpirituoſarum & humidarum ac ſolidarum, quæ ſi plane depravantur & deſtruantur,vel ab intrinſeco vel ab alio extrinſeco violento modo; ita quidem, ut ad motum omnem inepta perficiantur & ſiſtantur, mors fit. Hinc parte una nempe corporea conſtituente hominem n. 53. depravata & deſtructa,anima nullatenus amplius in illam operari poteſt, adeoque neceſſitatur anima derelinquere habitaculum ſuum &migrare ex corpore.

88 Dum etenim corpus deſtruitur & ejus operationes ceſſant, anima e corpore primo migrat, non autem a diſceſſuanimæ corporis actiones læduntur aut ceſſant. Hujus comparationem fecit Doctiſſimus Verheyen de molentino in ripa fluvii, cujus rota, ut fieri ſolet, agitatur curſu aquarum, & ponit tale argumentum: Quamdiu vertebatur rota fluebat aqua; & dum non amplius vertitur

rota

rota, non fluit amplius aqua; ergo fluxus aquæ proveniebat a verſione rotæ. Quis dicet fluxum aquæ provenire vel continuari a rota: ita etiam, quis inferet curſum humorum dependere ab anima.

89 Cur autem homo partium ejus conſtituentium ſeparationem n.47. nempe corporis ab anima timeat? fugitque quantum poteſt? Reſpondeo, anima dum corpori unitur, & cum eo operationes perficit, non tantum ſuæ excellentiæ, ſed & ſui creatoris multoties obliviſcitur: dum vero ſe reflectit iterum a corpore ſeparandam eſſe, timet hanc ſeparationem fieri: quia dubitat, an poſt hanc ſeparationem ipſi alia vita remaneat, apoſtoli quidem Chriſti & alii ſancti viri intelligentes & ſperantes poſt hanc vitam aliam imo feliciorem ſupereſſe, hinc anhelarunt diſ-
ſolvi corpus ab anima & eſſe cum
90 Chriſto. Platonici plane putabant a-
nimam ſuam immortalem de uno corpore in aliud migrare, & ita in æternum vivere, aliquas tamen animas alias

claritate ſuperare, adeoque nihil curabant mortis jacula.

91 Non mirum quidem eſt diſſolutionem animæ a corpore horrendam nobis imaginari, tanto magis autem, cum de fide ſit & etiam ratio dictet, nos rationem reddere creatori noſtro villicationis noſtræ, qua boni bona, mali mala accipiemus præmia. Quo circa dum vix infirmamur, jam ultimum nobis diem ante oculos ponimus & mortem timemus; quare mox pro medico mittimus & omnis ſollicitudo tantum eſt de recuperanda valetudine. Interrogatur quidem multoties medicus, an periculum vitæ ſit vel immineat, ut tandem etiam medicus ſpiritualis convocetur, ſed male? quoniam ante omnia conſcientia prius purificari deberet per medicum ſpiritualem ſeu confeſſarium, ut dein etiam ſordes corporis facilius corrigantur vel extirpentur (a Jove principium) non neceſſe eſt, ut medicus periculum vitæ prædicat & ad confeſſionem admoneat, quo plus quandoque ſanitati nocet, quam juvat, præcipue apprehenſivis & timidis natu-

naturis, multoties etiam fit, ut morbus vel accidens aliquod repente in morbo contigens medicum in prognoſticando periculo decipiat & æger ad tartara
92 pergit: tutius itaq; eſt bono chriſtiano, ut non tantum corpori corruptibili, ſed multo magis conſcientiæ purificandæ primatenus, & non ſero jam titubante lingua, provideat, caſu quo contigeret vitæ finis temporalis, illum mors paratum inveniat. Quomodo ergo ita tutus per multas horas, dies, & menſes æger confidit in peccatis perſiſtere, cum cunctis diebus (cum Job cogitare debeat) præcipue quibus tunc militat (nimirum in morbo) exſpectet, donec veniat immutatio ejus.

93 Non minus bruta & cuncta viventia timent mori, quoniam placuit ſupremo Numini, ut entia horreant ſui diſſolutionem, antequam uſui prædeſtinato & decreto inſerviant, nec ſciunt illorum ſpiritum materialem melius in aere
94 ut in lucido & libero, quam in illorum opaco corpore vivere: ita quoque multi homines in carcere conſtituti,

ſeu

ſeu dum anima adhuc juncta eſt corpori in libertatem ſeu diſſolutionem ſpiritus a corpore devenire non anhelant, utpote mundanis lætitiis & avaritia obruti, vel qui ſe meliorem & clariorem feliciorem que vitam accepturos dubitant, & etiam a potiori cum epulone illo divite illam deperdunt, hinc timent mortem.

95 Sed profecto, qui conſiderant nullam aut exiguam in hoc mundo perennare felicitatem, illam etiam gemino a latere quadam involutam eſſe amaritudine, prætereaque omnia mundi gaudia non minus ac iridem diſperire, quid enim hæc terrena aliud ſunt, ut Paulus ad Philipp. & Auguſt. cap. 3. v. 8. ait: *Omnia detrimentum feci, & arbitror, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Heroicum itaque pectus virtutibus bonis ſtipatum omni tempore, dum terminus vitæ aut hora mortis appropinquat, mortis jacula ſper-
96 nere debet, ſcit ſingulis hominibus ſtatutum eſſe mori, cui decreto principes & reges obedire debent, quanto magis tu villior perſona. Homini mundus ſolummodo ideo elocatur, ut propria ei do-

ei domus in cœlo ſit, Deus enim omnes homines ſalvos fieri & ad ſe venire vult, quos etiam omnes ſuo ſanguine redemit, Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem, per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum. Habe fiduciam* (nos monet Salomon Proverb. 3.) *in Domino ex toto corde tuo* & Jerem. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Item Proverb. 28. *Qui ſperat in Domino, ſalvabitur* & Joann. 2. *Hæc eſt repromiſſio, quam pollicitus eſt nobis, vitam æternam.* Econtra *ſpes impiorum peribit* Proverb. 10. & ut Job ait 11. *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes illorum abominatio animæ.* Quid aliud hæc noſtra temporalis vita, niſi carcer anguſtiarum & dolorum abyſſus.

Thraces die, quo filii ſui naſcebantur, ſingultus inter & planctus celebrarunt exequias, & in termino vitæ lautiſſima inter concentus inſtituere convivia. Imo ut Owenus notat in ſuis verſibus, nos infantes plorantes in hunc mundum prodire, nimirum:

Plo-

Plorabas cum natus eras, fuit ergo voluptas
Nulli tibi naſci, cur dolet ergo mori.

97 Verum quidem eſt, ultimam illam horam mortis horrendam nobis apparere, cum certi non ſimus, vitam æternam nos aſſecuturos eſſe. Nihilominus ſpes & confidentia in Deum erigenda n. 96. largitur etiam, quam promiſit Deus Matth. 19. v. 17. *Si vis vitam æternam ingredi, ſerva mandata mea,* & Luc. 3. *Qui fructus dignos pœnitentiæ faciunt* & Deuter. 5. *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, & faciens miſericordiam in multa millia, diligentibus me, cuſtodientibus præcepta mea,* ac etiam Ezechiel. 18. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini & vivite.* Ut itaque mortem facile ineamus, multoties nos mortis memores eſſe oportet, cum enim multa memoria mortis efficere valeat, quanto plus mors ipſa adimplebit. Nam quot bona attulit una mortis memoria, quot mala impedivit, tanto magis mors aſſecuta omnia effugiet, quapropter ſimus tantum parati & conſcientia bona muniti, cum neſciamus dicit S. Auguſtinus

qua

qua hora mors veniet, ideo ſemper vigile-
mus, ut, quia neſcimus, quando veniet, pa-
ratos nos inveniat, quum venerit. Non
98 omnes enim gratiam habent ultimo
tempore ſe præparandi ad mortem,
quod contigit multis & millenis ho-
99 minibus, qui ſubitanea morte obie-
runt: quot nempe millia hominum
mox in primo ſæc. 72. conſumpſit mons
Veſuvius, dum ignifero exſpirio civitates
Pompeianas devaſtavit: ita etiam eo-
dem ſæculo 72. poſt nativitatem Domi-
ni Fidenis contigit ab irruto amphitea-
tro 30000. homines ſuppreſſos & ſuffoca-
tos, & anno 243. ab unico terræ motu ſat
numeroſæ civitates demolitas fuiſſe, in
quibus civitatibus ſat ingentem homi-
num copiam conquaſſatam nobis imagi-
nari poſſumus, & an. 1446. in Hollandia
mare ſe ita diffudiſſe ut 100000. homi-
num ſubmerſi fuerint. Non vero tantum
priſcis ſæculis, ſed quotidie repentini ne-
cis caſus contingunt, & homines ex hac
vita abripiuntur, vel per tonitrua, per ſclo-
pos, per ictus, per caſus, per morbos, ut a-
poplexiam gravem, & per multos alios
modos

modos nobis ſat cognitos & hinc inde auditos. Ita non minus occiduntur multi præmatura morte, qui carnis voluptatibus & gulæ inſerviunt, ut recte teſtatur S. Ambroſius, quicunque a pueritia ſe dederit carnis deliciis, manebit in ſervitute, ut vivus mortuus ſit. Quam momentaneum itaque vitæ noſtræ tempus! væ tempori & momento, in quo brevem voluptatem aut vanitatem æternitati anteponimus! *Non enim ei eſt bene* refert Eccles. 12. *qui aſſiduis eſt in malis.* Et Owenus de contemptu mundi:

Felicem vitam vis vivere? ſpernito vitam
Vivit enim miſere cui ſua vita placet.

100 Cum ergo mors incerta hora ventura ſit, vigilare nos omni hora oportet, & eſſe paratos, ut non illam abhorreamus aut timeamus adhortante Catone lib. 1. v. 22.

Ne timeas illam, quæ vitæ eſt ultima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipſum.

101 Sed potius majore cum gaudio eam amplectemur, corpus tantum aggravat animam leg. Sapient. 9. & nos ab hac mi-

ſeria-

ſeriarum vale cum Apoſtolis anhelemus diſſolvi & eſſe cum Chriſto, vel cum Sancto Thoma de Kempis lib. 2. c. 8. cogitemus, eſſe ſine Jeſu gravis eſt infernus: eſſe cum Jeſu dulcis paradiſus.

102 Eſt itaque apud Deum omnis gloria, dignitas, omnis theſaurus, & opulentia, omnis voluptas & conſolatio, deliciæ, gaudia, beatitudo &c. Sis ergo Deus cordis noſtri & pars noſtra, & fiat miſericordia tua Domine ſuper nos nunc & in hora mortis, quemadmodum ſperamus in te. Fac quoque æterne Deus, ut ita nunc ſobrie, pie & juſte vivamus, & te in hora mortis amplectemur & non ſeparemur a te, ſed te facie ad faciem videamus ſine fine, & in æternum laudemus, Amen.

INDEX

Tractatus primi denotans res per numeros poſitas.

A.

ANimal alterum viventium genus 17
Animalia diverſæ ſpeciei ſunt 18
frigida quoque vivunt 30
An animalium vel plantarum vita longior ſit 3[illegible]
Arbor unum membrum plantæ [illegible]
Aſinus in regem animalium poni voluit 6[illegible]
Aſtrologis & fatis non dicto credendum 49

B.

Bruta quali vita fruantur [illegible]

C.

Coeundi modus non unus & ſolus 7[illegible]
Coitus quo anni tempore utilior & quoties 79
perparcus non nocet 85 & 86
Calor magnus & frigus ingens nocent veneri 80
Conceptioni qualis idoneus coitus 75 & 76
Conceptionis cauſa in quonam conſiſtat 109
Concepto embryoni vita tribuitur 120
Conjugium præmaturum accelerat mortem 45
quo tempore ſuſcipiendum, ne prolibus nocent 46
Conjugale opus non feſtinanter celebrandum eſt 78
Conſtitutio naturalis corporis humani, an ad vitam longam contribuat 56 & 57
Copu

Copula carnalis ſana & hilari mente inſtituenda 72
Corpus non ſimul & ſemel ſemper deſtruitur & moritur 51
Corallia an plantæ vel lapides ſint 16
D.
Delineatio maſculi vel fœmellæ in ovis mulierum præexiſtit 110
Die vel nocte venus ineunda 94
E.
Educatio infantum 137
Embryo conceptus qualiter vivat 120
F.
Filici ſemen datur, etſi ignotum ſit oculis 9
Fœmina malum neceſſarium eſt 81
Fœminæ quod annorum nubere debeant 47
robuſtiores in venere quam viri 105
ſe polluere nequeunt 104
a concubitu non ita facile, ut viri moriuntur 107
Fœtus fortis an citius debili naſcatur 127
Frequens venus nauſeam unius perſonæ parit 91
Fundamentum vitæ longæ 53 & 55
Fungi plantis adnumerantur 5
ſeminant 6
ſuam ſpeciem continuant & producunt 7
G
Gravida mulier multa vitare debet 122
Gravidæ frequens venus nocet 123 & 124
Generatio primaria vermium ex ovis 114 & 115

Generatio ex materia putrida ſola non fit 118
vitiatur utcunque a parentibus 69
Genus duplex viventium 3

H.

Herba per poros corticum radicis nutritur 2
Herba alterum membrum plantæ 4
Homo nobiliſſimum animal 19

I.

Immodica venus reddit corpora ſterilia & inepta ad ulteriorem venerem 92
Inanimata alimentum non ſuſcipiunt 23
qualia ſint 15
Indocti remedia tentant 65
Infantes adultiores quomodo cibandi 135
quo tempore ablactandi 136
ad ſtudia vel officia impendendi 138
Infantibus in lucem editis qualiter eis adminiſtrandum ſit 129 & 134
Juvenibus venus valde nocet 88

L.

Legum divinarum obſervatio vitam longiorem cauſat 43 & 44
Liquor in coitu vulvam irrorans, non pro ſemine accipi debet 103

M.

Matrimonii duplex finis 84
Medici aut Doct. nomen indigne gerentes 61. 64
Medici olim in maximo cultu habebantur 67
Medicus regulis inſtructus fallere nequit 66
Mores nutricis facile contrahunt infantes 132

Mors

Mors matura ſalutem adfert 42
non omnibus æqualis eſt 52
Muliebre ovum imprægnatum a viro 4. aut 5. die ad uterum devolvitur 111

N.

Nobiliores & ditiores utcunque citius reliquis infirmiantur 60
Nutrix infantis quomodo conſtituta eſſe debeat 130 & 131 & 133

O.

Obſtetrix experta & erudita ad partum vocanda 125
Ova muliebria ad quem uſum deſtinata ſint & ubi ſituata 102
ſunt ſemina fœminarum 102. & 108

P.

Palingenii carmina de arte medica 63
Parentes robuſti utcunque generant proles fortes & longæ vitæ 54 & 45
Pater & mater longam vitam communicant 58
Plantæ diviſio in duo membra 5
cur involuntarie excreſcant 8
Planta nulla ſine radice excreſcit 11
Plantæ moriuntur 14
Proles cur ſtupido ingenio a parentibus ſapientibus naſcantur 73
Prolis quod menſium pro legitima ſtatui poſſit 126
Puerpera diætam ſervare debet 128
Quoduplex vita 21

R.

Radix non attrahit nutrimentum 13

S.

Semen virile quid & quale ſit 99
quo ſæpius effunditur minus aptum eſt ad procreationem 70
non totum ad conceptionem impenditur 100
Semen muliebre quale 101
Seminis deſcriptio 10
accretio 12
Senibus venus valde nocua 93

T.

Terminus vitæ a Deo conſtitutus eſt 34
a multis per ignorantiam diætæ abbreviatur 48
Terminus vitæ modo brevior quam olim 40
quibuſdam brevior, quibuſdam longior 41
multum imminutus eſt 37 & 38

V.

Venus aptiſſima viris 87 & 89
a viro &uxore quomodo obſervari debeat 98
parca magis voluptuoſa eſt 90
quandoque aut raro exercenda 96
quarto aut 5. die poſt menſtrua conceptionem promovet 97
quietem requirit 95
Venus multos mactavit viros 106
Vermes undique in corpore reperiuntur 114
in humano ſemine non excluduntur 115

Vermiculorum transmigratio in corpus humanum refutatur 112 & 116 & 119
Vir & fœmina fœtui bonum fundamentum vitæ ponere debent 71
Vita ſub diverſa ſignificatione ſumitur 24
qualis in brutis 26
Vitæ nomen æquivocum eſt 20
diverſitas 25
Vita ab anima non dependet 121
Vitæ conceptus tam ſubſtantiæ ſpirituoſæ quam materiali competit 22
diſpoſitiones & ſucceſſus non ab atomis orta ſunt 27
etiam ratio & fides inhibent 28
Vita quænam in plantis eſſe cenſeatur 31
Vita a motu ſuccorum continuatur 32
a bono conceptu firmatur 68
miſera & ægrota 50
Vitam homines ſibi ipſis abbreviant 35 & 39
conſervare poſſunt per diætam & medicinam bonam 36
Vita per medicamenta importuna & indebita aufertur 61
Vivens nullum a materia putrida generatur 117

INDEX

Tractatus ſecundi, denotans, ut prior res per numeros.

A.

ABſtinentia diſtinguitur a jejunio 117
remedium ſanitatis & vitæ prolongandæ 80
Acetoſæ utilitas 165
Acetum culinare 250
quomodo fiat 251
& acidum differunt 252
Acidularum æſtimatio qualis 302
Acidum fixum in lacte continetur 321
in omni vino latet 337
Acrodrya quales ſint fructus 230
Admiratio quid 517
Æther concoctionem in ventriculo promovet 110
Alimenta non eodem modo præparantur 134
nimium acida & ſalſa nocua ſunt 136
Allium 184
Althea 170
Alvus lubrica majus commodum adfert quam aſtricta 408
qualiter ſanitati conducat 409
Aeris defectu vita protrahi nequit 3
definitio 4
regio frigidor 7 & 8
diviſio 6 & 7

Aer

Aer calidus, ſiccus & rarus ex natura ſua eſt 25
quare ſit rarus & quo reſpectu 27
reſpectu ætheris gravis eſt 28
Aeri ineſt vis elaſtica 47
Aeris commotio ſola non efficit ventum 44
conſtitutio bona 52
qualis conveniat naturis 53
Aer tripliciter nos afficit 54
pulmones intrans, qualem utilitatem adferat 55
ſanguini communicatus, quidnam efficiat 57
quandoque mutandus 58 & 61
Aerem venti multum variant 35
Aer naturam immutat 60
mutatur per anni tempora 62
Aeris diverſi effectus 66 & 67
conſtitutio obſervanda in morbis curandis 68
Aer neceſſario ad ſanitatem concurrere debet 69
Alimenta ex quonam regno deſumantur 71
in quantitate moderata aſſumenda ſunt 77 & 79
Amor difficulter extinguitur 520
Amoris deſcriptio 518
Amygdalæ 236
Anima per ſenſus objecta recipit 485
ſenſitiva quid ſit 491
per ſpiritus illuſtratur 497
quouſque eſt incluſa corpori abſque ſpiritibus nil ſentit 513

Animi paſſiones 480
varia vocabula 482
affectus quid, & quale ſubjectum 484
Animæ perceptiones quodupliciter differunt 481
& corporis unio unde 502
Aniſum 246
Appetitui quandoque aliquid concedendum 87
non tamen ſemper fidendum 88
Appetitum meliorem aer promovet 59
Apium cujus virtutis 167
Aqua inter potus ſaniſſimos recenſetur 286
diuturno tempore primus hominum potus erat 287
Aqua quid ſit & ejus ſpecies 288 & 297
Aqua ſtagnans cur fluida calidior, & cur in hyeme citius in glaciem concreſcat quam fluens 289
Aqua cur quibusdam corporibus facile non adhæreat 291
Cum oleo difficulter mixtionem init 292
Aqua frigida & humida eſt 293
emollit & lubricat 294
Aquæ uſus 280
Aqua per deſtillationem exanimatur 299
quæ ſanior cæteris 300
Aqua cocta quibusdam ſalubrior 310
an nutriat 311
Aqua inſvetis non conducere videtur 307
Aquæ utilitas in corpore humano 306
Aromata quantum proſint 137

Armo-

Armoracia 182
Articocalus 176
Aſparagus hortenſis 177
Avena bene nutrit 149
Avenacea cura in quibuſdam morbis proficua 150
Avellanæ nuces 232
Aucta & nimia quies corpori nocet 393
Audacia 542
Aurantia acida & dulcia 205
Aqua glacialis mali ominis eſt & cur 304
morbos lethales infert 305
Aurium cerumen auditum hebetat 446

B.

Berberes 220
Beta 172
Betæ rad. alb. & rubræ 181
Borrago 169
Braſſica 173
Bruta ſenſibus internis & externis gaudent 508
non ita diſtincte ut homines ſentiunt 510
Bubula caro 261
Bulbocaſtanum 187
Bulbus vide cepæ
Butyrum 253

C.

Calefactum vinum an conducat ſanitati 351
Calida quæ ſunt 349
Calida qualitas 11
Calidi potus priſcis temporibus valde in uſu erant

erant 359
Calor quid & quomodo producatur 12 & 14
Canari 276
Cappares minores 223
Caprina caro 265
Carnium eſus non ſemper erat in uſu 266
nec ſemper licitus 267
Caro in genere 259
an aſſa vel elixa melius conveniat 260
Carvi ſemen & coriandri 246
Caſeus 255
Caſtaneæ 235
Caryophyli aromatici 240
Cepæ 185
Ceraſa dulcia 193
acida 194
Ceratonia 215
Cereviſiæ deſcriptio 353
Cereviſia vel vinum plus alit 355
Cervina caro 268
Calybs in ſe continet particulas nitro aereas 49
Cherefolium 169
Chocolatæ confectio, uſus atque utilitas 375
potus pinguia reddit corpora 376
recenter nuptis confert 377
Cibatio quouſque una ab altera differri debeat 120
Cibandi tempus meridianum & vespertinum ex S. Scriptura probatur 125
Cibatio frequens nociva eſt 83

Cibi in quanto & quali excedentes 86
Cibi liquidi ante ſolidos ſumendi 96
Ciborum concoctio in ventriculo a decem requiſitis abſolvitur 100
Ciborum reliquiæ fermentum ventriculare acuunt 108
Ciborum ingeſtorum cauſa 113
Ciborum diverſa quantitas & qualitas 130
obſervari debet quoad tempus & ætatem 131
Ciborum generalis quantitas determinari nequit 90
Cibi an in quantitate vel qualitate facilius corrigantur 72
Cibi quantitas nocivior quam qualitas 75
Cicerum virtus 160
Cichorium ſativum 166
Cinamomum 241
Cinora hortenſis vid. articocalus
Citri & limones 203
Condenſatio & rarefactio aeris 5
Conſvetudo unius rei non adeo tuta 76 & 85
Cœnatio magna utcunque nocet 126
Concoctio ciborum non tantum a calore ventriculari perficitur 97
quomodo in ventriculo peragitur 112
Conſveto tempore cibantes utcunque longioris vitæ exiſtunt 129
Coffe caute ſorberi debet 360
quid & ubi creſcat 361 (363
quotidie crematum utilioris conditionis eſt

Epidemici morbi diæte viventibus non tam lethales 82
Eruca 169
Eſſentia vini ſeu ſpiritus vini 345
cordiale eſt quandoque 346
Evacuationes ferme omnes præter ſudorem in ſomno retinentur 457
Excrementorum bina aut ſaltem unica excretio ſalutaris 407
Excreta non omnia ſunt excrementa corporis 402
ſunt humores utiles quam inutiles 403
Excretio ſudoris 413
ſeminis quo rarior, charior & minus nociva 435
ſeminis virilis tempore ſomni magis nocet quam in coitu 463
quando contingere ſolet 464
frequens nociva 435
Exercitia ſeu motus varii dantur 386
Exercitium ſeu motus valde utilis ad ſanitatem 381
Extremitates & interanea animalium quale dant alimentum 271

F.

Fabæ 155
Fames quid ſit 84
Fermentatio qualiter fiat 139
pani neceſſaria eſt 141
Fermentum ventriculi ſingulare requiritur ad dige-

digeſtionem 106
Ficus ſeu carici 211
Ficuum eſus pediculos auget 213
Fluida aqua ſanior quam ſtagnans 303
Fluiditatis cauſa tam aquæ quam aliornm liquidorum 290
Fluxus menſtruus quam diu fluere ſolet 424
quare fluat 425
moderatus eſſe debet 428
quare quandoque retineatur 430
Fontanæ aquæ, quæ ſalubriores 301
Fœtus partium circumjacentium ventriculi 104
Fœniculi ſemen 246
Fœniculum 178
Fraga 191
Frigori applicatus calor deperdit vim 15 & 19
Fructus olim primi cibi erant hominibus 198
Fumatio tabaccæ juvenibus raro utilis 379
per fiſtulam longam utilior 380

G.

Gaudium 526
Glandes quercinæ 234
Gloriatio 536
Grave non ſtatim ad ſuum centrum devenire poteſt 33
Gravitas quid & in quonam conſiſtat 29 & 32
Gravidis fluxus menſtruus facile periculoſus 426

H.

Herba Thee vid. Thee

Hædina caro 265
Homo dormiens ponderoſior eſt vigilante 401
Homines non æqualiter ſufferunt paſſiones 489
Hordeum 146
Humanum lac quale eſſe debeat 315
Humiditas & ſiccitas cujus qualitatis 21 & 22
cui corpori vere conveniat 23
Humiditas tantum aquæ convenit 295
in quonam conſiſtat 296
Humores ſuperflui excernendi 404
Hydromel vid. mulſa
Hypocrates cur ſenuit 73

I.

Jacentes citius & melius dormiunt quam ſedentes 466
Jejunium nimium corpori nocet & ſalutem animæ adfert 114 & 118
Impatientia 544
Indica nux 243
Indicum frumentum cujus naturæ 151
Indignatio 537
Infantes non ſunt terrefaciendi 505
Inſenſilis tranſpiratio 400
Inſomnia quid ſint 470
Intellectus & memoria 495
quotuplex 469
Interanea vid. extremitates
In templo cur homines libenter obdormiant 469

Invi-

Invidia 524
Ira 541
Iudicium quid 499
Iuglandes nuces 231

L.

Labor ſub motu comprehenditur 387
Lac quid ſit 320
an bilioſum ſit 322
inter omnia alimenta præſtantiſſimum 324
primus poſterum potus 326
Lac in potum & cibum adhibetur 312
multis ægrotis prodeſt 313
quando ſumendum 314
Lactis calor qualis bonus & utilis 316
diverſitas in animalibus 319
Lachrimarum deſcriptio 444
Lactuca 162
Laurus 246
Lentes 161
Leporina caro 270
Levitas quid ſit 30
Litterati viri ſtipendiis remunerandi ſunt 92
Lætitia vid. gaudium
Longævitas vitæ, quibus procuratur auxiliis 1
Loquelæ aer concurrit 56
Lupini infantibus vermes enecant 158
tineam curant 158
Lupinorum ſpecies 157

M.

Mala perſica 207

armeniaca 208
Mala punica ſeu granata 196
Malva 170
Manus a nive incaleſcunt 16
Matres proles ſuas lactare debent 325
Mel 257
Mellis uſus 258
Melones 188
Memoria quid & quoduplex 493
cur in quibusdam firmior 494
Menſtrua nimia morbum adferunt 431
abortum cauſant 432
Mentis operationes 501
Meridiano & conſveto tempore appetitus maxime viget 128
Meſpilla 210
Metus 532
Millium 152
Moderatus ſomnus bene conducit 455
Moderatum jejunium naturam corrigit 115
Mœror 540
Mora 216
Mors & novus amor remedium amoris 521
Motus quid ſit 17
& quæ ejus prima cauſa 18
quæ ſecunda 20
Motus motui reſiſtit 31
Motus in corpore diverſi fiunt & requiruntur 382
unde dependeat 383

utilitas 385
nimios ſpiritus diſſipat & morbos varios producit 390
poſt nimium motum non ſubito quieſcendum nec bibendum eſt 391
Mucilago ſeminis cydoniorum 202
Mucus narium 445
Mulſa 356
Myrtilli 192

N.

Naſturtium hortenſe 171
Nepeta 169
Nimius potus inſalubris 309
Nuces juglandes vid. juglandes
pinei 237
Numerus ventorum 40
Nutrimentum majus aſveti cibi dant 135
Nux moſchcata 242

O.

Obambulatio in cubiculis parum prodeſt 394
Odium 523
Odor lactis 318
Oleoſa ciborum digeſtionem retardant 233
Olerum variæ ſpecies 162
Olivæ 221
Olus 174
Oriza nutrit bene 148
Oſtreæ ſeu muſculi 277
Otio dediti in quovis loco tempus male tranſigunt 397

Otium animæ & corpori nocet 396
Ovila caro 265

P.

Panicum ſeu meline melfrugum 154
Palmæ vid. dactyli.
Panis diverſus 138
Partes corporis ſolidæ ſe ſolummodo inſtrumentaliter ad motum habent 384
Paſſio animi a voluntate noſtra multoties oritur 506
Paſſiones animi nos multum immutant 511
Paſſionum numerus quantus 516
Paſſulæ minores 226
Paſtinaca 180
Pathemata animi quodupliciter afficiant 503
Petroſelinum 168
Phagapyrum ſeu frumentum ſarracenicum 153
Phaſeoli 155
Pimpinella 169
Piper album, longum, & nigrum 238
Piſa omnibus leguminibus præferuntur 159
Piſces 273
Piſtaciæ 236
Poma ſeu mala 195
Podagra per muſicam curata 527
Pomeridianus ſomnus quibus conveniat 461
Porcellorum caro 264
Porrum 186
Portulaca 164
Potus 279

& qualis bonus 281
Potus vel cibi exceſſus magis nocuus 282
Potus quantitas 284
Potus an cibus prius ſumendus 119
aquæ digeſtionem ciborum promovet 308
Potus Coffe ægrotis quibusdam ſummum uſum adfert 366
ſitim profligat 367
quando utiliter ſumi debet 368
Thee auroræ tempore optime ſuccurrit 373
Potatio pomeridiana an conveniat 285
Potatores raro ſunt famelici 283
Potus nimius urinam claram efficit 412
Præparatio vini rubri 334
Principales cauſæ duæ ſomni 452
Principium ſentiendi ſunt ſpiritus animales 512
Pruna 209
Pyra 197
Pudor 535
Pueri aut infantes ſæpius in die cibandi ſunt 122
Pueris vinum nocet 132

Q.

Qualitas aeris quid indicet 9 & 11
quoduplex 10
Qualitas quid ſit 24
Qualitates ventorum 41
Quatuor venti cardinales 42
anni tempora 63
Quies & ſedentaria vita morborum genetrix 395
Quid ſit ſomnus & quomodo fiat 448

R.

Ranæ 275
Raphanus ruſticanus 182
niger & albus 183
Rapæ 179
Rarefactio & condenſatio aeris 26
Regio & loci ſitus mutant aerem in qualitate 64
Requiſita ad concoctionem in ordine ponuntur 101
Retentio menſtruorum vid. mens. ſuppreſſio
Retentio urinæ nociva 410
Ribeſia 227
Roſmarinus 246
Rubi idæi 219
Rubus 218
Rupicapri caro 269
Rubrum vinum quale 333

S.

Saccharum dentibus cariem inducit 256
Sal culinare 247
omnibus corporibus mixtis ineſt 248
volatile cort. aurantiorum convenit in obſtructionibus & flatibus 206
Saliva quid & cujus uſus 442
non ſemper exſpui debet 443
ſecundum concoctionis requiſitum 102
Salvia 246
Sanguinis menſtrui excretio & retentio 421
fluxus quo anni tempore erumpere ſolet 421
incipit ordinario 14. vel 16. ætatis anno 422

& quo anno finitur 423
Sapor lactis 317
Sapores novem numerantur 103
Secalineus panis & farinæ bonitas 147
Seminis virilis excretio an ſit neceſſaria & fieri debeat 433
ſenibus & juvenibus nocua 437
quo anni tempore conducibilior 439
Senes raro voraces ſunt 123
Senſatio a tactu dependet 500
Senſibus exquiſitis magis bruta quam homines gaudent 509
Senſus duplices ſtatuuntur 492
Senſatio & paſſio differunt inter ſe 488
Serum lactis in hydrope ſicca multum laudatur 323
Sex res non naturales ad vitam & ſanitatem concurrunt 2
Siliquæ vid. ceratonia
Sinapi 244
Spinachia 175
Somnus a diverſis cauſis oritur 451
cur quandoque inhibeatur 449
ſumme neceſſarius vitæ eſt 453
quam diu continuandus 454
Somnus & vigilia in genere 447
Somni tempore chylificatio retardatur 456
Somnus dolores ſedat & animi moleſtias abigit 458
excedens nocet 459

Somno, qui multum dediti 460
Somnus non ſingulis certa hora finitur 466
Somnus homines e frigido loco in calidum venientes citius obruit 466
cur poſt paſtum & potum præcipue generoſum oriatur 468
Somnium triplex eſt 472
cur quidam multum ſomniant 473
Spiritus animi pathemata cauſant 486
quid ſunt 487
Spiritibus aliqualiter cognitio attribuitur 515
Spes 530
Spiritus neceſſarii ſunt ad concoctionem ciborum 107
raro uſurpandi 347 (204
Sputatoribus cort. aurantiorum & citri proſunt
Sudor parum differt ab urina 414
quando ſanus 415
nimius nocet 417
quibusdam difficulter exit 418
inhibitus vel retentus non ſemper nocet 419
quibus ſubiectis magis prodeſt 420
Sydra quid, & quæ ejus utilitas 357

T.

Tabacca quibus conſtat particulis & quale commodum præſtat 378
Tabaccæ denominatio 377
Thee herba quid & cujus virtutis 372
potus in febribus & ſiti proficuus eſt 374
Tempus cibationis vix certum omnibus ſtatui poteſt

poteſt 121
certum ſervare naturæ congruum & proficuum eſt 124
Terror 533
mortem cauſat 534
Teſtudines 274
Timor vid. metus
Triticeus panis cujus virtutis ſit 145
Thymus 246
Triſtitia 328

V.

Venti quid ſunt 36
terræ motus cauſa 37
ubi generantur 39
e loco & tempore variantur 43
in quem finem fiant 45
Ventorum varietas unde 38
numerus 40
Ventriculus robuſtus cibum robuſtiorem requirit 74
in omnibus hominibus non æqualis efficaciæ eſt 90&91
Ventriculi explicatio 98
Venus an jejuno vel pleno ſtomacho magis conferat 440
quando multum nocet 441
Ver ſaluberrimum anni tempus 65
Vervecina caro 265
Victus ſimplex conducibilis 81
Vigiliarum vel ſomni tempore, an melior concoctio

coctio fiat 467
Vigilia quomodo oriatur 475
Vigilæ exceſſivæ, quæ mala adferunt 478
Vinearum ſitus varietatem vini efficit 331
Vini confectio 327
Vinum incendium voluptatum eſt 133
fermentum ſpiritus copioſiores tradit 328
citius clarum fit 329
ſanitati magis conducit 330
Vinum an alat 350
cur quosdam ſopidos alios furibundos efficiat 352
Vinum forte caute bibendum 339
quale ſanius 340
Vinum ſenibus magis quam juvenibus conducit 344
Vita ab aere ſolo ſuſtentari nequit 70
Vitulina caro 262
Voluntas quid 498
Voluptas tota in Deo quærenda eſt 529
Urinæ color & conſiſtentia ſanitatem indicant 411
Urina tantum per uretheres ad veſicam defertur 405
Uva ſpina 228

Z.

Zinziber

INDEX

Tractatus tertii denotans res per numeros.

Accretio & augmentum fœtus in utero 66
Actio animæ ſpiritus 72 (bant 82
Actiones corporis veteres ſoli animæ adſcribe-
non omnes ab anima proficiſcuntur ſed a ſpiritibus 83 & 76
Actus duo in homine perficiuntur 53
Angeli & dæmones per S.S. Patres probantur 41
Animæ variæ opiniones 1
eſſentia fide & ratione convincitur 2
Anima quid ſit 8
Animæ duæ præcipuæ operationes 21
Anima ſpiritus animales aliqualiter clariores facit 26 & 27
rationalis an unica vel plures 30
Animæ rationales non ſunt ejusdem perfectionis accidentalis individuæ 38
Anima proprie loquendo alia non datur quam rationalis 44 (tur 45
Anima vegetativa & ſenſitiva proprie non da-
corpori per unionem phyſicam unita eſt 54
Animæ habitaculum quale & ubi ſit in corpore humano 71
animales a ſolo Deo creantur 37 & 39
Ariſtotelis mala definitio animæ 3

B.

Bruta cur timeant ſuorum diſſolutionem 93

C. Ca-

Caput præ reliquis partibus corporis citius ap-
paret, non tamen citius formatur 67
Cogitatio non eſt anima ſed potentia animæ 4 &
nec eſt ſpiritus
Commercium mutuum animæ & corporis 56
Deus ita conſtituit 57
Corpus humanum ad genus plantæ aut animalis
referri non poteſt 34
Corporis inſtrumenta perfecte formata eſſe de-
bent, antequam uniatur anima 59
Creatio ſoli Deo competit 40
D.
Duo conſtitutiva principalia hominis 47
E.
Excellentia animæ per operationes ſuas mani-
(feſtatur 24
Embryo eſt vera pars corporis matris & infor-
matur ab anima matris 61
Extenſio non competit animæ 10
F.
Felicitas temporalis ſpernenda eſt 95
Fœtui formato, dum ſeparatur ab anima ma-
tris, infunditur anima rationalis 62
hoc idem probatur per ſacram ſcripturam 63
Forma ſubſtantialis nulla alia realiter a materia
eſt diſtincta nec datur, niſi anima rationa-
lis 32 & 35
Forma eſſentialis quid ſit 33
Formæ accidentales non dantur niſi reſpectivæ
(36
Forma corporis non eſt anima rationalis 49. 70
ſubſtantialis hominis eſt anima rationalis 81

Fun-

Functio duplex in humano corpore fit 55

G.

Generatio quid 42

Glandula pinealis ſenſorium commune eſt 77

prudentiæ cauſa 78

Gratia non omnibus datur in agone ſe præparandi ad mortem. 98

H.

Homo cuncta animalia ſuperat 25

duabus ſubſtantiis conſtat 31

cur timet mori 89. & 97

Homo in hoc ſtatu viæ eſt ſolum intelligibilis in potentia 12

I.

Immortalis anima, an iterato annihiletur a creatore 51

Immortalitas animæ probatur 48 & 50

Infantes cur non diſtincte ratiocinentur 19

Intellectus clarior phantaſia 15 & 16

per ſpecies impreſſas illuſtratur 17

erudiri debet 18

M.

Mors a diſceſſu animæ non fit 87

Mors non timenda eſt 96 & 100

inopinata multis contingit 99

Ideo morti non fidendum 92

Motus eſt corporis proprietas 6

Motus ſeu operationes involuntariæ absque animæ concurſu fiunt 22

Motus ſpirituum quomodo ab anima fiat 85

Muſcu-

Muſculi antagoniſtici ſunt ſervi animæ 84

N.

Nervi non omnes terminantur intra ventriculos cerebri 75

O.

Objicitur de anima in utero exiſtente 68
refutatur objectio 69
Operationes animæ declarantur 11 (60
Opiniones variæ de unione animæ cum corpore

P.

Platonici mortem non timuerunt 90 (102
Plenitudo felicitatum in ſolo Deo quærenda eſt

S.

Sedes alia non datur animæ, quam in capite 80
Senes nequeunt diſtincte amplius ratiocinari 20
Senſus & motus quale immediatum princ. 74
Spiritus ſeu anima ſeparata a corpore intelligit per cognitionem intuitivam 13
cogitationes pure ſpirituales per ſe elicere nequit 14
Spiritus operantur non ſemper concomitante anima 23 (29
Spiritus clara die & ſplendente ſole agiliores fiunt materiales probantur 46
Spiritus extra corpus liberiores exiſtunt 94
Subſtantiæ diviſio duplex eſt 9

V.

Unio animæ cum corpore quid ſit 52
Vita corporis humani non dependet ab anima 86
Voluntas intellectualis. 58